ACTA
APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

AN. ET VOL. LXXXVIII

TYPIS VATICANIS
M.DCCCC.LXXXXVI

An. et vol. LXXXVm   2 Ianuarii 1996   N. 1

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano - *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

ADHORTATIO APOSTOLICA POSTSYNODALIS

Episcopis, presbyteris et diaconis, religiosis viris et mulieribus omnibusque laicis Christifidelibus: de Ecclesia in Africa eiusque evangelizandi opere bis millesimum sub annum.

INTRODUCTIO

1. ECCLESIA IN AFRICA vivens quattuor quidem hebdomadas cum gaudio et spe suam in Christum resuscitatum celebravit fidem, videlicet per Coetum Specialem pro Africa Synodi Episcoporum, cuius viva adhuc universa in ecclesiali communitate viget recordatio.

Erga christianismi in Africa primorum saeculorum consuetudinem fideles, pastores eiusdem illius continentis, cum Petri Apostoli Successore communicantes necnon episcopalis Collegii consortes qui aliunde convenerunt ex orbe, Synodum egerunt quae uti spei resurrectionisque eventus contigit eo ipso tempore quo hominum facinora impellere videbantur Africam potius ad animi debilitationem quin immo ad desperationem.

A peritis legatis cleri et religiosorum et laicatus adiuti Patres Synodales ex rerum veritate tum lumina, tum umbras pertractaverunt, tum provocationes tum evangelizationis in Africa exspectationes, dum tertium fidei christianae appröpinquat millennium.

Coetus ideo synodalis illius participes a Nobis petiverunt ut suarum deliberationum et precationum, disceptationum et mutuarum opinionum fruc-

tus patefaceremus cunctae Ecclesiae.[1] Laeti profecto gratique erga Dominum eandem Nos suscepimus postulationem atque hoc die, consentientes cum catholicae in Africa Ecclesiae pastoribus ac fidelibus, tempus aperimus celebrativum Coetus qui impensi diuturnique effectus est collegialis operis.

At convenire omnino arbitramur ut, licet celeriter, varia prius percurramus tempora tam decretorii eventi pro Ecclesia Africana quam rerum in Synodo peractarum ineamus expositionem.

2. Habita historiae salutis ratione, est certo Concilium Oecumenicum Vaticanum II aestimandum angularis lapis totius huius saeculi quod in tertium iamiam influet millennium. Ex illo magno eventu potuit quidem Ecclesia Dei in Africa agere in se vera gratiae tempora. Etenim Episcoporum Afrorum congressionis propositum una aliave ratione ut evangelizationem continentis excuterent, repetitur ab ipso Concilii tempore. Fuit reapse eventus ille historicus probatoria quasi fornax collegialis rationis ac praecipua communionis affectivae et effectivae inter orbis episcopos demonstratio. Data enim opportunitate illa, nisi sunt Episcopi idonea invenire instrumenta quibus suam possent communicare efficientemque reddere sollicitudinem omnium Ecclesiarum (cfr *2 Cor* **11,** 28) atque eius rei causa congruas inceperunt pro singulis nationibus, regionibus totaque continenti terra proponere structuras.

3. Hoc igitur animo Africae et Madagascariae Episcopi Concilio adstantes Secretariatum Generalem suum constituere decreverunt cuius videlicet esset eorum ordinare interpellationes, unde in Aula conciliari posset, quantum fieri licebat, communis una exhiberi sententia. Prima haec communis inter Africae Episcopos opera deinde in iuridicialem transiit institutionem per Kampalae institutum Symposium Conferentiarum Episcopalium Africae et Madagascariae (S.C.E.A.M.). Quod anni MCMLXIX mensibus Iulio et Augusto accidit, invisente Ugandam Pontifice Paulo VI qui primus nempe Episcopus Romanus recentioribus temporibus adiit Africam.

4. Quae statis temporibus ab anno MCMLXVII evenerunt universales Episcoporum Synodi congressiones, Ecclesiae quae est in Africa occasiones utiles praebuerunt ut in universa Ecclesia suam efferrent propriam vocem. Sic quidem anno MCMLXXI in secunda conventione generali ordinaria, Synodales Africae Patres gaudentes magnopere oblatam susceperunt facultatem maio-

[1] Cfr *Propositio* 1.

rem proclamandi « iustitiam in orbe ». Tertia autem congressio universalis ordinaria de evangelizatione in mundo huius temporis (MCMLXXIV), ut nominatim evangelizationis in Africa quaestiones investigarentur effecit. Quo tempore contigit etiam ut Continentis Afrae Episcopi Synodo adsistentes nuntium ederent magni ponderis cui titulus: « Evangelizationis provectio secundum commune omnium officium».[2] Paulo post, vertente Iubilari Anno MCMLXXV, eadem consociatio S.C.E.A.M, suum congregavit plenarium Romae coetum ubi evangelizationis pertractaretur argumentum.

5. Ab anno deinde MCMLXXVII ad annum MCMLXXXIII aliqui Episcopi et presbyteri, consecratae personae, theologi laicique fideles se cupere significarunt ut *Concilium* celebraretur sive *Africana Synodus,* quae evangelizationem in Africa perpenderet, habita videlicet ratione gravium consiliorum de ventura illius continentis aetate capiendorum. Libentes quidem accepimus incitavimusque simul propositum ipsum « consociatae operae uno aliove modo » totius Africi episcopatus « ut communes omnis Continentis quaestiones de religione inspicerentur ».[3] Quapropter Symposium Conferentiarum Episcopalium Africae et Madagascariae (S.C.E.A.M.) dedit operam ut viae rationesque invenirentur ad feliciter exsequendum propositum eius ex universa continenti congressionis. Instituta ideo consultatio est Episcoporum Conferentiarum et cuiuslibet Africae atque Madagascariae Episcopi, post quam potuimus Nos specialem indicere Episcoporum Synodi coetum pro Africa. Die sexto mensis Ianuarii anno MCMLXXIX, intra Epiphaniae sollemnia — festi liturgici ubi novam semper Ecclesia sumit sibi sui muneris conscientiam universalitatis necnon officii inde profluentis ut Christi lumen adferat cunctos ad populos —, iniisse Nos nuntiavimus hoc « magni ponderis inceptum ad Evangelium diffundendum ». Ac simul explicavimus id Nos fecisse postulationem suscipientes saepius iam diuque ab Africae Episcopis declaratam, a sacerdotibus et theologis necnon laicatus primoribus, «ut ordinata pastoralis necessitudo totos per Africae insularumque adiacentium fines promoveretur ».[4]

6. Specialis Synodi Episcoporum pro Africa Coetus *memorabile gratiae tempus fuit:* etenim suum populum *visitavit* Dominus qui in Africa reperi-

[2] *Declaratio* Episcoporum Africae et Madagascariae adstantium III Coetui Generali Ordinario Synodi Episcoporum (20 Octobris 1974): *La Documentation catholique* 71 (1974), 995-996.

[3] Allocutio ad quosdam Episcopos Zairenses ad limina Apostolorum advenientes (21 Aprilis 1983), 9: *AAS* 75 (1983), 634-635.

[4] *Angelus* (6 Ianuarii 1989), 2: *Insegnamenti* XII, 1 (1989), 40.

tur. Haec reapse Continens terra agit hodie illud quod plane dici potest ***signum temporum, acceptabile tempus,*** pro Africa ***dies salutis.*** Immo advenisse ipsa videtur «Africae hora», propitia quidem hora quae vehementer Christi nuntiatores hortatur ut altum mare petant in pisciumque capturam laxent retia (cfr Lc 5, 4). Quem ad modum christianae religionis sub initia magistratus ille Candacis Reginae Aethiopiae, laetatus magnopere quod per baptismum receperat fidem, iter suum persecutus est Christi testis effectus (cfr ***Act*** 8, 27-39), ita hodie in Africa Ecclesia, gaudii plena gratiasque agens de percepta fide, suum prosequatur oportet evangelizandi officium ut eiusdem Continentis gentes ad Dominum perducat doceatque servare omnia quaecumque ipse praecepit (cfr ***Mt*** 28, 20).

Inde a sollemni ipsa eucharistica inaugurationis liturgia, quam die decimo mensis Aprilis anno MCMXCIV Nos una concelebravimus cum triginta quinque Cardinalibus, in Basilica Vaticana, Patriarcha uno, triginta novem Archiepiscopis, centum quadraginta sex Episcopis atque nonaginta presbyteris, Ecclesia Dei Familia,[5] credentium populus, sese conglobavit circum beati Petri tumulum. Suam secundum rituum varietatem adstabat Africa cum Dei populo universo: suam saitando significabat exsultationem, suam erga vitam declarabat fidem sonitu multiplicium instrumentorum, qualia sunt vernaculis sermonibus tamtam, aliaque instrumenta musica Africana. Eo igitur tempore Africa terra se esse sensit «alteram Christi patriam»,[6] ut verbis Pontificis Pauli VI utamur, terram nempe quam Pater aeternus dilexit.[7] Haec ideo causa est cur illam gratiae occasionem Psaltae sacri vocibus salutaverimus: «Haec est dies, quam fecit Dominus: exsultemus et laetemur in ea» ***(Ps*** 118[117], 24).

7. Hanc per Apostolicam Adhortationem post Synodum editam, concordantes cum Speciali Coetu Synodi Episcoporum pro Africa, adloqui cupimus in primis Pastores, fideles, laicos, deinde ceterarum Confessionum christianarum fratres, quotquot praeterea magnas profitentur religiones monotheistas, nominatimque asseclae translaticiae religionis Africanae, omnes demum bonae voluntatis homines qui uno aliove pacto spiritalem corporeamque Africae progressionem curant vel qui ingentis huius Continentis tractant sortes.

[5] Cfr CONC. OECUM. VAT. H, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 6.

[6] Homilia in canonizatione beatorum Caroli Lwanga, Matthiae Malumba Kalemba et viginti sociorum Martyrum Ugandensium (18 Octobris 1964): *AAS* 56 (1964), 907-908.

[7] Cfr IOANNES PAULUS PP. II, Homilia in conclusione ritus litùrgici Coetus Specialis pro Africa Synodi Episcoporum (8 Maii 1994), 7: *L'Osservatore Romano,* 9-10 Maii 1994, p. 4.

In primis nimirum Afros cogitamus ipsos et omnes Continentis incolas; filios nominatim filiasque cogitamus catholicae Ecclesiae: Praesules, sacerdotes, diaconos sacrorumque alumnos, sodales Institutorum consecratae vitae et apostolicae vitae Societatum, catechistas et omnes quibus vitae propositum est fratribus subvenire. In fide illos confirmare studemus (cfr ***Lc*** 22, 32) atque cohortari simul ut in spe perseverent quam Christus tribuit exsuscitatus, omnem vincentes animi fracti formam.

8. Specialis pro Africa Synodi Episcoporum Coetus argumentum sibi praestitutum altiore ratione pervestigavit: «In Africa Ecclesia eiusque evangelizandi opus sub annum bis millesimum: Eritis mihi testes» ***(Act*** 1, 8). Quocirca proxime idem percurrere iter Adhortatio haec conabitur. Initium quippe hoc sumet ab historiae tempore, id est ***kairós,*** quo acta est Synodus, cuius dein et praeparationem tum etiam exsecutionem perpendet. Hodiernis immorabitur in ***Ecclesiae*** quae est in Africa condicionibus, variis commemoratis nempe operis missionalis gressibus. Agitabit partes etiam varias ipsius ***evangelizandi officii*** quibus nempe sese hoc tempore oportet Ecclesia accommodet, quae sunt: evangelizatio, inculturatio, dialogus, iustitia et pax, socialis communicationis instrumenta. ***Necessitatum*** porro ***prementium*** ac ***provocationum,*** quibus Ecclesia sollicitatur hoc in ***pervigilio Anni Bis Millesimi,*** recensio sinet quidem ut munia Christi testis in Africa delineentur ad efficacius Regni Dei aedificationi conferendum. Fieri ita ad extremum poterit ut Ecclesiae in Africa obligationes definiantur, qua missionariae Ecclesiae: missionis videlicet Ecclesiae quae ipsa evadit missionaria vicissim: «Eritis mihi testes... usque ad ultimum terrae» ***(Act*** 1, 8).

CAPUT I
ECCLESIAE TEMPUS MEMORABILE

-9. «Specialis hic Coetus pro Africa Synodi Episcoporum ***peropportuna*** est ***eventus,*** de quo omnipotenti misericordique Patri gratias referamus oportet per ipsius Filium in Spiritu simulque eum glorificemus ».[8] Hisce videlicet verbis primae Congregationis generalis tempore sollemniter Patres disceptationem inceperunt totius argumenti Synodi. Antea vero iam Nos similem protuleramus sententiam agnoscentes: « Ecclesialis eventus hic spe-

[8] **SYNODUS EPISCOPORUM, Coetus Specialis pro Africa, *Relatio ante disceptationem* (11 Aprilis 1994), 1: *L'Osservatore Romano,* 13 Aprilis 1994, p. 4.**

cialis coetus est summi momenti pro Africa, ***kairós*** nempe, ***gratiae momentum,*** quo Deus suam ostendit salutem. Quod quidem gratiae tempus universa incitatur Ecclesia ut plene agat Bonumque Nuntium accipiat diffundatque. Praeparandae Synodi opus non ipsi celebrationi synodali soli proderit, verum etiamnunc beneficia ***Ecclesiis localibus in Africa peregrinantibus*** praestabit, quarum corroborantis fides ac testificatio, eas efficientes maturiores ».[9]

10. Expressum est hoc gratiae tempus potissimum sollemni fidei professione. Circa beati Petri Sepulchrum conglobati sodales Synodi ad ineundum Specialem Coetum suam sunt fidem sollemniter professi, Petri scilicet fidem qui percontanti Christo: « Numquid et vos vultis abire? », respondit: « Domine, ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes; et nos credidimus et cognovimus quia tu es Sanctus Dei » ***(Io*** 6, 67-69). Africae Episcopi, inter quos Ecclesia catholica iis diebus repperit apud Apostoli Sepulchrum peculiarem suam significationem, credere sese adseverarunt unius Dei omnipotentiam et misericordiam primum patefactas esse praesertim in redimenti Incarnatione Filii Dei, qui in unitate Spiritus Sancti consubstantialis est Patri quique, hac in trinitaria unitate, gloriae recipit et honoris plenitudinem. Haec — adfirmaverunt Patres Synodales — est nostra fides, haec Ecclesiae fides est, cunctarum localium Ecclesiarum fides haec est quae dispersae per Africain continentem ad Dei domum peregrinantur.

Porro eadem in Christum Iesum fides constanter, fortiter et unanimiter declarata est elocutionibus Synodi Patrum per totum Coetus illius Specialis spatium. Africae praesules illa roborati fide Christo Domino suam commendaverunt Continentem, persuasum habentes ipsum unum, Evangelio suo suaque Ecclesia, eripere posse Africam a praesentibus difficultatibus et eius compluribus simul mederi malis.[10]

11. Eodem vero tempore, Coetum illum Peculiarem sollemniter aperientes, Africae Episcopi propalam suam pronuntiaverunt fidem de «unica Christi Ecclesia, quam in Symbolo unam, sanctam, catholicam et apostolicam profitemur ».[11] « Hae notae lineamenta essentialia Ecclesiae eiusque missionis indicant. Eas non ipsa sibi attribuit; Christus enim per Spiritum San-

[9] **Allocutio ad tertium Congressum Consilii Secretariae Generalis Coetus Specialis pro Africa Synodi Episcoporum (Luanda, 9 Iunii 1992), 5: *AAS* 85 (1993), 523.**

[10] **Cfr *Relatio post disceptationem* (22 Aprilis 1994), 2: *L'Osservatore Romano,* 24 Aprilis 1994, p. 8.**

[11] **CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 8.**

ctum Ecclesiae praestat ut sit una, sancta, catholica et apostolica, atque ipse eam movet ut unamquamque harum ad effectum adducat ».[12]

Quicumque privilegio fruiti sunt celebrandi Coetum Peculiarem pro Africa laetati sunt nimirum catholicos Afros videntes magis magisque suum sumere officium suis in localibus Ecclesiis ac melius eos eniti intellegere quid tandem sibi velit catholicum esse simulque Africanum. Coetus Specialis celebratio commonstravit omni orbi « in ecclesiastica communione legitime adesse Ecclesias particulares » Africae, ipsisque esse ius servandi et excolendi proprias traditiones, integro manente primatu Petri Cathedrae, quae universo caritatis coetui praesidet, legitimas varietates tuetur et simul invigilat ut particularia, nedum unitati noceant, ei potius inserviant ».[13]

12. Singulari quodam Providentiae divinae consilio sollemne illud Specialis Coetus pro Africa Synodi Episcoporum exordium contigit altera Dominica die Paschatis, octava videlicet eiusdem Paschatis terminata. Synodales Patres, ipso eo die conglobati in Vaticana Basilica, probe sibi conscii erant suae Ecclesiae laetitiam profluere eodem de eventu qui corda Apostolorum gaudio die Paschatis repleverat: Domini Iesu scilicet resurrectione (cfr ***Lc*** 24, 40-41). Sibi enim plane persuaserant resuscitatum inter sese iam adesse Dominum qui sibi dicebat uti etiam Apostolis: « Pax vobis » ***(Io*** 20, 21.26). Promisisse nempe eum intellexerant in sempiternum se mansurum esse sua cum Ecclesia (cfr ***Mt*** 28, 20) ideoque etiam totum per Coetus synodalis cursum. Paschalis illa adiectio, qua Specialis Coetus opus incohavit suum, suis cum participibus simul congregatis ut suam in Christum resuscitatum profiteantur fidem, sponte sua nostram redegit in memoriam voces apostolo Thomae prolatas a Iesu: « Beati, qui non viderunt et crediderunt » ***(Io*** 20, 29).

13. Revera resurrectionis fuit speique Synodus, quem ad modum laeti ipsi studiosique Synodales significaverunt Patres primis dictionibus ***Nuntii*** sui Dei Populo dicati. Quae dicta libenter quidem efficimus Nostra: « Haud secus ac Maria Magdalena mane Resurrectionis, sicut Emmaus discipuli ardentibus pectoribus mentibusque illustratis, ita Specialis Coetus Synodi Episcoporum pro Africa vociferatur: ***spes nostra resurrexit Christus. Nos convenit nobiscumque ambulavit.*** Nobis Scripturas explicavit et, ecce id quod nobis dixit: « Ego sum Primus et Novissimus et Vivens et fui mortuus et

[12] ***Catholicae Ecclesiae Catechismus,*** **811.**

[13] **CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 13.**

ecce sum vivens in saecula saeculorum et habeo claves mortis et inferni » *(Apc* 1, 17-18) [...]. Et sicut in Patmos, temporibus valde difficilibus, Ioannes spei recepit pro Populo Dei vaticinia, nos similiter spem denuntiamus. Hoc ipso enim temporis momento, quo odia fratricidia provocata politicas ob rationes nostros discindunt populos, quo etiam debitorum externorum pondus aut nummorum deminutionis onus illos opprimit, nos Africae Episcopi una nimirum coniuncti cunctis cum Sanctae huius Synodi participibus, cum Romano Pontifice consociati nostrisque universis in Episcopatu fratribus, a quibus sumus nos designati, verbum hoc pronuntiamus spei solaciique plenum tibimet ipsi, Dei Familia quae in Africa es: tibimet ipsi, Dei per orbem disseminata familia: ***Spes nostra vivit Christus et vivemus Nos!)>.***[14]

14. Totum cohortamur Nos Dei populum in Africa viventem ut apertis animis spei nuntium amplectatur qui a Coetu synodali illi est enuntiatus. Varia agitantes argumenta Synodi Patres, prorsus sibi conscii exspectationes sese portare non Afrorum modo catholicorum verum singulorum virorum feminarumque singularum totius illius Continentis, aperte occurrerunt multiplicibus, quibus hodie adfligitur Africa, incommodis. Implicatam omnem ac vastam rerum condicionem inspexerunt, quas Ecclesia rogatur ut perficiat ad optatam exsequendam status conversionem; attamen id fecerunt animo quodam a pessima rerum interpretatione libero et plana desperatione. Quantumvis adversum sane prospectum praebeant complures Africae regiones, quamvis tristia eventa multae ibidem patiantur non paucae Nationes, tamen Ecclesiae superest officium adfirmandi vehementer has superari posse difficultates. Excitare oportet eam omnibus in Afris verae liberationis spem. Solido namque eius fiducia innititur fundamento, ipsa tandem pollicitationis divinae conscientia, unde confirmatur nostram historiam haud in sese concludi, sed ad Dei Regnum patere. Hinc ergo causae rationesque sunt quamobrem nec desperatio nec pessima rerum interpretatio defendi possint quotiescumque futurum Africae tempus perpendatur sive cuiusvis alterius orbis provinciae.

15. Priusquam ingrediamur in variorum argumentorum pertractationem, id efferre volumus, quemadmodum scilicet sit Episcoporum Synodus maxime propitium instrumentum unde ecclesialis provehatur communio. Sub Concilii Vaticani II finem, cum Pontifex Paulus VI fe. re. Synodum excitavit, luculenter edixit ex primariis illius propositis unum quidem esse com-

[14] **NN. 1-2: *L'Osservatore Romano,* 8 Maii 1994, p. 4.**

monstrare ac provehere mutuam Episcoporum, per orbem sparsorum, communionem, duce ipso sancti Petri successore.[15] Simplex subest huic Synodi Episcoporum institutioni principium: quo firmior est Episcoporum coniunctio inter se, tanto magis sua in summa locupletatur Ecclesiae ipsius communitas. Quorum dictorum veritatis testis est Ecclesia in Africa, quandoquidem studiosum experta est fervorem nec non solidos effectus qui Coetus Synodi Episcoporum illi dicati praeparationem sunt comitati.

16. Cum Consilium Secretariae Generalis Synodi Episcoporum primum convenimus, quod idcirco omnino congregatum est ut Specialem pro Africa compararet Coetum, rationem illustravimus ob quam peropportunum visum erat eundem Coetum convocare, id est promotionem « pastoralis necessitudinis bene ordinatae per omnes Africae fines insularumque adiacentium».[16] Ea nempe locutione praecipua cupivimus perstringere proposita et consilia ad quae idem Coetus sese dirigere debebat. Quo dein melius exspectationes Nostras definiremus, addidimus deliberationes ad praeparandum Coetum respicere debere « ad maiores omnes aspectus vitae Ecclesiae in Africa, ac nominatim tangere evangelizationem et inculturationem, dialogum et pastoralem curam in campo sociali atque communicationis socialis instrumenta ».[17]

17. Tempore pastoralium Nostrarum visitationum per Africam, saepius quidem Nos Specialem memoravimus Coetum pro Africa ac potissima proposita ob quae erat convocatus. Cum primum in terra Africa interfuimus congregationi ipsius Consilii Synodi, haud omisimus testari persuasum Nobis esse synodalem Coetum ad consultationem redigi non posse de cotidianis argumentis. In eo enim est vera illius ***ratio cur sit*** quod crescere non valet Ecclesia nisi corroborata simul inter Ecclesiae membra coniunctione, initio facto ab ipsis pastoribus.[18]

Quivis synodalis Coetus demonstrat et enodat ipsam necessitudinem inter rectores Ecclesiarum particularium, in suorum munerum exsecutione ultra dioecesis suae fines. Sicut docuit Concilium Vaticanum II: «Episcopi,

[15] Cfr Motu proprio *Apostolica sollicitudo* (15 Septembris 1965), II: *AAS* 57 (1965), 776-777.

[16] Allocutio ad Consilium Secretariae Generalis Coetus Specialis pro Africa Synodi Episcoporum (23 Iunii 1989), 1: *AAS* 82 (1990), 73. Cfr *Angelus* (6 Ianuarii 1989), 2: *Insegnamenti* XII, 1 (1989), 40: qua in oratione primus datus est publicus nuntius convocationis Coetus Specialis pro Africa Synodi Episcoporum.

[17] *Ibid.,* 5, l.m., 75.

[18] Cfr IOANNES PAULUS PP. II, Allocutio ad Consilium Secretariae Generalis Coetus Specialis pro Africa Synodi Episcoporum (Yamoussoukro, 10 Septembris 1990), 3: *AAS* 83 (1991), 226.

qua legitimi Apostolorum successores et Collegii episcopalis membra, inter se coniunctos semper se sciant atque omnium Ecclesiarum sollicitos sese exhibeant, cum ex Dei institutione et praecepto apostolici muneris unusquisque Ecclesiae una cum ceteris Episcopis sponsor sit ».[19]

18. Quod speciali Coetui argumentum proposuimus — « Ecclesia in Africa eiusque evangelizandi opus sub annum bis millesimum. "Eritis mihi testes" (*Act* 1, 8) » — comprobat quantopere cupiamus ut tempus illud usque ad Magnum Iubilaeum Ecclesia haec agat tamquam « novum Adventum », exspectationis videlicet tempus ac praeparationis. Praeparationem namque ad annum bis millesimum unam ex clavibus ad totum Nostrum interpretandum pontificatum consideramus.[20]

Per triginta annorum spatium synodales Coetus — Generales nec non Speciales in continentibus, regionibus vel nationibus — omnes collocantur hoc in prospectu praeparationis Magni Iubilaei. Quod evangelizatio ipsa argumentum est harum omnium synodalium Coetuum, id profecto indicat quam viva sit in Ecclesia conscientia muneris salvifici quod ipsa a Christo accepit. Talis conscientia demonstratur singulari prorsus evidentia in Adhortationibus Apostolicis post-synodalibus quae evangelizationem tractaverunt et catechesim, familiam et vocationem missionemque laicorum, presbyterorum institutionem, paenitentiam ac reconciliationem in vita Ecclesiae totiusque hominum generis.

19. Iam a principio ipsius praeparationis Coetus Specialis magnopere Nos cum Consilio Secretariae Generalis consentientes efficere optavimus ut Synodus haec reapse esset Africana, nempe sine ullis ambagibus. Necessario simul intererat ut *plene in communione cum universali Ecclesia* celebraretur Specialis Coetus. Et revera Coetus hic rationem semper habuit universalis Ecclesiae. Cum vicissim tempus fuit *Lineamenta* foras dari, Fratres in Episcopatu omnes hortati sumus totumque Dei populum per terras dispersum ut precando meminissent Specialis pro Africa Coetus seseque participes sentirent singulorum coeptorum illius rei gratia.

Haud secus ac saepius repetivimus, momentum habet magnum pro universali Ecclesia hic Coetus, non tantum ob studium quod eius convocatio ubique excitavit, sed propter communionis ecclesialis indolem ipsam quae cunctos temporis locorumque terminos excedit. Evocavit enim Specialis

[19] Decr. de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia *Christus Dominus,* 6.

[20] Cfr Litt. Ap. *Tertio millennio adveniente* (10 Novembris 1994), 23: *AAS* 87 (1995), 19.

Coetus preces multiplices et opera bona, quibus fideles ipsi atque communitates Ecclesiae aliis in continentibus progredientem comitatae sunt Synodum. Et quomodo dubitandum sit quin, in mysterio communionis ecclesialis, etiam preces sanctorum Caeli illi sub venerint? Statuentes ut primum tempus laborum Coetus Specialis Romae ageretur, voluimus etiam multo eloquentius vincula extollere quae obstringunt Ecclesiam in Africa cum universali Ecclesia, ita quidem ut ***omnium fidelium*** officium erga Africani illustraretur.

20. Sollemnis concelebratio eucharistica ad aperiendam Synodum, cui in Basilica sancti Petri praesedimus, Ecclesiae universalitatem mirabili permoventique modo ostentavit. « Hanc universalitatem, quae non uniformitas est, verum communio differentiarum inter se cum Evangelio congruentium,[21] omnes Episcopi senserunt. Omnes conscii erant se esse consecratos qua membra corporis Episcoporum Collegio Apostolorum succedentis, non solum pro aliqua dioecesi, sed pro totius mundi salute ».[22]

Deo Omnipotenti gratias agimus ob occasionem, qua nos donavit, Coetus Specialis merito, id cognoscendi quod germana secum fert fides catholica. « Vi huius catholicitatis, singulae partes propria dona ceteris partibus et toti Ecclesiae afferunt».[23]

21. Praecipuum Ecclesiae in Africa obeundum munus, secundum Patres Synodales, est describere quam clarissime quid ipsa sit et quid plene efficere possit ut nuntius eius aptus et credibilis evadat.[2*] Ad talem re vera gravem et primariam necessitatem, ***sinceram pro Ecclesia in Africa provocationem,*** spectaverunt omnia in Coetu consilia.

Utique verum esse constat « Spiritum Sanctum in propagatione Evangelii primas agere, utpote qui et moveat ad Evangelium nuntiandum, et hominis intima ad excipiendum intellegendumque verbum salutis praeparet».[25] Hac tamen veritate iterum confirmata, iure Coetui Speciali addere placuit Evangelii diffusionem operam esse quam Christus Iesus suae concredidit Ecclesiae, ducente viresque suppeditante Spiritu. Necessaria est nostra

[21] **SYNODUS EPISCOPORUM, Coetus Specialis pro Africa, *Nuntius Synodi* (6 Maii 1994), 7: *L'Osservatore Romano,* 8 Maii 1994, p. 4.**

[22] **Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de activitate missionali Ecclesiae *Ad gentes,* 38.**

[23] **CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 13.**

[24] **Cfr *Relatio ante disceptationem* (11 Aprilis 1994), 34: *L'Osservatore Romano,* 13 Aprilis 1994, p. 5.**

[26] **PAULUS PP. VI, Adhort. Ap. *Evangelii nuntiandi* (8 Decembris 1975), 75: *AAS* 68 (1976), 66.**

adiutrix industria férvidas per preces, altam meditationem, idonea incepta, copiarum collectionem.[26]

De *apto* et *credibili* modo nuntii Ecclesiae in Africa fieri non potuit quin disceptationes complecterentur cogitationem de *ipsa credibilitate praeconum huiusmodi nuntii.* Recta via, sinceritate maxima, omnis indulgentiae impatientes Patres agitaverunt quaestionem. Eadem hac de re prius iam tractaverat Pontifex Paulus VI qui memorandis omnino vocibus admonuit: « Saepius... homines dictitant aetatem nostram sitire sinceritatem ac veritatem rerum. Adulescentes praesertim dicuntur abhorrere prorsus ab omni falsa vel ficticia rerum natura, atque contra requirere totam earum veritatem et claritatem. Haec signa temporum magnam Nobis suadent vigilantiam. Etenim vehementer semper — sive taciti sive magna voce — nos interrogant: Creditisne vos ipsi ea quae dicitis? Vivitisne ea quae creditis? Praedicatisne revera ea quae vivitis? Plus quam umquam alias testimonium vitae sic factum est pernecessaria condicio plenae efficacitatis praedicationis. Quapropter, ecce in nos ipsos tamquam auctores quadamtenus recidit omnis progressus et effectus Evangelii, quod proclamamus ».[27]

Haec ideo ratio est cur de Ecclesiae officio evangelizandi in iustitiae pacisque provincia ipsi dixerimus: « Magis quam umquam sibi conscia est Ecclesia suum nuntium socialem prius in *operum testimoniis* auctoritatem et fidem habiturum, quam in ipsius congruentia interioreque ratione ».[28]

22. Hoc etiam loco commonendum est octavum Coetum Plenarium S.C.E.A.M., qui Lacupoli in Nigeria anno MCMLXXXVII evenit, luculenter iam quaestionem excussisse de credibili aptoque modo nuntii Ecclesiae in Africa. Declaravit idem ille consessus pendere fidem Ecclesiae auctoritatemque in Africa ex Episcopis ac sacerdotibus qui vitae testimonium in exemplum dare possint Christi vestigia secuti; sodalibus religiosis revera fidelibus, veris testibus ob suam rationem colendi evangelica consilia; ab actuoso laicatu, parentibus penitus credentibus, educatoribus suorum officiorum consciis, politicis moderatoribus alto morali sensu permotis.[29]

23. Die vicesimo tertio mensis Iunii anno MCMLXXXIX cum Sodales alloqueremur Consilii Secretariae Generalis, valde quidem postulavimus ut uni-

[26] Cfr *Relatio ante disceptationem* (11 Aprilis 1994), 34: *L'Osservatore Romano,* 13 Aprilis 1994, p. 5.

[27] Adhort. Ap. *Evangelii nuntiandi* (8 Decembris 1975), *Io: AAS* 68 (1976), 67.

[28] Litt. Encycl. *Centesimus annus* (1 Maii 1991), 57: *AAS* 83 (1991), 862.

[29] Cfr Nuntius VIII Coetus Plenarii S.C.E.A.M. (19 Iulii 1987): *La Documentation catholique* 84 (1987), 1024-1026.

versus Dei populus, omnibus in ordinibus, praesertim in Africa partes ageret proprias in Coetu Speciali apparando. « Si bene parata erit — inquimus — Synodi sessio efficiet ut singulae communitatis christianae partitiones, christifideles, parvae communitates, paroeciae, dioeceses atque institutiones locales, nationales et internationales ea re implicentur ».[30]

Inter Pontificatus Nostri exordia et incohatum Coetum Specialem pro Africa Synodi Episcoporum decem potuimus apostolica peragere itinera in Africa ac Madagascaria atque invisere triginta sex nationes. In peregrinationibus apostolicis convocationem illius Coetus Specialis subsecutis argumentum Synodi ac necessitatis ipsius, nempe ut omnes fideles ad Specialem Coetum sese compararent, insigniter pertractatum est semper Nostris in congressionibus cum Dei Populo in Africa. Usi pariter sumus occasionibus visitationum *ad limina* Episcoporum illius continentis ut adiutricem omnium sociatamque operam incitaremus ad Specialem pro Africa apparandum Coetum. Tribus porro datis opportunitatibus transegimus Nos, una cum Consilio Secretariae Generalis Synodi, consessus operi navando in solo *ipso Africano:* in urbe Yamoussoukro in Litore Eburneo (anno MCMXC), Luandae in Angola (anno MCMXCII) et Kampalae in Uganda (anno MCMXCIII), usque vocantes Afros ipsos ut veluti una voce industriam impigram suam ad Synodalis Coetus praeparationem conferrent.

24. Cum autem deinde die vicesimo quinto mensis Iulii anno MCMXC *Lineamenta,* in urbe Lomé in Togo, praebita sunt nempe occasione noni Conventus generalis S.C.E.A.M., factus alius est novus ac praecipuus passus in via ad Specialem parandum Coetum. Immo vero dici plane licet edita illa *Lineamenta* Synodi praeparationem apud cunctas Africae particulares Ecclesias protinus iniisse. Coetus S.C.E.A.M, in urbe Lomé *Precationem pro Coetu Speciali* adhibuit petivitque ut tam privatim quam publice persolveretur universis in Africae paroeciis usque ad ipsam Synodi celebrationem. Prosperum admodum fuit hoc consociationis S.C.E.A.M, inceptum neque in reliqua omni Ecclesia universali illud silentio est praeteritum.

Quo praeterea latius ipsa disseminarentur *Lineamenta,* curaverunt complures Episcoporum Conferentiae nec non singulae dioeceses documentum in linguas illas convertendum, verbi causa in sermonem Swahilianum, Arabicum, Malgascium aliosque sermones. « Libelli sunt editi, acroases sunt ha-

[30] **Allocutio ad Consilium Secretariae Generalis Coetus Specialis pro Africa Synodi Episcoporum (23 Iunii 1989), 6: *AAS* 82 (1990), 76.**

bitae atque conventus de Synodi argumentis variis ab Episcoporum Conferentiis, Theologiae Institutis et Seminariis, Consociationibus Institutorum vitae consecratae, a quibusdam actis diurnis, commentariis maioris ponderis, a singulis Episcopis ac Theologis ».[31]

25. Maximas ex animo reddimus omnipotenti Deo grates ob curam illam sedulam qua Synodi *Lineamenta* ac *Instrumentum laboris*[32] composita sunt. Opus illud susceptum peractumque est ab Afris ipsis, Episcopis et peritis, iam inde a Commissione antepraeparatoria Synodi mense Ianuario et Martio anno MCMLXXXIX. Commissioni successit dein Consilium Secretariae Generalis Coetus Specialis pro Africa Synodi Episcoporum a Nobis die vicesimo mensis Iunii anno MCMLXXXIX institutum.

Gratissimam insuper mentem testamur coetui operis, quoniam tam bene Eucharisticas Liturgias ad aperiendam claudendamque Synodum disposuerunt. Coetus ille, qui theologos complectebatur et Liturgiae peritos nec non versatos in cantibus et Africanis instrumentis liturgicae actionis, ita efficere voluit ut Nostram ad voluntatem illi clara pervaderentur indole Afra.

26. Hoc loco addere oportet Afrorum responsionem hortationi Nostrae redditam, ut nempe apparandae Synodo communiter operarentur, mirabilem revera fuisse. Recepta sunt *Lineamenta* tum intra quam extra ecclesiales communitates Africanas et quidem studio quod longe omnem excessit exspectationem. Iis *Lineamentis* usae sunt complures Ecclesiae locales ut fideles concitarent et congregarent, et iam nunc incipiunt se prodere Synodi effectus novo ex fervore ac renovata Africae Christianorum conscientia.[33]

Per omnes gressus praeparationis Coetus Specialis plurima membra Ecclesiae in Africa — clerus, religiosi et religiosae, laici — iter synodale ingressi sunt exemplari modo, « una ambulantes » suasque conferentes quisque dotes Ecclesiae ministerio ac simul ardenter pro Synodi felici exitu precantes. Ipsi Synodi Patres in Coetu synodali non semel adseveraverunt officium suum adiutum esse in primis « accurata subtilique huius Synodi prae-

[31] SYNODUS EPISCOPORUM, Coetus Specialis pro Africa, *Relatio Secretarii Generalis* (11 Aprilis 1994), VI: *L'Osservatore Romano,* 11-12 Aprilis 1994, p. 10.

[32] Cfr SYNODUS EPISCOPORUM, Coetus Specialis pro Africa, Ecclesia in Africa et eius munus evangelizationis sub Annum 2000: « Eritis mihi testes » *(Act* 1,8), *Lineamenta,* Città del Vaticano 1990; *Instrumentum laboris,* Città del Vaticano 1993.

[33] Cfr *ibid.,* Ex triginta quattuor Conferentiis Episcopalibus Africae et Madagascariae, opiniones suas patefecerunt triginta et una, reliquae autem tres id facere non potuerunt ob adiuncta difficilia in quibus versabantur.

paratione, quae exacta est actuosa totius in Africa Ecclesiae participatione omnibus in ordinibus »z[34]

27. Gentium Apostolus nuntiat nobis: « Deus omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus et Mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus» ***(1 Tim*** 2, 4-6). Quandoquidem ad unam eandemque sortem, quae est divina, universos Deus invitat homines, « Tenere debemus Spiritum Sanctum cunctis possibilitatem offerre ut, modo Deo cognito, huic paschali mysterio consocientur ».[35] Redimens enim Dei amor omne complectitur hominum genus, unamquamque stirpem tribum nationemve: populos igitur etiam Africanae Continentis omnes amplexatur. Voluit etiam divina Providentia ut Christi passioni interesset Africa in Simonis Cyíenensis persona, qui a Romanis militibus coactus est ut Domino Crucem báiulánti sub veniret (cfr ***Me*** 15, 21).

28. Liturgia sacra sextae dominicae Paschatis anno MCMXCIV, intra sollemnem Celebrationem eucharisticam qua terminabatur sessio operis Coetus Specialis, opportunitatem Nobis obtulit enucleandae alicuius notionis de Dei salvifico consilio pro Africa. Locorum Biblicorum unus, ex Actibus Apostolorum excerptus, eventum enarrat qui ***primus gressus in Ecclesiae missione erga paganos*** iudicari potest: narratio enim est de Petro, Spiritu Sancto instigante, cuiusdam pagani domicilium invisente, nominatim centurionis Cornelii. Ad id usque tempus Evangelium praedicatum praesertim Hebraeis erat. Aliquamdiu Petrus cunctatus, a Spiritu illustratus, in domum pagani sese recipere decrevit. Illuc adveniens, magno cum gaudio obstupuit quod centurio iam Christum exspectaret atque baptismum. Tradit liber Actuum Apostolorum: «Et obstupuerunt, qui ex circumcisione fidèles, qui venerant cum Petro, quia et in nationes gratia Spiritus Sancti effusa est; audiebant enim illos loquentes linguis et magnificantes Deum » (10, 45-46).

Pentecostes miraculum in Cornelii aedibus quadamtenus iteratum est. Tunc Petrus ait: «In veritate comperio quoniam non est personarum accepter Deus, sed in omni gente, qui timet eum et operatur iustitiam, acceptus

[34] ***Relatio ante disceptationem*** **(11 Aprilis 1994), 1: *L'Osservatore Romano,* 13 Aprilis 1994, p. 4; cfr *Relatio post disceptationem* (22 Aprilis 1994), 1: *L'Osservatore Romano,* 24 Aprilis 1994, p. 8.**

[35] **CONC. OECUM. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 22; cfr *Catholicae Ecclesiae Catechismus,* 1260.**

est illi... Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt sicut et nos? » *(Act* 10, 34-35.47).

Sic enim initum est Ecclesiae munus ***ad gentes,*** cuius princeps praeco futurus dein erat Paulus Tarsensis. Qui primi in Africain mediam appulerunt missionarii cognoverunt miraculum simile illi quod Christiani experti sunt temporibus apostolicis coram Spiritus Sancti effusione.

29. Consilium Dei pro Africae salute primas agit partes in disseminatione Ecclesiae in Continenti Africa. Cum tamen Ecclesia secundum Christi voluntatem sua ex natura missionaria sit, sequitur Ecclesiam in Africa vocari ad partes actuosas sumendas pro salvifico Dei consilio. Qua ex causa saepe diximus « Ecclesiam Africanam esse Ecclesiam missionariam Ecclesiamque simul in missione ».[36]

Specialis pro Africa Coetus Synodi Episcoporum officium habuit considerandi modos quibus Africani melius mandatum complere poterunt quod resuscitatus Dominus suis discipulis dedit: « Euntes ergo docete omnes gentes » *(Mt* 28, 19).

CAPUT II

ECCLESIA IN AFRICA

I. IN CONTINENTI EVANGELIZATIONIS BREVIS HISTORIA

30. Die ipso quo Coetus Specialis pro Africa Synodi Episcoporum incohavit, primus nempe huius generis, Synodales Patres magnalia quaedam commemoraverunt, quae Deus in historia Africanae evangelizationis operatus est. Quae historia ab ipso Ecclesiae ortu repetit memoriam. Evangelii disseminatio in Africa varias per aetates est effecta. Primis fidei christianae saeculis Aegyptus et Africa septentrionalis evangelicum nuntium receperunt. Secunda aetas regiones illius continentis complectens quae infra Saharam sunt sitae, saeculis XV et XVI est peracta. Tertia aetas, quae magno missionario impetu designatur, saeculo XIX initium cepit.

31. Episcopos alloquens veneratus Decessor Noster Paulus VI omnesque Africae populos, ut corporale spiritaleque bonum proveheretur, fulgidum praeteriti temporis splendorem christianae in Africa fidei nitidis verbis memoriam revocavit: « Convolat scilicet cogitatio Nostra ad christianas Africae

[36] **Allocutio in Audientia generali diei 21 Augusti 1985, 3: *Insegnamenti* VIII, 2 (1985), 512.**

Ecclesias, quarum origo a temporibus apostolicis ducitur, atque, prouti traditum est, nomine et doctrina Marci Evangelistae decoratur. Memoriam pariter repetimus innumerae sanctorum, martyrum, confessorum virginumque multitudinis, ad easdem Ecclesias pertinentium. Re namque vera a II ad IV saeculum p. Ch. n. in aquiloniis Africae partibus christianorum vita multiplici operum genere enituit, quorum non pauci sive divinarum rerum doctrina sive orationis colore longe inter aequales praestiterunt. Continuo enim occurrunt magnorum doctorum scriptorumque nomina: hoc est Origenis, S. Athanasii, S. Cyrilli, scholae videlicet luminum, quae Alexandrina vocatur; in opposita autem superioris Africae ora, nomina eminent Tertulliani, S. Cypriani, in primis vero S. Augustini, qui sane christianae gentis clarissima lux est putandus. Commemorare etiam iuvat insignes sanctos eremitas Paulum, Antonium, Pachomium, primos illius monasticae vitae conditores, quae subinde, eorum praelucente exemplo, per Orientis et Occidentis regiones propagata est. Inter ceteros demum silentio praeterire nolumus S. Frumentium, Abba Salama appellatum, qui episcopali dignitate a S. Athanasio auctus, Aethiopiae apostolus exstitit».[37] Haec prima per Africanae Ecclesiae saecula, quaedam quoque mulieres sua testimonia Christo reddiderunt. Inter eas peculiariter sanctae Felicitas et Perpetua, sancta Monica et sancta Tecla sunt memorandae.

« Porro tum clara virtute homines, tum praestantissimi sanctissimique Summi Pontifices, in Africa orti, id est Victor I, Melchiades et Gelasius I, communi veluti hereditate ab universa possidentur Ecclesia. Auctorum vero christianae Africae scripta maximi momenti nostra etiam aetate sunt, ut quis, sacris Litteris illustratum, rerum gestarum historiam pervestiget, atque cognoscat, quae ad hominum salutem attinent. Attamen, dum veterum Africae christianae laudum redintegramus memoriam, eas impensa prosequi observantia placet Ecclesias, quibus haud plena utimur communione: Ecclesiam dicimus Graecam Alexandrini Patriarchatus, Ecclesiam Coptam Aegypti et Ecclesiam Aethiopicam. Ipsae enim communes cum catholica Ecclesia et doctrinam et spiritualem disciplinam hereditarias habent a magnis Patribus sanctisque viris, qui non modo ad earum regiones, sed ad universam etiam Ecclesiam antiquam pertinent. Huc accedit quod tot egregia opera patraverunt durasque acerbitates perpessae sunt, ne umquam per varietatem temporum christianum nomen in Africa restingueretur ».[38] Ecclesiae hae

[37] **Nuntius *Africae Terrarum* (29 Octobris 1967), 3: *AAS* 59 (1967), 1074-1075.**

[38] ***Ibid.,* 3-4, l.m., 1075.**

nostris quidem temporibus christianum vigorem testificantur, quem ex suis apostolicis radicibus deprompserunt, in Aegypto potissimum atque in Aethiopia necnon, usque ad XVII saeculum, in Nubia. In reliqua continentis parte alia aetas tum incipiebat evangelizationis.

32. XV et XVI saeculis, ab Africanum litus lustrantibus Lusitanis, mox evangelicus nuntius in regiones infra Saharam inductus est. Qui labor et nisus, cum in alias regiones, tum in nationes illas sunt conversi, quas nunc Beninum, Insulas S. Thomae, Mozambicum, Angolani atque Madagascariam vocamus.

Die VII mensis Iunii anno MCMXCII, Pentecostes sollemnitate contingente, cum Luandae D anni commemorarentur evangelizationis Angolae, inter alia effati sumus haec: « Apostolorum Actus nomine proprio significant diversorum locorum incolas, qui testes fuerunt ipsi Ecclesiae orientis Spiritus Sancti virtute. Haec autem omnes dicebant: "Audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei" (*Act* 2, 11). Abhinc D annos, huic linguarum concentui Angolanae gentes accesserunt. Tunc temporis, in patria vestra Africana, Hierosolymitana Pentecostes renovata est. Avi vestri Evangelii nuntium audiverunt, quod est Spiritus loquela. Eorum corda primo verbum hoc acceperunt et ipsi caput inclinarunt in baptismi lavacrum, in quo homo, Spiritu Sancto operante, cum Christo cruci affixo moritur atque in eius resurrectione noviter renascitur [...]. Certe idem Spiritus homines fide imbutos concitavit, primos scilicet missionarios, qui anno MCCCCXCI ad Zairensis Fluminis ostium appulerunt, Pindam nominatim, heroica sane missionaria incohantes facinora. Idem etiam Spiritus, qui sua quidem ratione in hominum cordibus operatur, Nzinga-a-Nkuwu, clarum Congi regem, permovit ut missionarios ad Evangelium nuntiandum arcesseret. Idem Spiritus quattuor primorum Angolae christianorum vitam sustentavit, qui, postquam ex Europa remigraverant, fidei christianae praestantiam sunt testati. Primos post missionarios, alii multi ex Lusitania aliisque Europae nationibus venerunt, qui incohatam operam producerent, proferrent et firmarent ».[39]

Quaedam episcopales sedes eo tempore conditae sunt, atque inter huius missionalis curae primos eventus consecratio reponenda est Domini Henrici, episcopi titulo Uticensis, filii Domini Alfonsi I, Congi Regis, quae Romae facta est anno MDXVIII a Leone X. Itaque Dominus Henricus primus factus est Episcopus indigena Africae nigrae.

[39] **Homilia in V evolvente centenaria memoria Angolae evangelizationis (Luandae, 7 Iunii 1992), 2: *AAS* 85 (1993), 511-512.**

Illo quidem tempore, anno videlicet MDCXXII, Decessor Noster Gregorius XV Congregationem ***De Propaganda Fide*** stabilem reddidit, quo melius missionale opus componeret et proveheret.

Ob varii generis difficultates, secunda aetas Africanae evangelizationis saeculo XVIII concluditur, cum missiones, in regionibus infra Saharam sitae, paene omnes exstinguuntur.

33. Tertia ordinatae evangelizationis Africanae aetas saeculo XIX initium cepit, quod tempus spectabili quodam studio nisuve denotatur, claris agentibus apostolis et Africanarum missionum fautoribus. Aetas haec celere incrementum vidit, quem ad modum rationes significant quae in synodali Conventu Congregationis pro Gentium Evangelizatione commonstrant.[40] Perstudiose Christo vocanti respondit Africa. His superioribus proximis decenniis complures Africae nationes primam suae evangelizationis centenariam memoriam celebraverunt. Quod Africana Ecclesia iam centum hosce annos aucta est, hoc est mirum quoddam Dei beneficio adscribendum.

Gloria et splendor huius temporis Africanae evangelizationis insigniter collustrantur a sanctis quos recens Africa Ecclesiae donavit. Paulus VI diserte quidem hanc rem significavit, cum in Petriana Basilica martyres Ugandenses in sanctorum catalogum rettulit, Missionali Die Universali contingente anno MCMLXIV: « Hi igitur Martyres Africani albo victorum, quod est martyrologium, paginam addunt, qua res simul funestissimae et magnificae perhibentur: paginam dicimus, sane dignam, quae adiungatur egregiis illis narrationibus veteris Africae. [...] Africa enim, sanguine horum Martyrum irrorata, qui primi sunt huius aetatis (et utinam, Deo volente, postremi, cum holocaustum eorum tantum sit tamque pretiosum!), libera et sui iuris facta renascitur ».[41]

34. Catalogus sanctorum quos Africa Ecclesiae donat, qui catalogus summo est ei honori, producitur usque et extenditur. Quo modo non commemoremus inter recentiores Clementinam Anwarite, virginem et martyrem Zairensem, quam in Africano solo in numerum Beatorum rettulimus anno MCMLXXXV, Victoriam Rasoamanarivo Madagascariensem et Iosephinam Bakhita Sudaniensem, ipsas quoque Pontificatu evolvente Nostro in Beatorum

[40] **Cfr Situazione della Chiesa in Africa e Madagascar (alcuni aspetti e osservazioni):** ***L'Osservatore Romano,*** **16 Aprilis 1994, pp. 6-8; GENERALE ECCLESIAE RATIONARIUM, Ecclesia in Africa: numeri et rationes:** ***L'Osservatore Romano,*** **15 Aprilis 1994, p. 6.**

[41] **Homilia in sollemni canonizatione beatorum Caroli Lwanga, Matthiae Mulumba Kalemba et viginti sociorum Martyrum Ugandensium (18 Octobris 1964):** ***AAS*** **56 (1964), 905-906.**

numerum adscriptas? Atque cur Isidorum Bakanja, Zairensem martyrem, non recordemur, quem, Coetu Speciali pro Africa occurrente, honori duximus in Beatorum album referre?

« Aliae Causae progrediuntur. ***Africana Ecclesia martyrologio suo conscribendo consulere debet,*** claris primorum saeculorum hominibus [...] recentiorum aetatum addendo martyres et sanctos

Pro Ecclesiae Africanae ingenti incremento his proximis centum annis, coram sanctitatis fructibus qui inde obvenerunt, una dumtaxat interpretatio exhibetur: haec omnia Dei donum sunt, quandoquidem nullus humanus nisus breviore quidem tempore huiusmodi opus complere poterat. Attamen immodico humano triumpho non datur locus. Clarum splendorem Africanae Ecclesiae commemorantes, Patres Synodales mirabilia solummodo celebrare voluerunt, quae Deus Africae liberandae servandaeque gratia patravit.

« A Domino factum est istud
et est mirabile in oculis nostris» ***{Ps*** 118, 23).
« Quia fecit mihi magna, qui potens est,
et sanctum nomen eius» ***(Lc*** 1, 49).

35. Magnificum Ecclesiae Africanae incrementum et peracta opera magna ex parte gratuito strenuoque labori sunt tribuenda quem missionariorum agmina per saecula sustinuerunt. Id quidem ab omnibus agnoscitur. Benedictum Africae solum monumentis strenuorum Evangelii praeconum distinguitur.

Cum Africae Episcopi Romam ad Coetum Specialem celebrandum convenerunt, sibi prorsus erant conscii de grati animi officio, quod eorum continens erga fidei avos habet.

In sermone, quem in prima congressione Coetus S.C.E.A.M, die xxxi mensis Iulii anno MCMLXIX habuit, Paulus PP. VI de hoc grati animi officio mentionem fecit: « Vos Afri vestri ipsorum iam estis missionarii. Ecclesia Christi revera hoc in benedicto solo complantata est (cfr Decr. ***Ad gentes,*** 6). Officium quoddam est nobis explendum: illorum repetere debemus memoriam qui in Africa ante vos, et hodie quoque vobiscum, Evangelium nuntiarunt, quem ad modum Sacrae Litterae nos monent: "Mementote praepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis imitamini fidem" ***(Heb*** 13, 7). Historia haec

[42] IOANNES PAULUS PP. II, Homilia in extrema celebratione Coetus Specialis pro Africa Synodi Episcoporum (8 Maii 1994), 6: *L'Osservatore Romano,* 9-10 Maii 1994, p. 5.

non est de memoria deponenda; particulari Ecclesiae authenticitatis et nobilitatis notam haurit, notam scilicet "apostolicam"; ea argumentum est caritatis, strenuae virtutis, sacrificii, quod ipso ab ortu magnam sanctamque reddit Africanam Ecclesiam ».[43]

36. Specialis Coetus hoc grati animi officium est exsecuta, in prima sua Congressione Generali, cum declaravit: « Laudes perstudiose sunt *missionariis* tribuendae, viris videlicet et mulieribus omnium Institutorum religiosorum et saecularium cunctisque nationibus, qui fere per duorum millenorum annorum decursum Africanae continentis evangelizationis penitus se dediderunt vitae christianae flammae transmittendae [...]. Quocirca nos, miri huius eventus felices heredes, sollemni hac occasione Deo gratias persolvere volumus ».^

In *Nuntio* ad Dei Populum Synodales Patres vehementer quidem missionariis laudes iterum tribuerunt, at non sunt obliti Africae filios filiasque honore afficere, catechistas potissimum et interpretes, qui cum iis communicarunt operam.*[5]

37. Clararum rerum gestarum missionariarum beneficio, quas hisce duobus saeculis Africana continens vidit, nos Romam convenire potuimus ad Specialem Coetum celebrandum. Semen namque olim iactum uberes fructus fudit. Fratres Nostri in episcopatu, populorum Afrorum filii, id plane testantur. Una cum presbyteris maximam partem evangelizationis opus iam ipsi sustinent. Complures quoque id testantur Africae filii filiaeque, qui antiquis missionariis Congregationibus se mancipant vel nova Instituta, in Afro solo orta, ingrediuntur, suis manibus faculam accipientes absolutae consecrationis in Dei Evangeliique famulatu.

38. Quod intra fere duorum saeculorum spatium catholicorum in Africa numerus celeriter crevit hoc per se ipsum omni ex parte magnus est eventus. In continenti confirmari Ecclesiam quaedam elementa peculiariter demonstrant, quae sunt circumscriptionum ecclesiasticarum magnum celereque augmentum, cleri indigeni incrementum necnon seminariorum tironum et candidatorum Institutorum vitae consecratae, catechistarum numerus

[43] Allocutio in symposio Conferentiarum Episcopalium Africae et Madagascariae (Kampalae, 31 Iulii 1969), 1: *AAS* 61 (1969), 575.

[44] *Relatio ante disceptationem* (11 Aprilis 1994), 5: *L'Osservatore Romano,* 13 Aprilis 1994, p. 4.

[45] Cfr N. 10: *L'Osservatore Romano,* 8 Maii 1994, p. 4.

maior in dies, quorum opera in Evangelium inter Afrorum gentes proferendum collata omnibus liquet. Permagni tandem est momenti ingens Episcoporum nativorum numerus, qui in illa terra iam Hierarchiam constituunt.

Synodales Patres multiplices profectus admodum insignes, quos Africana Ecclesia in culturae adipiscendae ac dialogi oecumenici provincia est consecuta, agnoverunt.[46] Quae porro magna et merito digna in educationis provincia acta sunt, haec ab omnibus perspiciuntur.

Etiamsi catholici quattuordecim centesimae partes Africanae gentis sunt, catholicae institutiones ad sanitatem respicientes septemdecim centesimas valetudinis structurarum totius continentis sibi vindicant.

Quae animose recentes Africae Ecclesiae susceperunt, Evangelium « usque ad ultimum terrae » *(Act* 1, 8) nuntiaturae, omnino digna sunt quae laudentur. Missionaria Instituta in Africa orta numero creverunt atque non modo Nationibus huius continentis missionarios praebere coeperunt, verum et aliis terrarum orbis regionibus. Dioecesani Africae sacerdotes, quorum numerus pedetemptim augescit, promptos paratosve se praebent per aliquod tempus, veluti presbyteros ***fidei donum,*** ad alias dioeceses iuvandas, quae eorum in nationibus vel alibi auxilio indigent. Africanae provinciae Institutorum religiosorum iuris pontificii, seu virorum seu feminarum, sodales suos augeri perspexerunt. Hoc modo Ecclesia Afris populis ministram se praebet; ipsa porro consentit in « donis permutandis » cum aliis particularibus ecclesiis, cuncto Dei populo prae oculis habito, se consociare. Haec omnia certe et perspicue Africanam Ecclesiam suam adeptam esse maturitatem ostendunt: haec profecto effecerunt ut Specialis Coetus Synodi Episcoporum celebraretur.

39. Paulo minus abhinc triginta annis, non paucae Africanae Nationes e colonico imperio se liberaverunt. Quae res magnas exspectationes concitavit quod spectat ad Afrorum populorum politicum, oeconomicum, socialem culturalemque progressum. « Quod sicubi vero — pro dolor! — publicarum rerum status ad optatam firmitatem nondum pervenit, sed vis praeponderavit ac praeponderat, iustum idcirco omnino non est, vel cunctum quendam populum, vel cunctam quandam nationem, vel — quod peius est — cunctam continentem terram una eademque obstringere criminatione ».[47]

[46] Cfr *Relatio post disceptationem* (22 Aprilis 1994), 22-26: *L'Osservatore Romano,* 24 Aprilis 1994, p. 8.

[47] PAULUS PP. VI, Nuntius *Africae terrarum* (29 Octobris 1967), 6: *AAS* 59 (1967), 1076.

40. At quae est re Africanae continentis in universum condicio nostris temporibus, munere potissimum Ecclesiae evangelizantis spectato? Hac de re synodales Patres se interrogaverunt: « In continenti hac, malis nuntiis referta, quomodo christianus nuntius nostro populo fit "bonus nuntius"? Cum omnia incessat desperatio, ubi sunt spes et animus meliora praesagiens, quae secum Evangelium fert? Evangelizatio complura ex illis praecipuis bonis affert, quibus nostra continens penitus caret: affert scilicet spem, pacem, gaudium, concordiam, amorem et unitatem ***b.***[4]*

Postquam iure meritoque confirmarunt esse Africani peramplam continentem, admodum diversis affectam condicionibus ideoque vitandas esse generales rationes sive de quaestionibus ponderandis sive de remediis comparandis, synodalis Coetus dolenter fateri debuit: « Communis condicio ex eo exstat quod Africa difficultatibus repletur: in omnibus fere nostris nationibus terrifica est miseria, paucarum rerum, quae praesto sunt, prava administratio, rerum politicarum moderandarum inconstantia et socialis ordinis perturbatio. Harum rerum exitus est ante oculos nostros, squalor scilicet, bella, desperatio. Quandoquidem terrarum orbis a divitibus imperiosisque nationibus regitur, Africa reapse additamentum quoddam sine auctoritate facta est, quae saepe in oblivione iacet atque ab omnibus neglegitur ».[49]

41. Compluribus synodalibus Patribus hodierna Africa comparari potest cum homine illo, qui descendebat ab Ierusalem in Iericho; ipse incidit in latrones, qui despoliaverunt eum et, plagis impositis, abierunt, semivivo relicto (cfr ***Lc*** 10, 30-37). Africa hodie quaedam est continens, in qua innumeri homines — viri ac feminae, pueri et adulescentes — quodammodo in viarum marginibus iacent, aegrotantes, sauciati, vi destituti, vitae segreges ac derelicti. Omnino ii bonis Samaritanis indigent qui iisdem auxilium ferant.

Quod ad Nos spectat, exoptamus ut Ecclesia patienter perseveranterque in suo boni Samaritani opere sustinendo perseveret. Etenim per longum temporis intervallum, quaedam regimina, hodie exstincta, valde Afros fatigarunt eorumque obnitendi vim extenuarunt: omnes humanitatis suae facultates recuperare debet vulneratus homo. Eiliis filiabusque Africae opus est ut quis adsit et pastoralem sollicitudinem demonstret. Oportet eos iuvare ut suas colligant vires, quae ad bono communi serviendum locentur.

[48] ***Relatio ante disceptationem*** **(11 Aprilis 1994), 2:** ***L'Osservatore Romano,*** **13 Aprilis 1994, p. 4.**

[49] ***Ibid.,*** **4, l.m.**

42. Africa, quamvis magnae sint inibi rerum naturae divitiae, in oeconomica perstat paupertatis condicione. Ea tamen culturalium bonorum necnon humanarum proprietatum eximiarum magnam varietatem possidet, quae Ecclesiis cunctaeque humanitati potest offerre. Synodales Patres nonnulla ex his culturalibus bonis collustraverunt, quae profecto opportunum suppeditant apparatum ad Evangelium transmittendum; bona sunt quae certum subsidium afferre possunt, ut acerbissima illius continentis condicio superetur atque progressio omnium rerum iterum concitetur, ex qua singularum Nationum pendet exoptatus profectus.

Africani alto religionis sensu praediti sunt, sacrarum rerum sensu, Dei creatoris existentiae sensu et rerum spiritualium. Peccatum, in suis tum privatis tum socialibus formis, in illorum populorum conscientia inest, atque necessitas quoque purificationis et expiationis rituum animadvertitur.

43. In Afrorum cultu moribusque, familiae locus in universum primas agit. Patens ad hunc familiae sensum, vitae amorem et observantiam, Africanus liberos diligit, quos festive tamquam Dei donum suscipit. « ***Omnes Africae filii filiaeque vitam diligunt.*** Ipsa vitae dilectio eos iubet avorum cultui tantum tribuere momentum. Duce natura mortuos illos adhuc vivere arbitrantur cum iisque coniuncti manent. Nonne quodammodo haec est ***praeparatio ad Sanctorum communionem credendam?*** Afrae gentes vitam verentur, quae concipitur et nascitur. De hac vita laetantur. Cogitatum respuunt eandem deleri posse, etiamsi "civiles cultus auctiores", qui dicuntur, ad id compellere conantur. Actiones vitae infestae per oeconomicas rationes iis iniunguntur, quae immodico divitum commodo inserviunt fr.[50] Africani reverentiam praestant vitae usque ad naturalem exitum atque locum in familia senibus necessariisque servant aptum.

Afrorum cultus acri humanae necessitudinis vitaeque communis sensu fruuntur. Nulla intellegitur in Africa celebritas quam integer pagus non participet. Reapse, in Africanis societatibus communis vita significatio est ampliatae familiae. Perstudiose sane oramus atque preces flagitamus, ut semper servet Africa pretiosam hanc hereditatem culturalem, numquam vero concedat illecebris individualismi, qui optimis eius moribus omnino est absonus.

44. Etsi quidam condicionum Africae aspectus calamitosi, quos super memoravimus, minime sunt parvi pendendi, operae est pretium memorare

[60] **IOANNES PAULUS PP. II, Homilia in Liturgia Specialis ingrediendi Coetus pro Africa Synodi Episcoporum (10 Aprilis 1994), 3: *AAS* 87 (1995), 180-181.**

quaedam bona a populis illius continentis effecta, digna quae laudentur et confirmentur. Synodales Patres, exempli gratia, in suo ***Nuntio*** ad Populum Dei laetanter memoraverunt complurium Nationum Africanarum incohatum democraticum processum, atque optaverunt ut idem solidetur impedimentaque sollicite amoveantur nec non quae Regimini iuris officiunt abducantur, per omnium primorum consociatam operam et boni communis sensum.[51]

«Mutationis venti» vehementer in multis continentis locis fiant, atque populus ut iura humanaque libertas agnoscantur et provehantur instantius usque flagitat.

Hac de re laeti animadvertimus Africanam Ecclesiam, suae vocationi fidelem, fortiter afflictorum, populorum voce destitutorum et derelictorum sustinere partes. Eandem firmiter concitamus ut hanc testificationem reddere pergat. ***Anteposita pauperum optio*** est « singularis forma primarum partium tenendarum in caritatis christianae exercitatione, quam tota Ecclesiae Traditio testatur [...]. Sollicitudo animos exstimulans de pauperibus, qui secundum significantia verba sunt "pauperes Domini", transferatur oportet, in omnibus gradibus, in actos "concretos", adeo ut cum animi firmitate ad continuas reformationes necessarias perveniatur ».[52]

45. Quamvis adsit paupertas et opes, quae praesto sunt, sint paucae, Africana Ecclesia de totius hominis progressu primas agit. Regimina et internationales periti plurima quae ipsa hac in provincia perfecit saepenumero agnoscunt.

Coetus Specialis pro Africa animum penitus gratum significavit erga « omnes christianos omnesque bonae voluntatis homines, qui in subsidii humanaeque provectionis ambitu operantur, cum nostra ***Caritas*** vel nostris progressioni promovendae institutis ».[53] Quod ipsi, boni Samaritani, Africanis bellis et cladibus obnoxiis, perfugis et profugis suppeditant, id omnium admirationem, gratam memoriam et adiumentum meretur.

Nobis tandem in Africanam Ecclesiam gratus animus est significanda pro officio quod ipsa saeculorum decursu ad pacem reconciliationemque promovendas sustinuit, ubi contentiones, res novae bellave intestina exstiterunt.

[51] Cfr N. 36: *L'Osservatore Romano,* 8 Maii 1994, p. 5.

[52] IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Enc. *Sollicitudo rei socialis* (30 Decembris 1987), 42-43: *AAS* 80 (1988), 572-574.

[53] *Nuntius Synodi* (6 Maii 1994), 39: *L'Osservatore Romano,* 8 Maii 1994, p. 5.

II. QUAESTIONES ECCLESIAE IN AFRICA PRAESENTES

46. Africanis Episcopis duae prostant primariae quaestiones: quomodo Ecclesia evangelizandi munus anno bismillesimo adventante explere debet? Quomodo christiani Africani Domini Iesu testes usque fideliores fieri poterunt? Ut interrogationibus his aeque respondeatur, Africani Episcopi, in ipso Coetu Speciali atque etiam ante, praecipuas numeraverunt provocationes, quas hodie ecclesialis communitas Africana obire debet.

47. Primum praecipuumque illud animadverterunt Synodales Patres, Africanas gentes Deum sitire. Ne tali exspectatione frustrentur, Ecclesiae membra fidem suam in primis animo comprehendere debent.[54] Etenim cum sit prorsus evangelizatrix, Ecclesia «suum init opus, Evangelium sibi afferendo ».[55] Oportet ipsa provocationem recipiat hoc comprehensam argumento « de Ecclesia, per suam non intermissam conversionem et renovationem, se ipsam evangelizante, ut credibili ratione valeat mundum evangelizare ».[56]

Synodus plane necessitatem agnovit Bonum Nuntium proclamandi in Africa innumeris hominibus, qui Evangelium nondum receperunt. Ecclesia certe religiones non christianas observat existimatque quas plurimi Africanae continentis homines colunt, quandoquidem ipsae significanter animum exprimunt magnae gentium partis, tamen « neque reverentia et egregia aestimatio huiusmodi religionum neque implicatum genus quaestionum propositarum Ecclesiam inducunt, ut silentio tegat, ad non christianos quod attinet, nuntium Iesu Christi. Contra, ea opinatur hasce multitudines hominum ius habere cognoscendi Christi mysterii divitias (cfr ***Eph*** 3, 8); in quibus, ut arbitramur, tota humana familia invenire potest pienissimo modo ac nulli exspectationi obnoxio, ea omnia, quae quasi temptabünda ipsa perquirat de Deo, de homine eiusque sorte futura, de Vita et morte, deque veritate ».[57]

48. Iure meritoque asseverant Synodales Patres « eximium studium inculturationis verae aequabilisque ad Evangelium respicientis omnino esse necessarium, ut turbatio vitentur et alienatio iii nostra societate, quae cele-

[54] Cfr SYNODUS EPISCOPORUM, Coetus Specialis pro Africa, *Relatio ante disceptationem* (11 Aprilis 1994), 6: *L'Osservatore Romano,* 13 Aprilis 1994, p. 4.

[55] PAULUS PP. VI, Adhort. Ap. *Evangelii nuntiandi* (8 Decembris 1975), 15: *AAS* 68 (1976), 14.

[56] *Ibid.,* l.m., 15.

[57] *Ibid.,* 53, l.m., 42.

riter evolvitur ».[58] Malavium anno MCMLXXXIX invisentes diximus Ipsi: « Nos hodie provocamus vos, provocamus, inquimus, ad respuendam vivendi rationem, quae cum vestris optimis loci moribus cumque fide christiana minime congruit. Multi in Africa homines ultra Africain contuentur, inclinantes "ad libertatem vivendi iuxta recentiorem modum". Hodie vehementer vos cohortamur, *ut intra vos inspiciatis. Vestrarum traditionum divitias respicite,* fidem respicite quam hac in congressione celebravimus. Ibi veram libertatem reperietis, ibi Christum qui ad veritatem vos ducit invenietis ».[59]

49. Alia provocatio quam Synodales Patres collustrarunt ad multiformes pertinet divisiones, quas per dialogum sincere exercendum componere necesse est.[60] Merito sane dictum est intra fines qui ex colonicis regiminibus manarunt, translaticiarum consuetudinum, sermonum et etiam religionum diversarum coniunctam exsistentiam saepe ob mutuas contentiones impedimento esse. « *Tribuum dissentiones* in discrimen vocant, si non pacem, in universum societatis saltem bonum commune adipiscendum, atque difficultates quoque afferunt Ecclesiarum vitae necnon aliarum stirpium pastoribus recipiendis».[61] Quocirca Africana Ecclesia animadvertit se teneri certo officio has divisiones minuendi. Hoc quoque in rerum prospectu Specialis Coetus momentum dialogi oecumenici cum aliis Ecclesiis ecclesialibusque communitatibus explicavit, necnon cum Africana translaticia Religione et Islamismo. Patres etiam sunt percontati quibusnam instrumentis hoc propositum teneri possit.

50. Magni ponderis provocatio, quam ante oculos posuerunt fere unanimiter Conferentiae Episcoporum Africae in responsis illis, quae *Lineamenta* postulabant, christianum matrimonium familiaremque vitam tangit.[62] De summa re agitur: « Ventura enim mundi et Ecclesiae per familiam transeunt ».[63]

[58] *Relatio ante disceptationem* (11 Aprilis 1994), 6: *L'Osservatore Romano,* 13 Aprilis 1994, p. 4.

[59] Homilia in exitu sextae visitationis pastoralis in Africa (Lilongwe, 6 Maii 1989), 6: *Insegnamenti* XII, 1 (1989), 1183.

[60] Cfr SYNODUS EPISCOPORUM, Coetus Specialis pro Africa, *Relatio ante disceptationem* (11 Aprilis 1994), 6: *L'Osservatore Romano,* 13 Aprilis 1994, p. 4.

[61] Cfr PONTIFICIA COMMISSIO «IUSTITIA ET PAX», Documentum *I pregiudizi razziali. La Chiesa di fronte al razzismo* (3 Novembris 1988), 12: *Ench. Vat.* 11, 918.

[62] Cfr SYNODUS EPISCOPORUM, Coetus Specialis pro Africa, *Instrumentum laboris,* 68; *Relatio ante disceptationem* (11 Aprilis 1994), 17: *L'Osservatore Romano,* 13 Aprilis 1994, p. 5; *Relatio post disceptationem* (22 Aprilis 1994), 6, 9, 21: *L'Osservatore Romano,* 24 Aprilis 1994, p. 8.

[63] IOANNES PAULUS PP. II, Adhort. Ap. *Familiaris consortio* (22 Novembris 1981), 75: *AAS* 74 (1982), 173.

Aliud praecipuum officium, quod Specialis Coetus collustravit, curam vocationum sacerdotalium contingit et vitae consecratae: quae sapienter diiudicandae sunt, iis periti educatores consulere debent earumque institutionis natura, quae praebetur, est ponderanda. Ex huiusmodi quaestionis solvendae sollicitudine spes pendet, exitus vocationum missionariorum Africae incrementi, quod Evangelium nuntiandum per omnia continentis loca eiusque quoque extra fines postulat.

51. «In Africa vehementer animadvertitur necessitas Evangelii cum vita concreta copulandi. Quomodo Christus hac in amplissima continenti enuntiari potest, si obliviscimur eam esse inter paupérrimas mundi plagas? Quomodo non considerare possimus fastos, qui aerumnis replentur illius terrae, ubi in multis adhuc Nationibus fames, bella, stirpium tribuumque contentiones, politicae inconstantiae et humanorum iurium violatio grassantur? Haec omnia evangelizationem provocant ».[64]

Omnia praeparatoria documenta, sicut etiam ac sese evolvente conventu disceptationes, insigniter collustrarunt quaestiones, veluti paupertatem in Africa augescentem, vitae urbanae extensionem, internationale aes alienum, armorum commercium, perfugarum profugorumque quaestionem, demographicas quaestiones et minas quibus familiae afficiuntur, mulierum liberationem, illius morbi quod AIDS appellant propagationem, servitutis adhuc in quibusdam locis exstantis condicionem, ethnicarum partium studium et stirpium contentiones, ad praecipuas provocationes pertinere, quas perpendit Synodus.

52. Specialis Coetus egit tandem de communicationis socialis instrumentis, quae res est summi momenti, quandoquidem agitur de evangelizationis instrumentis eodemque tempore de instrumentis novae culturae proferendae, quae quidem evangelizatione indiget.[65] Synodalibus Patribus, ut ita dicamus, triste quiddam occurrit: « Nationes ad progressionem nitentes, potius quam in Civitates sui iuris vertantur, quibus curae sit iter ad communia omnium bona et commoda iure participanda, partes fiunt machinamenti, ingentis nempe cuiusdam rerum conexionis. Hoc saepe fit ipsa in regione subsidiorum viarumque socialis communicationis, quae cum curentur plerumque a sedibus in septentrionalibus orbis plagis, ipsa haud semper iu-

[64] IOANNES PAULUS PP. II, *Angelus* (20 Martii 1994): *L'Osservatore Romano,* 21-22 Martii 1994, p. 5.

[65] Cfr *Nuntius Synodi* (6 Maii 1994), 45-48: *L'Osservatore Romano,* 8 Maii 1994, p. 5.

stam considerationem in priores partes et in quaestiones harum Nationum intendunt neque servant earum humani cultus naturam, sed haud raro distortam vitae hominisque rationem proponunt, ita ut non verae hominum progressionis necessitatibus satisfaciant ».[66]

III. INSTITUTIO OPERATORUM EVANGELIZATIONIS

53. Quibus subsidiis Africana Ecclesia obviam it provocationibus, quas modo memoravimus? Post Christi gratiam, ut plane liquet, maximi ponderis est populi adiumentum. Dei populus — theologico sensu acceptus prout ***Lumen gentium*** explicat, populus scilicet qui totius Corporis Christi membra complectitur — munus accepit, quod simul honor simul officium est evangelici nuntii edicendi [...], Communitas tota necesse est ad evangelizationem instituatur, rationes intellegat et confirmetur, unusquisque intra Ecclesiam pro sua peculiari parte.[67] Idcirco Synodus magnopere extulit momentum institutionis auctorum evangelizationis in Africa. Iam de congrua institutione candidatorum ad presbyteratum et vitam consecratam mentionem fecimus. Coetus pariter in necessariam fidelium laicorum institutionem animum intendit, cum eorum omnino necessarium opus in Africa evangelizanda agnosceret. Potissimum et merito quidem actum est de catechistarum laicorum institutione.

54. Novissima quaestio oritur: satisne Africana Ecclesia laicos instituit ut sua officia civilia perite sustinerent atque politica socialiaque negotia sub Evangelii lumine Deique in fide perpenderent? Opus hoc certe christianos provocat ad socialem compaginem permovendam, ut non modo mens, verum et societatis ipsae structurae immutentur, ita ut Dei de humana familia consilia in iis eniteant. Hanc ipsam ob rem laicorum integram institutionem exoptavimus, quae ut vita omnino congruenter exigatur iuvet. Fides, spes et caritas germani Christi discipuli mores dirigant oportet in cunctis eius operibus, rerum condicionibus et officiis. Quia patet «evangelizare idem revera esse ac Bonum Nuntium exportare in omnes usque coetus generis humani, ut, dum hoc propria vi intrinsecus penetrat, humanitatem

[66] IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Encycl. *Sollicitudo rei socialis* (30 Decembris 1987), 22: *AAS* 80 (1988), 539.

[67] SYNODUS EPISCOPORUM, Coetus Specialis pro Africa, *Relatio ante disceptationem* (11 Aprilis 1994), 8: *L'Osservatore Romano,* 13 Aprilis 1994, p. 4.

ipsam novam efficiat»,[68] Christiani sunt erudiendi in Evangelii socialibus consectariis tenendis, ita ut eorum testificatio prophetica fiat quaedam provocatio adversus omnes res quae Africae ceterarumve continentium virorum mulierumque vero bono officiunt.

CAPUT III

EVANGELIZATIO ET INCULTURATIO

55. « Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae» ***(Me*** 16, 15). Hoc ipsum mandatum discipulis suis Christus ab inferis exsuscitatus credidit, prius quam ad Patrem ascendit: « Illi autem profecti praedicaverunt ubique » ***(Me*** 16, 20).

«Mandatum Evangelii omnibus hominibus nuntiandi primariam naturalemque esse missionem Ecclesiae [audivimus] ... Siquidem evangelizandi munus habendum est gratia ac vocatio Ecclesiae propria, verissimamque eius indolem exprimit. Ecclesia evangelizandi causa exstat ».[69] Ex evangelizandi opere Iesu atque duodecim Apostolorum orta ipsa in vicem mittitur, penes quam « depositum Boni Nuntii hominibus afferendi constitutum est [...]. Ecclesia suum init opus Evangelium sibi afferendo». Deinde «ipsa vicissim evangelizatores mittit. Eos Salutis verbum, quasi in ipsorum ore positum docet ».[70] Quem ad modum Gentium Apostolus Ecclesia dicere potest: «Si evangeliza vero, non est mihi gloria; necessitas enim mihi incumbit: Vae mihi est, si non evangelizavero! » ***(1 Cor*** 9, 16).

Nuntium Bonum adfert Ecclesia non tantum verbi ***nuntiatione*** quod a Domino accepit, verum etiam ***vitae testificatione,*** ob quam fidei reddunt Christi discipuli rationem et spei ac caritatis quae iis insunt (cfr 1 ***Pe*** 3, 15).

Illud autem testimonium, quod Christo Evangelioque reddit Christianus, ad supremum perducere potest sacrificium: martyrium (cfr ***Me*** 8, 35). Eum scilicet et Ecclesia nuntiat et Christianus qui est « signum cui contradicetur» ***(Lc*** 2, 34). Christum namque praedicant «crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam» ***(1 Cor*** 1, 23). Prout superius ediximus, praeter illustres priorum saeculorum martyres, de suis etiam gloriari potest Africa martyribus atque sanctis recentioris aetatis.

[68] **PAULUS PP. VI, Adhort. Ap. *Evangelii nuntiandi* (8 Decembris 1975), 18: *AAS* 68 (1976), 17.**

[69] ***Ibid.,*** **14, l.m., 13.**

[70] ***Ibid.,*** **15, l.m., 15.**

«Eo ... spectat evangelizatio, ut perficiatur haec interior mutatio ut humanitatem ipsam novam efficiat ».[71] Unico in Filio ac per Illum, rationes coniunctionis inter homines et Deum nec non ceteris cum hominibus omnique denique creatura redintegrabuntur. Hac de causa Evangelii nuntiatio ad interiorem transfigurationem aliquid conferre potest omnium bonae voluntatis hominum, qui Spiritus Sancti actioni patens exhibent cor.

56. Evangelium tum voce tum actibus testificari: ecce quod accepit mandatum Coetus Specialis pro Africa Synodi Episcoporum quodque nunc continentis Ecclesiae transmittit. «Eritis mihi testes» *(Act* 1, 8): de hoc agitur, hi ipsi fructus Synodi esse debent in Africa in quaque vitae humanae provincia.

Exorta ex praeconio fortium Episcoporum missionariorumque presbyterorum, quos efficienter adiuverunt catechistae — « laude dignum agmen illud de opere missionum ad Gentes tam optime meritum »,[72] — Ecclesia in Africa, terra « nova Christi patria »[73] facta, officium iam gerit missionis per totam continentem et in orbe: « Vestri iam ipsorum estis Afri missionarii », Kampalae elocutus est Decessor Noster Paulus VI.[74] Maxima quandoquidem incolarum Africae continentis pars Boni Nuntii salutis nondum recepit praeconium, suadet Synodus ut missionariae foveantur vocationes atque obsecrat ut promoveatur actuoseque sustineatur oblatio precum, sacrificiorum, subsidiorum concretorum pro missionali Ecclesiae opere.[75]

57. « Commonet Synodus evangelizare idem prorsus atque annuntiare esse sermone et vita Bonum Iesu Christi Nuntium crucifixi mortui resuscitati, viae veritatis et vitae ».[76] Toti Africae, quae odii violentiaeque undique premitur elementis, contentionibus et bellis, ***spem vitae mysterio paschali innuentem*** proferre debent evangelizatores. Tum enim maxime, cum ipsius vita ad exitum vergere videretur — humana videlicet ratione —, Iesus Eucharistiam instituit « futurae gloriae pignus »,[77] ut in tempore spatioque de

[71] *Ibid.,* 18, l.m., 17.

[72] CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de activitate missionali Ecclesiae *Ad gentes,* 17.

[73] PAULUS PP. VI, Homilia in sollemni canonizatione beatorum Caroli Lwanga, Matthiae Mulumba Kalemba et viginti sociorum Martyrum Ugandensium (18 Octobris 1964): *AAS* 56 (1964), 907-908.

[74] Allocutio ad Symposium Conferentiarum Episcopalium Africae et Madagascariae (31 Iulii 1969), 1: *AAS* 61 (1969), 575; cfr *Propositio* 10.

[75] Cfr *Propositio* 10.

[76] *Propositio* 3.

[77] Hymnus *O sacrum convivium.*

morte sua perpetuaret victoriam. Haec ideo causa est cur Specialis pro Africa Coetus, hoc nempe tempore ipso quo in condicionibus difficilibus quadamtenus Africana versatur continens, se praebere voluerit « *Synodum resurrectionis, spei Synodum... Christus spes nostra vivit ipsique vivemus!* ».[78] Haud ad mortem Africa destinatur, verum ad vitam!

Necesse propterea est « collocetur evangelizatio nova in consortione cum *Christi persona vivente* ».[79] « Eo spectet prima nuntiatio oportet ut homines hanc Christi Iesu experientiam percipiant, quae conturbai inflammatque simul; is enim ad sui sequelam allicit in fidei incepto ».[80] Officium hoc et opus insigniter quidem inde expeditur quod «homo Africanus sua ipsa ex vita traditaque religione Deum conditorem esse credit. Patet igitur plenae ac postremae Dei revelationi in Christo Iesu, qui est Deus nobiscum, Verbum factum caro. Iesus, Bonus Nuntius, Deus est qui Africanum ex oppressione eripit ac servitute ».[81]

Attingere debet evangelizatio « hominem ac societatem omnibus in eorum vitae ordinibus. Variis ipsa sese in operibus ostentat, iis praesertim quae tractavit nominatim Synodus, quae sunt nuntiatio, inculturatio, dialogus, iustitia et pax, communicationis socialis instrumenta ».[82]

Quod munus ut plane succédât, efficiendum est ut «in evangelizatione ad Spiritum Sanctum perpetuus fiat recursus, ut continuata eveniat Pentecostes, in qua habebit, sicut in prima Pentecoste, suum locum Maria».[83] Virtus enim Spiritus Sancti in veritatem omnem integramque inducit Ecclesiam (cfr *Io* 16, 13), cui praeterea concedit ut mundo occurrat, Christum cum fiducia et securitate nuntiatura.

58. Quod ex ore Dei prodit verbum vivum est et efficax nec umquam revertitur ad Eum sine consecutione (cfr *Is* 55, 11; *Heb* 4, 12-13). Sine intermissione ergo illud proclamari oportet atque instare « opportune, importune ... in omni patientia et doctrina» *(2 Tim* 4, 2). Ecclesiae in primis concreditum Dei verbum «propria interpretatione non fit» *(2 P e* 1, 20); Ecclesiae proinde est veram illius suppeditare interpretationem.[84]

[78] *Synodi nuntius* (6 Maii 1994), 2: *L'Osservatore Romano,* 8 Maii 1994, p. 4.

[79] *Propositio* 4.

[80] SYNODUS EPISCOPORUM, Coetus Specialis pro Africa, *Synodi nuntius* (6 Maii 1994), 9: *L'Osservatore Romano,* 8 Maii 1994, p. 4.

[81] *Propositio 4.*

[82] *Propositio* 3.

[83] *Propositio* 4.

[84] Cfr *Propositio* 6.

Ut Dei verbum cognoscatur et diligatur, ponderetur et conservetur in fidelium animis (cfr *Lc* 2, 19.51), conatus sunt multiplicandi ut ad Sacras Litteras accessus facilior reddatur, maxime per conversiones non integras aut integras Bibliorum, peractas quatenus fieri potest aliis etiam adiuvantibus Ecclesiis et ecclesialibus communitatibus, easque auctas adnotationibus lectioni utilibus pro precatione ac studio in domibus vel communitatibus. Biblica praeterea institutio provehenda est cleri ac religiosarum familiarum, catechistarum ac laicorum ipsorum in universum; aptae proin disponendae sunt Verbi celebrationes; apostolatus adiuvandus biblicus, opitulante Centro Biblico pro Africa et Madagascaria aliisque similibus institutis quae usquequaque confirmari sustentarique necesse est. Paucis verbis: danda opera est ut omnium fidelium in manibus iam inde ab infantia Sacra Scriptura inveniatur.[85]

59. Crebrius extulerunt synodales Patres momentum praecipuum quod habet in ipsa evangelizatione insertio in culturam: processus nempe quo catechetica institutio diversis in culturis veluti *concorporatur.*[86] Duplicem motum prae se fert haec inculturatio: hinc «intimam... transfigurationem verorum cultus humani bonorum per ipsam eorum receptionem in rem christianam », illinc vero « nominis christiani insertionem varias in culturas ».[87] Iudicat Synodus inculturationem esse primariam quandam actionem ac necessitatem in particularium Ecclesiarum vita ut revera altis radicibus Evangelium in Africa stabiliatur,[88] «postulatum evangelizationis»,[89] «iter ad plenam evangelizationem»,[90] unam maiorum provocationum pro Ecclesia in Africa appropinquante tertio millennio.[91]

60. « At ubi venit plenitudo temporis » *(Gal* 4, 4), altera Sanctae Trinitatis persona, Verbum, unicus Dei Filius, « incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria virgine et homo factus est».[92] Incarnationis Verbi hoc est excelsum mysterium, quod *in historia* evenit: in temporis ac loci bene circumscriptis adiunctis, aliquem inter populum cui propria erat forma cultus hu-

[85] Cfr *ibid.*

[86] IOANNES PAULUS PP. II, Adhort. Ap. *Catechesi tradendae* (16 Octobris 1979), 53: *AAS* 71 (1979), 1319.

[87] IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Encycl. *Redemptoris missio* (7 Decembris 1990), 52: *AAS* 83 (1991), 299; cfr *Propositio* 28.

[88] Cfr *Propositio* 29.

[89] *Propositio* 30.

[90] *Propositio* 32.

[91] Cfr *Propositio* 33.

[92] Symbolum Nicaenum-Constantinopolitanum, *DS* 150.

mani, quem elegerat Deus quemque etiam comitatus erat totam per salutis historiam, ut per ea quae in illo populo patrabat commonstraret quid universo hominum generi efficere cogitaret.

Lucidum amoris Dei erga homines documentum (cfr ***Rom*** 5, 8), Christus Iesus, vita sua Bonoque pauperibus prolato Nuntio, passione morte et gloriosa resurrectione, peccatorum remissionem nostrorum perfecit nostrique simul cum Deo reconciliationem Patre suo et ex ipsius beneficio etiam Patre nostro. Verbum quod Ecclesia nuntiat, illud omnino est Verbum Dei factum homo, subiectum simul et ipse eiusdem Verbi obiectum. ***Bonus Nuntius est Iesus Christus.***

Uti «Verbum ***caro factum est*** et habitavit in nobis» ***(Io*** 1, 14), ita Nuntius Bonus, sermo videlicet Iesu Christi gentibus nuntiatus, in vitae condicionibus eius auditorum ***inseri debet.*** Ex hoc enim consistit inculturatio, evangelici nempe nuntii insertione ipsas in culturas.[93] Filii namque Dei incarnatio, in quadam certa cultura fuit incarnatio, ob id ipsum quod integra fuit atque concreta.[94]

61. Propter artum ordinatumque vinculum exsistens Christum Iesum inter et verbum quod nuntiat Ecclesia, nuntii revelati inculturatio « logicam » sequi necessario debet ***mysterii Redemptionis*** propriam. Verbi enim incarnatio non momentum est separatum, sed ad « Horam Iesu tendit adque paschale mysterium »: « Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert » ***(Io*** 12, 24). « Ego — inquit Iesus — si exaltatus fuero a terra, omnes traham ad meipsum » ***(Io*** 12, 32). Haec sui ipsius exinanitio, ***kenosis*** haec ad sequentem exaltationem necessaria, iter hoc Iesu et singulorum eius discipulorum (cfr ***Philp*** 2, 6-9), illuminat culturarum occursum cum ***Christo eiusque Evangelio.*** « Unaquaeque cultura necesse est principiis Evangelii transformetur ad paschalis mysterii lumen ».[95]

Ac sub Incarnationis et Redemptionis mysterii luce distinctio facienda est bonorum et maiorum singulis in culturis. Quem ad modum per omnia Dei Verbum nobis simile est factum peccato excluso, sic plane boni Nuntii inculturatio universa vera hominum culturarumque bona accipit a peccato purgata et ad eorum restituta plenam significationem.

[93] Cfr IOANNES PAULUS PP. II, Adhort. Ap. *Catechesi tradendae* (16 Octobris 1979), 53: *AAS* 71 (1979), 1319.

[94] Cfr IOANNES PAULUS PP. II, Allocutio ad Studiorum Universitatem Conimbricensem (15 Maii 1982), 5: *Insegnamenti* V, 2 (1982), 1695.

[95] *Propositio* 28.

Cum ***Pentecostes mysterio*** artos nexus etiam inculturatio habet. Propter Spiritus effusionem et actionem, qui ad unum redigit dona ac talenta, cuncti orbis populi Ecclesiam ingredientes novam experiuntur Pentecosten, proprio sermone unicam profitentur fidem in Christum Iesum ac miracula testificantur sibi a Domino patrata. Spiritus, qui in ordine naturali pristina populorum sapientiae est scaturigo, ad cognitionem totius integraeque Veritatis illuminatione supernaturali perducit Ecclesiam. Vicissim Ecclesia, diversarum culturarum bona sumens, fit ***sponsa ornata monilibus suis (Is*** 61, 10).

62. Officium difficile est hoc magnaeque prudentiae, quia de fidelitate Ecclesiae ipsi Evangelio et Apostolicae Traditioni quaestionem ponit intra perpetuam culturarum progressionem. Iure igitur et merito notaverunt Patres Synodales: « Quod pertinet ad celeres mutationes culturales, sociales, oeconomicas et politicas, Ecclesiae locales nostrae operam dare debebunt cursui sive processui inculturationis usque renovatae, his duabus servatis normis: compositione cum christiano nuntio atque cum universali Ecclesia communione [...]. Quidquid erit, curabitur ne ullus admittatur syncretismus».[96]

« Velut plenam ad evangelizationem via illuc spectat inculturatio ut talem reddat hominem qui Christum Iesum complecti possit tota in summa suae vitae singularis et culturalis, oeconomicae et politicae, unde Deo Patri adhaerere valeat vitamque sanctam, duce Spiritu Sancto, transigere ».[97]

Deo gratias reddens pro fructibus illis, quos inculturationis conamina ad Ecclesiae iam vitam contulerunt in continenti Africana maximeque ad orientales antiquas Africae Ecclesias, suasit Synodus «Episcopis Episcoporumque Conferentiis ut rite animadverterent omnes partes Ecclesiae vitae atque evangelizationis inculturationem continere: theologiam et liturgiam, vitam et structuram Ecclesiae. Quod omne ostendit quam necesse sit inquirantur culturae Africanae tota in ipsarum complexa natura ». Hanc ipsam omnino ob causam hortata Synodus est pastores « ut quam plenissime facultatibus utantur quas vigentes Ecclesiae normae ea in re iam concedunt».[98]

63. Non solum de inculturatione locuta est Synodus, verum eam etiam ad effectum adduxit, recepta in exemplum notione pro evangelizatione Africae ***Ecclesiae*** veluti ***Dei Familiae.***[99] Inibi enim Patres Synodales reppererunt descriptionem naturae Ecclesiae admodum aptam Africae. Effert enim imago illa curam alterius de altero, humanam necessitudinem, fervidam in-

[96] ***Propositio*** **31.**
[97] ***Propositio*** **32.**
[98] ***Ibid.***
[99] **Cfr CONCILIUM OECUMENICUM VATICANUM II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 6.**

dolem rationum et receptionem hominum, dialogum ac fiduciam.[100] Eo igitur evangelizatio tendet ut *Ecclesiam tamquam familiam exstruat,* omni ethnocentrismo amoto immodicoque particularismo, et contendet ut conciliationem provehat veramque diversas inter Stirpes communitatem, favendo necessitudini atque participationi, quod attinet ad ministros et opes particularium Ecclesiarum, sine ulla indebita ordinis ethnici consideratione.[101] «Vehementer quidem exoptatur ut theologiam Ecclesiae-Familiae theologi concinnent, omnibus eiusdem notionis usurpatis divitiis, eiusque complementariam naturam enucleent alus ex Ecclesiae imaginibus».[102]

Hoc autem prius postulat altiorem meditationem de biblico ac translaticio patrimonio quod in dogmaticam Constitutionem *Lumen gentium* Concilium Vaticanum II inclusit. Doctrinam Ecclesiae mirabilis ille locus proponit adhibens imagines ex Sacra Scriptura excerptas, quales sunt Corpus mysticum, Dei populus, templum Spiritus, grex et ovile, domus in qua cum hominibus deversatur Deus. Sponsa Christi est Ecclesia, secundum Concilium, nostraque mater et civitas sancta ac venturi Regni primitiae. Ratio habeatur certe oportebit harum imaginum fervidarum dum, secundum Synodi monitiones, enodabitur ecclesiologia posita in notione Ecclesiae-Familiae Dei.[103] Sic quidem aestimari licebit cuncta sua in ubertate ac plenitudine adfirmationem illam Concilii, unde profecta Constitutio est: « Ecclesia est in Christo veluti sacramentum seu signum et instrumentum intimae cum Deo unionis totiusque generis humani unitatis ».[104]

64. In re, ulla sine iniuria traditionum cuiusque Ecclesiae, sive Latinae sive Orientalis, « *liturgiae* inculturatio excoli debebit, data nempe opera ne quid necessariis in partibus mutetur, quo populus fidelis liturgicas celebrationes melius intellegere vi vereque possit ».[105]

Rursus confirmavit Synodus, etiam cum difficulter doctrinae percipiuntur quamquam longum fuit evangelizationis spatium, vel cum exsecutio doctrinarum graves adhuc secum ferunt pastorales quaestiones praesertim sacramentali in vita, fidelitatem Ecclesiae magisterio servandam esse eodemque tempore personas ipsas esse in iustitia reverendas pastorali cum vera caritate. Hoc autem praeposito, se optare confessa Synodus est ut epi-

[100] Cfr *Propositio* 8.

[101] Cfr *ibid.*

[102] *Ibid.*

[103] Cfr *ibid.*

[104] CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 1. Videantur capita I et II eiusdem.

[105] *Propositio* 34.

scoporum Conferentiae cum studiorum Universitatibus coniunctim operantes atque Institutis catholicis, excitent consilia studiosorum, praesertim quod attinet ad matrimonium, cultum maiorum, spirituum regionem, ut penitus omnes partes ac rationes culturales pervestigentur quaestionum propositarum in re theologica et sacramentali, rituali et canonica.[106]

65. « Habitudo dialogi est vivendi modus proprius christiani intra communitatem, tum etiam cum aliis credentibus virisque et mulieribus bonae voluntatis ».[107] ***Exercendus in primis est dialogus intra Ecclesiam-Familiam*** universis in ordinibus: inter Episcopos, Conferentias episcopales vel Hierarchiae coetus et Sedem Apostolicam, inter Conferentias vel episcopales Conventus variarum Nationum eiusdem continentis atque Conferentias Episcopales aliarum continentium, et, in unaquaque Ecclesia particulari, inter Episcopum et presbyterium, personas consecratas, pastorales operatores ac fideles, sicut et inter diversos intra eandem Ecclesiam ritus. Curabit S.C.E.A.M, sibi providere « structuras et instrumenta unde dialogi huius exercitatio in tuto collocetur»,[108] ut praesertim ordinatae pastorali necessitudini faveatur.

«Cum Christo coniuncti sua in testificatione catholici in Africa admonentur ut ***oecumenicum dialogum*** persequantur universis cum fratribus sororibusque baptizatis ceterarum Confessionum christianarum, ut unitas illa perficiatur pro qua est Christus precatus, sicque ministerium eorum pro continentis populis Evangelium magis reddat credibile ante oculos omnium Deum quaerentium».[109] Huius modi poterit dialogus expleri solidis quibusdam coeptis, qualia sunt oecumenica Bibliorum interpretatio, pervestigatio theologica variorum aspectuum fidei christianae aut exhibitio consociatae testificationis evangelicae pro iustitia et pace atque pro dignitatis humanae observatione. Cura hinc dabitur ut consilia nationalia ac dioecesana pro oecumenismo constituantur.[110] Officium enim in christianos simul coniunctos recidit testimonium Evangelio in tota continenti reddendi. Illuc etiam oecumenismi spectant progressus ut testificationi huic maiorem efficaciam adiungant.

66. « Muslimos quoque bonae voluntatis complecti hoc dialogi officium debet. Christianis haud licet oblivisci complures in animo habere Muslimos

[106] Cfr. *Propositiones* 35-37.
[107] *Propositio* 38.
[108] *Propositio* 39.
[109] *Propositio* 40.
[110] Cfr *ibid.*

fidem imitari Abrahami ac vivendo satisfacere Decalogi postulatis ».[111] Quod ad hoc pertinet ***Synodi Nuntius*** haec in luce ponit: « Caeli terraeque conditor, vivens Deus ac Dominus historiae, Pater magnae illius est familiae quam efficimus nos. Qua talis, testimonium Ei reddere nos vult observantes bona necnon religiosas cuiusque proprias traditiones, hominum promotioni ac progressioni adlaborantes simul omnibus in ordinibus. Nedum is esse cupiat cuius nomine alii occiduntur homines, credentes obstringit vitae servire in iustitia atque in pace ».[112] Animus idcirco singulariter intendetur ut diverbium Islamicum-Christianum ex utraque parte religiosam conservet libertatem cum omnibus iis rebus quas secum infert, non exemptis externis publicis fidei demonstrationibus.[113] Vocantur Christiani et Muslimi ut sese ad provehendum dialogum obstringant qui ab irenismo pessimae notae sit immunis aut a fundamentalismo militante, utque vocem tollant contra rationes politicas et actiones infidas, quemadmodum etiam contra omnem defectum mutuae vicissitudinis, quoad religiosam libertatem.[114]

67. Quod ad translaticiam religionem Africanam pertinet, dialogus serenus ac prudens poterit hinc ab affectionibus noxiosis defendere, quae saepe vim habent in complurium catholicorum vivendi rationem, hincque certis bonis tutis reddendis conferre, qualia sunt fides in Ens Supremum, Aeternum, Creatorem, Providentem iustumque Iudicem, quae cum bono fidei congruunt. Haec immo videri possunt ***praeparatio ad Evangelium,*** quandoquidem continent utilia ***semina Verbi*** apta ad ducendam, sicut iam praeteritis temporibus evenit, magnam personarum multitudinem ad se «aperiendam plenitudini Revelationis in Iesu Christo per Evangelii praedicationem».[115]

Valde reverenter igitur observanterque eos tractari oportet qui religioni translaticiae adhaereant omnemque vitari sermonem ineptum et iniuriosum. Huius inde rei causa in institutionis sacerdotalis ac religiosae domibus aptae praeceptiones tradentur de religione translaticia.[116]

68. Completus hominum progressus — scilicet singulorum progressio hominum totiusque simul hominis, eorum maxime qui pauperiores sunt atque a communitate excluduntur — in intima inest ipsius evangelizationis parte. « Inter evangelizationem et promotionem humanam, seu progressionem et

[111] *Propositio* 41.

[112] Cfr N. 23: *L'Osservatore Romano,* 8 Maii 1994, p. 5.

[113] Cfr. *Propositio* 41.

[114] Cfr *ibid.*

[115] *Propositio* 42.

[116] Cfr *ibid.*

liberationem, interveniunt intima vincula coniunctionis: vincula sunt ordinis anthropologici, quia homo evangelizandus non est aliquid a rebus abstractum, sed persona obnoxia quaestionibus socialibus et oeconomicis; vincula sunt etiam ordinis theologici, quia consilium creationis segregari non potest a consilio redemptionis, quae pertingit usque ad condiciones valde concretas iniustitiae evincendae itemque iustitiae reparandae; vincula sunt etiam ordinis summe evangelici, qui est ordo caritatis: quo modo, enim, mandatum novum proclamari potest, nisi cum iustitia et pace promovetur vera ac germana progressio hominis? ».[117]

Ita, cum ministerium suum publicum in synagoga Nazarethana Dominus Iesus incoharet, messianicum locum apud Isaiam prophetam elegit ut munus explicaret suum: « "Spiritus Domini super me; propter quod unxit me evangelizare pauperibus, misit me praedicare captivis remissionem et caecis visum, dimittere confractos in remissione, praedicare annum Domini acceptum" » *[Lc* 4, 18-19; cfr *Is* 61, 1-2).

Se ideo Dominus mitti arbitratur qui hominum mitiget miseriam omnemque exclusionis devincat formam. Venit enim hominem *liberaturus;* nostram ut in se infirmitatem susciperet venit sibique aegritudines nostras assisceret: « Omne namque Iesu ministerium cum cura eorum cohaeret quotquot circum illum dolore adiiciuntur: qui nempe dolebant, qui paralitici erant, leprosi, caeci, surdi, muti (cfr *Mt* 8, 17) ».[118] Non est profecto admittendum « in evangelizatione neglegi posse vel debere gravitatem maximam ... illarum quaestionum, quae hodie tantopere agitantur et quae respiciunt iustitiam, liberationem, progressionem et pacem in mundo »:[119] de liberatione autem quam evangelizatio proclamat, constat « eam contineri non posse aliqua ratione arta quidem et simpliciter oeconomica, politica, sociali vel doctrinali, sed respicere debere integrum hominem, secundum omnes eius facies et partes, quatenus etiam patet ad "absolutum" quiddam, immo Absolutum, quod est Deus ».[120]

Merito proinde adseverat Concilium Vaticanum II: « Ecclesia quidem, proprium suum finem salutarem persequens, non solum vitam divinam cum homine communicat, sed etiam lumen eius repercussum quodammodo super universum mundum fundit, potissimum per hoc quod personae hu-

[117] PAULUS PP. VI, Adhort. Ap. *Evangelii nuntiandi* (8 Decembris 1975), 31: *AAS* 68 (1976), 26.

[118] SYNODUS EPISCOPORUM, Coetus Specialis pro Africa, *Lineamenta,* 79.

[119] PAULUS PP. VI, Adhort. Ap. *Evangelii nuntiandi* (8 Decembris 1975), 31: *AAS* 68 (1976), 26.

[120] *Ibid.,* 33, l.m., 27.

manae dignitatem sanat et elevat, humanae societatis compaginem firmat, atque cotidianam hominum navitatem profundiore sensu et significatione imbuit. Ita Ecclesia per singula sua membra et totam suam communitatem multa se conferre posse credit ad hominum familiam eiusque historiam humaniorem reddendam ».[121] Ecclesia nuntiat complereque iam Regnum Dei incipit Iesu ingressa vestigiis, quoniam « Regni natura communio est omnium hominum inter se et cum Deo ».[122] Ita quidem « Regnum plenae liberationis et totius salutis hominibus fons est; Ecclesia ergo cum ipsis ambulat et vivit et cum eorum historia ***in solidum*** intime reapse conectitur ».[123]

69. In Verbi Dei Incarnatione verum suum accipit sensum hominum historia; est enim restitutae ***dignitatis humanae*** fundamentum. Per Christum, « qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae » ***(Col*** 1, 15), redemptus homo est; quin immo «Filius Dei, incarnatione sua cum omni homine quodammodo Se univit ».[124] Licet cum Leone Magno ergo exclamare: « Agnosce, o Christiane, dignitatem tuam ».[125]

Christum proinde annuntiare est ***homini propriam dignitatem revelare quae non potest abalienari,*** quamque Deus per unici Filii sui incarnationem restituit. His ita vocibus prosequitur Concilium: « Cum autem Ecclesiae concreditum sit manifestare mysterium Dei, qui est ultimus finis hominis, ipsa homini simul aperit sensum propriae eius exsistentiae, intimam scilicet de homine veritatem ».[126]

Tali praeditus incomparanda dignitate non valet in condicionibus homo vivere vitae socialis et oeconomicae, culturalis et politicae, quae infra humanum sunt ordinem. Hoc ecce theologicum fundamentum contentionis pro singulorum dignitatis defensione, pro iustitia ac pace sociali, pro humana progressione ac liberatione, pro universali hominis et cuiusque hominis processu. Haec ecce causa cur, habita illius dignitatis ratione, progressus populorum — intra singulas nationes et in necessitudinibus inter nationes — perficiendi sint modo ***solidali,*** prout Decessor Noster Paulus VI aptissimis

[121] Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 40.

[122] IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Encycl. *Redemptoris missio* (7 Decembris 1990), 15: *AAS* 83 (1991), 263.

[123] IOANNES PAULUS PP. II, Adhort. Ap. post-synodalis *Christifideles laici* (30 Decembris 1988), 36: *AAS* 81 (1989), 459.

[124] CONC. OECUM. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 22.

[125] *Sermo* XXI, 3: *SCh* 22a, 72.

[126] Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 41.

est elocutus dictis.[127] Hoc ipso in rerum prospectu potuit ille confirmare: « Nemo dubitat progressionem idem valere ac pacem ».[128] Iure propterea dici potest « progressio universalis praesumere dignitatis humanae observantiam quae nec fieri potest nisi in iustitia ac pace ».[129]

70. Fide confirmati ac spe de salvifica Iesu virtute synodales Patres opus suum terminaverunt denuo se obligantes accipere provocationem et officium ut salutis fierent instrumenta variis in vitae adiunctis populorum Africanorum. « Debet Ecclesia — affirmaverunt — pergere propheticum suum explere munus eorumque esse vox quibus non vox est »,[130] ut ubique tribuatur cuique personae humana dignitas ipseque homo praecipua ac veluti media pars sit omnium coeptorum cuiusque regiminis. « Conscientiam appellat Synodus principum nationum atque boni publici auctorum, ut magis ac magis liberationem praestent concordemque suorum populorum progressionem ».[131] Hoc dumtaxat modo ac pretio pax inter nationes conglutinatur.

Illa vero incepta provehat evangelizatio oportet quae perficiendo proficiant et *nobilitando* homini propria in spiritali corporalique vita. De progressu agitur cuiusque hominis et hominis totius, non solum separatim accepti, sed etiam ac praesertim in coniuncto congruentique progressu omnium membrorum alicuius nationis atque omnium terrae populorum.[132]

Repudiare denique devincereque evangelizationem necesse est ea omnia quae hominem deminuunt et destruunt. «Ad exercitationem *ministerii evangelizationis* in re sociali — quod est facies *muneris prophetici* Ecclesiae — pertinet etiam denuntiatio maiorum et iniustitiarum. Oportet tamen declarare annuntiationem semper maioris momenti esse quam denuntiationem, atque hanc seiungi non posse ab illa quae ei veram firmitatem ac vim summarum causarum exponendarum tribuit ».[133]

71. «Ab omni tempore sua designatur Deus communicandi voluntate. Eam diversis quidem rationibus exsequitur. Omnibus enim rebus creatis animantibus vel inanimis concedit ut sint. At cum homine potissimum rationes connectit excellentiores. "Multifariam et multis modis olim Deus locutus

[127] Cfr Litt. Encycl. *Populorum progressio* (26 Martii 1967), 48: *AAS* 59 (1967), 281.

[128] *Ibid.,* 87, l.m., 299.

[129] *Propositio* 45.

[130] *Ibid.*

[131] *Ibid.*

[132] Cfr PAULUS PP. VI, Litt. Encycl. *Populorum progressio* (26 Martii 1967), 48: *AAS* 59 (1967), 281.

[133] IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Encycl. *Sollicitudo rei socialis* (30 Decembris 1987), 41: *AAS* 80 (1988), 572.

patribus in prophetis, in novissimis his diebus locutus est nobis in Filio" *[Heb* 1, 1-2) ».[134] Sua natura Dei Verbum vox est, sermo atque communicatio. Venit enim ille hinc ut redintegraret communicationem et necessitudinem inter Deum atque homines, illinc vero coniunctionis rationes inter ipsos.

In se animum totius Synodi converterunt instrumenta socialis communicationis, quod ad duos aspectus pertinet magni quidem ponderis et inter se completivos: alterum, qua novum atque emergentem orbem culturalem; alterum, qua summam instrumentorum in commodum ipsius communicationis. Iam a principio efficiunt illa novam quandam culturam cui proprius est sermo necnon bona propria atque incommoda definita. Hoc ideo nomine oportet ea, haud secus ac reliquas omnes culturas, evangelizan.[135]

Re quidem vera nostris diebus instrumenta haec non solum peculiarem constituunt iam orbem, verum culturam etiam et formam humanitatis. Atque in hunc quoque orbem mittitur Ecclesia ut Nuntium Bonum salutis inferat. Evangelii praecones illuc igitur *ingredi* debent *seseque sinere* nova hac humanitate et cultura *pervadi,* sed ut congruenter demum ea uti sciant. « Primus huius aetatis areopagus est *scaena communicationis,* quae ad redigendum in unum genus humanum idemque reddendum — uti dici solet — "vicum universum" procedit. Instrumenta communicationis socialis tantum adepta sunt momentum, ut multis sint nuntii monitorii et institutorii praecipuum instrumentum, regulae et consilii ad suas ipsorum, familiares, sociales se gerendi rationes ».[136]

Institutio ergo ad talium instrumentorum usum quaedam certa iam necessitas est, non iis tantum qui Evangelium *nuntiant,* qui ceterum *artem* communicationis habere debent, verum *lectoribus* etiam et *receptofibus* atque *telespectatoribus* qui, ad huius generis communicationis intellegentiam educati, sciant necesse est percipere fructus iudicio acri animoque discernenti.

In Africa autem, ubi *traditio voce facta* uña est notarum illius culturae, decretorium momentum prae se fert talis instructio. Hoc idem genus communicationis commonere debet pastores ipsos, Episcopos praesertim et presbyteros, Ecclesiam in mundum mitti üt *loquatur,* ut Evangelium vocibus gestibusque praedicet. *Tacere ei haud proinde licet,* cum fieri possit ut suo desit officio, nisi quibusdam forte in adiunctis idem silere valet ac dicere et testimonium reddere. Semper idcirco nos praedicare oportet opportune et

[134] SYNODUS EPISCOPORUM, Coetus Specialis pro Africa, *Instrumentum laboris,* 127.

[135] Cfr *Nuntius Synodi* (6 Maii 1994), 45-46: *L'Osservatore Romano,* 8 Maii 1994, p. 5.

[136] IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Encycl. *Redemptoris missio* (7 Decembris 1990), 37, c: *AAS* 83 (1991), 285.

importune (cfr ***2 Tim*** 4, 2), eo consilio ut in caritate aliquid aedificemus veritateque.

CAPUT IV

IN PROSPECTU TERTII MILLENNII CHRISTIANI

I. PROVOCATIONES PRAESENTES

72. Specialis Coetus pro Africa Synodi Episcoporum congregatus est ut Dei Ecclesiae, in continenti diffusae, copia daretur perpendendi munus suum evangelizandi tertio adventante millennio, et praeparandi, sicut iam memoravimus, «ordinatam pastoralem coniunctionem toto in Africano solo et fmitimis insulis ».[137] Hoc munus, sicut antea animadvertimus, ***instantias provocationesque prae se fert, quae ex magnis et celeribus Africanarum societatum mutationibus*** ortae sunt atque ex effectibus, quos civilis cultus universalis inducit.

73. Prima necessitas, ut liquet, ipsa est evangelizatio. Hinc melius usque nuntio imbui debet Ecclesia, quem ei concredidit Dominus. Illinc nuntium hunc testificari debet ipsa nuntiareque hominibus, qui Christum nondum noverunt. Etenim pro iis Dominus Apostolis dixit: « ***Euntes ergo docete omnes gentes » (Mt*** 28, 19).

Quem ad modum Pentecostes die, ***lcerygma*** praedicatum illuc naturaliter spectat, ut audientes ad ***metanoiam*** perducat adque ***Baptismum:*** « Verbi Dei nuntiatio ad ***christianam conversionem*** spectat, plenum nempe sincerumque obsequium erga Christum et eius Evangelium per fidem ».[138] « Conversio autem ad Christum cum baptismo iungitur: quod quidem fit non ex usu Ecclesiae tantum, verum Christi e voluntate qui Ecclesiam suam misit ut discipulos faceret omnes gentes et baptizaret (cfr ***Mt*** 28, 19): hoc evenit etiam ex intrinseca illa necessitate suscipiendae in illo vitae plenitudinis: "Amen, amen dico tibi — docet Iesus Nicodemum —- nisi quis natus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum Dei" ***(Io*** 3, 5). Etenim nos ad Vitam filiorum Dei denuo baptismus generat, cum Iesu Christo coniungit nos atque in Sancto Spiritu ungit: ille igitur haud est simplex conversionis sigillum, quasi ***exterius*** quoddam ***signum*** unde ea monstretur cön-

[137] ***Angelus*** **(6 Ianuarii 1989):** ***Insegnamenti*** **XII, 1 (1989), 40.**

[138] **IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Encycl.** ***Redemptoris missio*** **(7 Decembris 1990), 46:** ***AAS*** **83 (1991), p. 292.**

firmeturque, sed ***sacramentum quod indicat consummatque*** novam hanc ex Spiritu nativitatem, vera et incorruptibilia cum Trinitate vincula contrahit, homines Christi corporis reddit membra, quod est Ecclesia ».[139] Conversionis idcirco iter quod ad baptismum non pervenit, in media via intercipitur.

Homines profecto bonae voluntatis, qui absque sua culpa ad evangelicum nuntium non pervenerunt, at consentanee cum sua conscientia secundum Dei legem vivunt, a Christo et in Christo servabuntur. Cuique namque homini semper praesto est Dei vocatio, quae agnosci vult atque excipi (cfr ***1 Tim*** 2, 4). Ad hanc agnitionem acceptionemque faciliores reddendas Christi discipulis suadetur ne animum remittant ante quam salutis nuntius ad homines cunctos perveniat.

74. Christi nomen etenim unum est in quo statutum est nos salvos fieri (cfr ***Act*** 4, 12). Quoniam in Africa innumeri sunt homines nondum evangelizatio Ecclesiae est officium, necessarium sane impellensque, ***Bonum Nuntium hominibus proclamandi eosque qui audiunt ad baptismum adque fidem christianam perducendi.*** « Actionis missionalis necessitas patet ***ex penita novitate vitae*** quam Christus adduxit et ex qua eius discipuli vixerunt. Haec nova vita est donum Dei et postulatur ab homine ut illud accipiat et educat, si vult se ipsum efficere pro sua integra vocatione congruenter Christo ».[140] Nova haec vita in ipsa Evangelii proprietate, morum et cultus cuiusvis in orbe terrarum populi quasdam abruptiones secum fert, quoniam Evangelium numquam est quiddam quod ex aliqua natione intrinsecus oritur, sed semper « extrinsecus » venit, desursum venit. Magna provocatio Baptizatis erit vitae christianae congruentia cum baptismatis officiis, quae mortem peccato significant et cotidianam resurrectionem ad vitam novam (cfr ***Rom*** 6, 4-5). Hac dempta congruentia, Christi discipuli difficulter sal ***terrae*** et ***lux mundi (Mt*** 5, 13.14) esse possunt. Si Ecclesia in Africa studiose ac sine cunctatione hanc viam ingreditur, Crux in qualibet Continentis parte figi potest, ut populi serventur qui Redemptori aditum recludere non dubitant.

75. In omnibus ecclesialis vitae ordinibus summi momenti est institutio. Nemo enim fidei veritates reapse cognoscere potest quas numquam didicit neque quicquam agere potest ad quod numquam est institutus. Quapropter « communitas tota necesse est ad evangelizationem instituatur, rationes intellegat, confirmetur, unusquisque intra Ecclesiam pro sua peculiari par-

[139] ***Ibid.,*** **47, l.m., 293-294.**
[140] ***Ibid.,*** **7, l.m., 255-256.**

te ».[141] Hoc quoque respicit ad Episcopos, presbyteros, sodales Institutorum vitae consecratae, Consociationum vitae apostolicae nec non Institutorum saecularium sodales atque cunctos fideles laicos.

Fieri non potest quin missionalis institutio praecipuum teneat locum: « Opus localis Ecclesiae est institutio missionalis cum auxilio quidem missionariorum ipsorum eorumque Institutorum nec non ministrorum iunioribus ex Ecclesiis. Haud vero est haec industria existimanda versari velut in vitae christianae margine, sed medio in eius puncto ».[142]

Ratio autem institutoria laicorum formationem in primis complectetur, qui plene munus suum christianae actuositatis in temporali provincia (politica, culturali, oeconomica, sociali) gerant, quod est proprium officium saecularis vocationis laicatus. Hac de re ne neglegatur laicos peritos validisque rationibus permotos confirmare, ut ad negotia publica se convertant,[143] in quibus, per dignam honorum procurationem « bono communi consulere et simul Evangelio viam sternere possint ».[144]

76. Ecclesia in Africa ut evangelizatrix sit, in primis Evangelium sibi afferre debet. « Ipsi necesse est, ut continenter audiat et id in quod credit, et suae spei rationes, et novum amoris praeceptum. Quatenus Dei populus, qui mundo inseritur ac saepe idolis tentatur, ipsa constanti necessitate premitur, ut nuntiationem excipiat magnalium Dei ».[145]

In Africa hodie «fidei institutio [...] nimis saepe in primis rudimentis stetit, atque factionibus commodo est emolumento haec ignoratio ».[146] Quapropter illud instat ut serio fides pervestigetur, quia celeres societatis mutationes novas provocationes induxerunt, quae potissimum cum condicionibus familiaris eradicationis, studii incolendae urbis, vacuitatis operis, iunguntur itemque cum rerum materialium variis illecebris, cum quadam in saeculum inclinatione atque tandem cum illa quadam mentis perturbatione, quae no-

[141] SYNODUS EPISCOPORUM, Coetus Specialis pro Africa, *Relatio ante disceptationem* (11 Aprilis 1994), 8: *L'Osservatore Romano,* 13 Aprilis 1994, p. 4.

[142] IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Encycl. *Redemptoris missio* (7 Decembris 1990), 83: *AAS* 83 (1991), 329.

[143] Cfr SYNODUS EPISCOPORUM, Coetus Specialis pro Africa, *Nuntius Synodi* (6 Maii 1994), 33: *L'Osservatore Romano,* 8 Maii 1994, p. 5.

[144] CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de apostolatu laicorum *Apostolicam actuositatem,* 14.

[145] PAULUS PP. VI, Adhort. Ap. *Evangelii nuntiandi* (8 Decembris 1975), 15: *AAS* 68 (1976), 14.

[146] IOANNES PAULUS PP. II, Sermo Conferentiae Episcoporum Cammaruniae habitus (Iaunde, 13 Augusti 1985), 4: *Insegnamenti* VIII, 2 (1985), 378.

tionum congeriem parit parum ponderatarum, quas instrumenta communicationis socialis effundunt.[147]

77. Christiani non modo sunt instituendi ut technicam peritiam consequantur ad fidei elementa melius transmittenda, at etiam oportet sibi penitus de his sint conscii, ut eadem efficaciter in sua vita testificentur. Quotquot ad Evangelium nuntiandum vocantur, Spiritui perquam oboedientes operentur, qui « hodie, quemadmodum initio Ecclesiae, in unoquoque Evangelii praecone operatur, modo se ei tradat dirigendum ».[148] « Equidem evangelizationis artes bonae sunt; sint tamen illae absolutae atque perfectae, nequeunt secreto Spiritus instinctui sufficì. Vel diligentissime adhibita praeconis praeparatio, nihil agit sine Illo; quaevis dialectica, nisi Illo spirante, est ad hominem permovendum impar; disciplinae tum sociologicae tum psychologicae inventa, subtilia licet, sine Illo, nullius virtutis deprehenduntur ».[149]

Verum testimonium, a fidelibus reddendum, hodie in Africa omnino est necessarium, ut fides sincerum in modum enuntietur. Peculiari modo oportet ii mutuum sincerumque amorem testificentur. « Haec est vita aeterna, "ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti, Iesum Christum" ***(Io*** 17, 3). Missionis finis ultimus est efficere ut communio participetur, quae est inter Patrem et Filium. Discipuli vivere debent ex unitate inter se, manentes in Patre et in Filio, ut cognoscat mundus et credat (cfr ***Io*** 17, 21-23). Significans hic textus missionalis ostendit in primis nos esse missionarios ***ob id quod sumus*** qua Ecclesia, quae alte vivit ex unitate in amore, potius quam ***ob id quod dicimus vel facimus*** ».[150]

78. Ob vehementem persuasionem ***«fidem culturamque non modo culturae ipsius beneficio verum et fidei componi*** », quoniam « fides quae cultura non fit, haud plene accipitur, haud plane percipitur, haud fideliter in vitam transfertur »,[151] Specialis Coetus pro Africa Synodi Episcoporum inculturationem censuit principem necessariumque obtinere in Africae particularium Ecclesiarum vita locum, sicque tantum Evangelium in christianis continen-

[147] Cfr *ibid.,* 5, l.m.

[148] PAULUS PP. VI, Adhort. Ap. *Evangelii nuntiandi* (8 Decembris 1975), 75: *AAS* 68 (1976), 65.

[149] *Ibid.,* l.m., 65-66.

[150] IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Encycl. *Redemptoris missio* (7 Decembris 1990), 23: *AAS* 83 (1991), 269-270.

[151] IOANNES PAULUS PP. II, Sermo Internationalis Conventus participibus ecclesialis motus culturalis officii habitus (16 Ianuarii 1982), 2: *Insegnamenti* V, 1 (1982), 131.

tis communitatibus solidas radices agere posse. Concilium Vaticanum II[152] subsequentes, synodales Patres inculturationem processum quendam iudicarunt totum christianae vitae spatium complectentem — theologiam, liturgiam, mores, structuras —, profecto iure divino non violato neque Ecclesiae magna disciplina, per saeculorum decursum miris fructibus virtutis et heroismi confirmata.[153]

In Africa inculturationis provocatio in eo est ut discipuli Christi melius usque evangelicum nuntium approprient, sincera Africae bona minime respuentes. Eidem omnibus vitae christianae humanaeque provinciis inserere, idcirco est arduum opus, quod tantum explicari potest Domini Spiritu assidente, qui Ecclesiam ducit ad omnem veritatem (cfr ***Io*** 16, 13).

79. Dialogi provocatio est, denique, provocatio immutationis, quae hominum, Nationum populorumque necessitudines in vita religiosa, politica, oeconomica, sociali culturalique contingunt. Dilectionis Christi omnes in homines est provocatio, quam dilectionem discipulus in sua vita imitari debet: « In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis: si dilectionem habueritis ad invicem» ***(Io*** 13, 35).

« Evangelizatio Dei cum hominibus dialogum producit, qui dialogus in Iesu Christi persona culmen attingit ».[154] Ipse per crucem inimicitiam in se interfecit (cfr ***Eph*** 2, 16) quae homines alios ab aliis distrahit.

Atqui, licet exstet hodiernus civilis cultus « vici universalis », qui dicitur, in Africa sicut alibi in mundo, dialogi mens, pacis reconciliationisque longe abest ut habitet in hominum cordibus. Bella, contentiones, ab aliis alienigenisque stirpibus aversio nimis adhuc in humanas necessitudines dominantur.

In Africa Ecclesia necessarium esse animadvertit se locum verae fieri pro omnibus reconciliationis, per suorum filiorum Aliarumque testimonia. Sic, cum aliis ab aliis ignoscitur atque mutuo ii reconciliantur, veniam et reconciliationem mundo exhibere possunt, quas Christus, Pax nostra (cfr ***Eph*** 2, 14), per Ecclesiam hominibus praebet. Alioquin cuiusdam aciei magis magisque habebit speciem terrarum orbis, ubi solummodo propria cuiusque commoda vigent atque ***violentiae lex*** imperat, quae ex necessitate humanitatem ab optato ***civili amoris cultu*** abducit.

[152] Cfr Decr. de activitate missionali Ecclesiae *Ad gentes,* 22.

[153] Cf. *Propositio* 32; CONC. OECUM. VAT. II, Const. de Sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium,* 37-40.

[154] *Propositio* 38.

II. FAMILIA

80. « Ventura mundi et Ecclesiae aetas per familiam transit ».[155] Enimvero non modo familia prima est cellula ecclesialis communitatis vivae, verum et societatis. In Africa potissimum familia cardo habetur totius societatis. Quocirca Synodus familiae evangelizationem censet maximam principalemque rem, si volumus eandem vicissim sumere partes ***subiecti activi*** sub prospectu evangelizationis familiarum per familias.

Quod ad pastoralem rem attinet, hoc vera est provocatio, si politicae, oeconomicae, sociales culturalesque difficultates considerantur quibus in Africa a familiis occurrendum est, universalibus exstantibus societatis huius temporis immutationibus. Quamvis recipiat bona quae novitas suppeditat, Africana familia essentialia bona sua servare debet.

81. Hac de re Sancta Familia quae, secundum Evangelium (cfr ***Mt*** 2, 13ss.), per aliquod tempus in Africa vixit, est ***«christianarum exemplar familiarum omnium»,***[156] ***«exemplar et spiritalis fons»*** pro unaquaque christiana familia.[157]

Ut Pauli VI verba referamus in Terram Sanctam peregrinatoris, «Nazareth schola est quaedam ubi Iesu vita intellegi coepta est: schola est ***Evangelii.*** [...] Hic, hac in schola necessitatem intellegere debent spiritalem disciplinam adipiscenda qui Christi discipuli fieri velint ».[158] In Nazarethano mysterio alte meditando Paulus VI tríplices monitiones excipiendas suadet: ***silentii*** scilicet, ***vitae familiaris, laboris.*** Nazarethana in domo suam quisque missionem agit, plane cum ceteris Sanctae Familiae membris consentiens.

82. Viri mulierisque dignitas ex eo manat quod Deus cum hominem creavit, ***«Ad imaginem Dei*** creavit illum; masculum et feminam creavit eos» ***(Gn*** 1, 27). Sive vir sive mulier «ad imaginem Dei» creati sunt, intellegentia scilicet ac voluntate et ideo libertate praediti. Id demonstrat de protoparentum peccato narratio (cfr ***Gn*** 3). Psalmista sic incomparabilem hominis dignitatem cantat: « Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum » ***(Ps*** 8, 6-7).

[155] IOANNES PAULUS PP. II, Adhort. Ap. *Familiaris consortio* (22 Novembris 1981), 75: *AAS* 74 (1982), 173.

[156] *Ibid.,* 86, l.m., 189-190.

[157] Cfr *Propositio* 14.

[158] Homilia in Basilica Annuntiationis Nazareth (5 Ianuarii 1964): *AAS* 56 (1964), 167.

Uterque ad imaginem Dei creatus, vir et mulier, etsi sunt difformes, quoad humanitatem ***essentialiter aequales*** sunt. « Ambo inde ab exordio personae sunt, dissimiliter ac cetera animantia circumiectorum. Mulier est altera persona in communi humana natura ».[159] Alter alteri opitulatur (cfr ***Gn*** 2, 18-25).

« Deus, homines creans "masculum et feminam", pari donavit personali dignitate virum et mulierem, augens eos iuribus, quae abalienari non possunt, officiisque humanae propriis personae ».[160] Synodus mores illos et consuetudines reprehendit, « quae mulieribus iura ac debitam observantiam adimunt »[161] atque postulat ut inibi Ecclesia contendat ad haec iura servanda.

83. Deus, Pater, Filius et Spiritus Sanctus caritas est (cfr ***1 Io*** 4, 8). « Dei hominumque communio perficitur postremum in Christo Iesu, Sponso, qui amat seque donat ut humani generis Salvatorem, cum illud corpori suo adnectit [...]. Primigenam matrimonii veritatem Ipse patefacit, veritatem "principii", et hominem a cordis duritia liberando idoneum efficit ut eam veritatem integre exsequatur [...]. Revelatio haec ad ultimam suam adducitur plenitudinem tum in amoris dono, quod hominibus defert Verbum Dei sumpta natura humana, tum in sacrificio sui ipsius, quod Iesus Christus in Cruce pro Sponsa sua Ecclesia offert. Eo in sacrificio plane reseratur consilium illud, quod Deus humana impressit in viri ac mulieris natura iam inde ab eorum creatione (cfr ***Eph*** 5, 32-33); baptizatorum itaque Matrimonium efficitur ***solidum signum novi aeternique Foederis,*** Christi sanguine firmati [...] ».[162]

Inter coniuges baptizatos mutuus amor Christi Ecclesiaeque amorem significat. Amoris Christi signum, matrimonium Novi ***Foederis sacramentum*** est. « Coniuges igitur sunt pro Ecclesia recordatio perpetua illius rei, quae in Cruce evenit; sibi vicissim et filiis sunt ***testes*** salutis, cuius eos efficit consortes sacramentum. Illius salutiferi eventus matrimonium, sicut quodvis sacramentum, est memoriale et exsecutio et vaticinium ».[163]

Illud ideo est vitae condicio, sanctitatis christianae via, vocatio quae ad gloriosam resurrectionem adque Regnum perducere debet, ubi « neque nu-

[159] IOANNES PAULUS PP. II, Ep. Ap. *Mulieris dignitatem* (15 Augusti 1988), 6: *AAS* 80 (1988), 1662-1664; *Lettera alle donne* (29 Iunii 1995), 7: *L'Osservatore Romano,* 10-11 Iulii 1995, p. 5.

[160] IOANNES PAULUS PP. II, Adhort. Ap. *Familiaris consortio* (22 Novembris 1981), 22: *AAS* 74 (1982), 107.

[161] *Propositio* 48.

[162] IOANNES PAULUS PP. II, Adhort. Ap. *Familiaris consortio* (22 Novembris 1981), 13: *AAS* *U* (1982), 93-94.

[163] *Ibid.*

bent neque nubentur » *(Mt 22,* 30). Quocirca Matrimonium indissolubilem amorem requirit: propter hanc stabilitatem efficaciter potest prodesse coniugum baptismali vocationi ad effectum plene adducendae.

84. Multa in synodali aula dicta sunt, quae minas significaverunt Africanae familiae hodie instantes. Synodalium Patrum sollicitudines tanto magis intellegebatur propterea quod cuiusdam Nationum Unitarum Conferentiae praeparatorium documentum, Cairensi in urbe mense Septembri anni MCMXCIV actae, in Africano solo, quaedam consilia capere videbatur, haud paucis familiaribus Africae bonis contraria. Factis suis sollicitudinibus, quas antea supra memoratae Conferentiae atque totius orbis terrarum Nationum Moderatoribus patefeceramus,[164] ii rogaverunt atque obsecraverunt ut familia servaretur: « Nolite pati — clamaverunt — Africanam familiam in suo solo iniuria affici! Ne siveritis Internationalis Familiae Annus fiat annus familiae eversae ».[165]

85. Matrimonium, natura sua, coniuges ipsos transgreditur, cum perpetuandi genus humanum peculiare sustineat officium. Similiter, sua natura, familia fines praetergreditur laris familiaris: ipsa ad societatem dirigitur. « Familia coniungitur cum societate quasi vinculis ratione vitali et ordinata, quoniam eius fundamentum efficit atque perenne alimentum per suum ipsius munus vitae inserviendi: nam ex familia cives nascuntur et in familia primam scholam socialium illarum virtutum inveniunt, quae societatis ipsius vitam animant progressionemque. Ita ex natura vocationeque sua tantum abest ut familia in se concludatur ut aliis etiam familiis et societati aperiatur, proprio sociali officio suscepto ».[166]

His insistens vestigiis, Specialis Coetus pro Africa fatetur evangelizationis finem esse Ecclesiam ut Dei Familiam aedificare, quae est quaedam, etsi incohata, anticipatio Regni in terra. Hac ratione Africanae familiae «ecclesiae domesticae » fient, societatis progressum iuvantes ad vitam magis fraternam adipiscendam. Hac ratione per Evangelium Africanae societates commutabuntur!

[164] Cfr Nuntius dominae Nafis Sadik, Secretariae generalis Conferentiae Internationalis anni 1994 de hominum multitudine et progressu (18 Martii 1994): *AAS* 87 (1995), 190-196.

[165] SYNODUS EPISCOPORUM, Coetus Specialis pro Africa, *Nuntius Synodi* (6 Maii 1994), 30: *L'Osservatore Romano,* 8 Maii 1994, p. 5.

[166] IOANNES PAULUS PP. II, Adhort. Ap. *Familiaris consortio* (22 Novembris 1981), 42: *AAS* 74 (1982), 134.

CAPUT V

« ERITIS MIHI TESTES » IN AFRICA

86. Memoratae provocationes ostendunt quam opportunus fuerit Coetus Specialis pro Africa Synodi Episcoporum: Ecclesiae munus illa in Continenti ingens exstat; ad illud obeundum omnes sociam operam navent oportet. ***Testificatio*** cardinem missionis constituit. Christus suos interrogat in Africa apostolos eisque committit mandatum quod die Ascensionis discipulis dedit: « Eritis mihi testes » ***(Act*** 1, 8) in Africa.

87. Boni Nuntii verbo et opere facta declaratio corda hominum ad ***sanctitatis*** studium aperit, conformationis ad Christum. Sanctus Paulus, in Epistula prima ad Corinthios, loquitur « sanctificatis in Christo Iesu, vocatis sanctis cum omnibus, qui invocant nomen Domini nostri Iesu Christi in omni loco ipsorum et nostro» (1, 2). Evangelii nuntiatio eo etiam tendit ut Ecclesiam Dei aedificet, in exspectatione adventus Regni quod Christus in consummatione saeculi Patri tradet (cfr ***1 Cor*** 15, 24).

« Ingressus in Regnum Dei postulat conversionem mentis ***(metanoia)*** modique se gerendi, nec non vitam testimonii verbis et operibus perhibiti, nutritam in sinu Ecclesiae per Sacramentorum participationem, praesertim Eucharistiae, sacramenti salutis ».[167]

Aditum ad sanctitatem etiam inculturatio constituit, per quam fides in personarum earumque primigeniarum communitatum se inserit vitam. Quemadmodum Christus in incarnatione humanam assumpsit naturam peccato tantum excepto, ita similiter per inculturationem christianus nuntius bona assumit illius societatis cui nuntiatur, seponens quidquid peccato inficitur. Prout alicuius culturae bona explere valet ecclesialis communitas, instrumentum fit per quod illa cultura ad mensuras christianae sanctitatis aperitur. Inculturatio prudenter effecta diversorum populorum culturas mundat et extollit.

Hoc sub prospectu conspicuum obtinet locum liturgia.

Utpote efficax modus proclamandi et colendi mysteria salutis validam dare potest operam alicuius populi extollendis et locupletamus peculiaribus culturae formis. Quapropter competentis auctoritatis erit curare, secundum

[167] ***Propositio*** 5.

exemplaria artificiose eximia, inculturationem illorum elementorum liturgicorum quae, ad normas vigentes, commutari possunt.[168]

I. EVANGELIZATIONIS OPERATORES

88. Evangelizatio operatoribus indiget. Etenim, « quomodo ... invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? Quomodo vero praedicabunt nisi mittantur? » ***(Rom*** 10, 14-15). Evangelii nuntiatio pleno iure fieri potest tantummodo per navam omnium fidelium operam, in quovis gradu sive universae sive particularis Ecclesiae.

Proprium est Ecclesiae particularis, et quidem de Episcopi vigilantia, componere munus evangelizationis, fideles congregando, eos in fide ope presbyterorum et catechistarum confirmando, in singulis adimplendis missionibus eos sustentando. Hunc ad finem, dioecesis necessarias instituet structuras congressionum, colloquiorum consiliorumque capiendorum. Earum auxilio Episcopus opportune diriget operam presbyteris, religiosis et laicis navandam, cuiusque dona accipiendo et charismata, quae profectui renovati et efficacis operis pastoralis suppeditet. Magnam utilitatem hoc sub aspectu afferent varia Consilia de quibus vigentes Iuris Canonici normae loquuntur.

89. Patres Synodales statim quidem agnoverunt Ecclesiam-Familiam plenam suam Ecclesiae mensuram ostendere posse, ea sola condicione ut in satis parvas communitates distribuatur, quae artioribus humanis vinculis faveant. Proprietates harum communitatum ita summatim a Coetu sunt expositae: sedes sint in quibus praesertim propriae evangelizationi provideatur unde dein Bonus Nuntius ceteris deferatur; quapropter sedes sint oportet orationis et auditionis Verbi Dei, in quibus sodales ipsi plenam adipiscantur conscientiam sui oneris in vitae ecclesialis tirocinio; et insuper sedes recogitationis, Evangelio illustrante, de diversis humanis quaestionibus. Peculiari modo in iis contendendum erit ut universalis colatur Christi amor, qui praetergreditur fines necessitudinum naturalium gentium, tribuum aliorumque id genus coetuum.[169]

90. Laici edoceantur ut magis magisque conscii fiant ordinis quem in Ecclesia obtinere tenentur, hoc modo honorem tribuentes missioni quae illo-

168 *Qf, Propositio* 34.
169 cfr *Propositio* 9.

rum quatenus baptizatorum et confirmatorum propria est, secundum doctrinam Adhortationis Apostolicae Postsynodalis ***Christifideles laici***[170] et Litterarum Encyclicarum ***Redemptoris missio***.[171] Hi ergo per apta Instituta vel Scholas biblicae et pastoralis formationis ad hoc expediantur. Simili ratione christiani qui auctoritatem exercent accurate edoceantur ad politicum, oeconomicum et sociale munus per validam institutionem de sociali Ecclesiae doctrina, ut Evangelium fideliter testificentur in sua quisque laboris sede.[172]

91. «Catechistarum munus in Africa magni ponderis fuit et esse pergit sive in condenda sive in dilatanda Ecclesia. Synodus monet ut catechistae non tantum initiali institutione augeantur [...], sed etiam in posterum doctrinali instruantur formatione ac morali spiritalique auxilio sustententur ».[173] Tam Episcopi quam presbyteri causam ex animo suscipiant catechistarum, contendentes ut dignis vivendi operandique condicionibus illi fruantur, unde recte munus suum exsequi valeant. Eorum opera a christiana communitate agnoscatur et honoretur.

92. Synodus appellationem fecit apertam ut singulae christianae familiae fiant « praeeminens evangelicae testificationis locus »,[174] vera « ecclesia domestica »,[175] communitas credens et evangelizans,[176] communitas cum Deo colloquens[177] atque propensa ad homini liberaliter inserviendum.[178] « Parentes in sinu familiae, verbo vitaeque exemplo, primi sint oportet qui fidem filios doceant ».[179] « Hac in sede eminentiore modo exercetur ***baptismale sacerdotium*** patris, matris, filiorum, omnium familiae membrorum "per Sacramentorum participationem, per orationem et gratiarum actiones, per testificationem

[170] Cfr IOANNES PAULUS PP. II, Adhort. Ap. post-synodalis *Christifideles laici* (30 Decembris 1988), 45-56: *AAS* 81 (1989), 481-506.

[171] Cfr IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Encycl. *Redemptoris missio* (7 Decembris 1990), 71-74: *AAS* 83 (1991), 318-322.

[172] Cfr *Propositio* 12.

[173] *Propositio* 13.

[174] *Propositio* 14.

[175] CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 11.

[176] Cfr IOANNES PAULUS PP. II, Adhort. Ap. *Familiaris consortio* (22 Novembris 1981), 52: *AAS* 74 (1982), 144-145.

[177] Cfr *ibid.,* 55, l.m., 147-148.

[178] Cfr *ibid.,* 62, l.m., 155.

[179] *Catholicae Ecclesiae Catechismus,* 1656, qui memorat CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 11.

vitae sanctae, per donationem et actuosam caritatem". Lar familiaris ita primaria fit schola vitae christianae nec non "schola humanarum virtutum" ».[180]

Parentum erit christianam filiorum institutionem curare. Consilia et certa subsidia quaerendo a validis, serenis et responsalibus familiis christianis, dioeceses ordinare poterunt apostolatum familiarem in ambitu consociatae actionis pastoralis. Quippe cum sit « ecclesia domestica », solidis culturae fundamentis et copiosis bonis traditionis familiaris Africanae subnixa, familia christiana invitatur ut apud societatem celeribus et magnis mutationibus obnoxiam valida sit cellula christianae testificationis. Synodus peculiarem huius appellationis instantiam persensit in contextu Anni Internationalis Familiae dicati, quem tunc Ecclesia simul cum universa communitate celebrabat.

93. Ecclesia in Continenti Africana probe novit iuventutem esse non tantum praesentia humanitatis sed praesertim futura. Iuvenes igitur adiuventur oportet ad superanda quae ipsorum progressionem coercent impedimenta, qualia sunt litterarum ignorantia, segnitia, fames, medicamenta stupefaceva.[181] Ut adversus has provocationes occurratur, iuvenes vocandi sunt, qui sui ambitus veri sint evangelizatores. Illis enim nemo melior praeco esse potest. Opus est ut ***pastoralis iuvenum ratio*** in consociata dioecesium et paroeciarum actione pastorali ita expresse contineatur, ut opportunitas iuvenibus tribuatur quam celerrime percipiendi praestantiam donationis sui, quae primarium iter est ad personae protectionem.[182] Ad rem quod attinet, celebratio Diei Internationalis Iuventuti dicati offertur tamquam praecipuum instrumentum actionis pastoralis iuvenum, idoneum ad eorum institutionem per orationem, studium et meditationem provehendam.

94. « In Ecclesia Dei familia, ***vita consecrata*** peculiarem obtinet locum, non modo ut omnibus ad sanctitatem vocationem demonstret, verum etiam ut in communitate vitam fraternam testificetur. Quapropter consecrati ut suae vocationi respondeant invitantur, communionis et cum suis quisque Episcopis clericis laicisque cooperationis spiritu permoti ».[183]

In hodiernis missionis in Africa condicionibus, oportet ut religiosae vocationes vitae contemplativae atque activae provehantur, eaedem prudenter

[180] *Catholicae Ecclesiae Catechismus,* 1657, qui memorat CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 10 et Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 52.

lai (xf, *Propositio* 15.

[182] Cfr *ibid.*

183 *Propositio* 16, quae palam memorat CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 43-47.

ante omnia seligantur atque solida humana spiritalique, apostolica missionariaque, biblica theologicaque disciplina erudiantur. Haec institutio procedentibus annis constanter certoque ordine est renovanda. De novis religiosis Institutis magna cum prudentia sagacique mente est agendum, ob oculos rationibus habitis, quas Concilium Vaticanum II enuntiavit quasque canonicae normae vigentes tradunt.[184] Instituta, semel condita, iuvanda sunt ut iuris statum consequantur autonomiamque adipiscantur tum in propriis operibus faciendis tum cuiusque in rebus nummariis suppeditandis.

Synodalis Coetus, postquam monuit « Instituta religiosa quibus non sunt in Africa domus », ne sibi permitti credant « novas vocationes perquirere sine praevio cum Ordinario loci dialogo »,[185] Ecclesiarum localium moderatores itemque vitae consecratae Societatisque vitae apostolicae Instituta est cohortatus, ut dialogum inter se foveant, unde in Ecclesiae-Familiae spiritu permixti sociatae operae coetus constituantur veluti fraternitatis testificatio atque unitatis signum in ministerio communis missionis.[186] Hoc sub prospectu etiam in Synodalium Patrum sententiam discessimus, ut recognoscerentur, si necesse fuerit, quaedam etiam partes documenti ***Mutuae Relationes***™ quo melius in Ecclesia particulari vitae religiosae partes agendae circumscriberentur.[188]

95. « Hodie plus quam umquam — Patres Synodales dixerunt — cura adhibebitur de ***futuris sacerdotibus*** cuiusque Nationis instituendis, ut ipsi vera culturae bona, honestatis sensum, officii conscientiam atque erga promissa fidelitatem consequantur. Doceantur ut illis ornentur virtutibus quae propriae sunt Christi legatorum, germanorum famulorum et auctorum christianarum communitatum [...], ut sacerdotes spiritaliter sint firmi promptique, qui Evangelio se dedant, qui sint ad Ecclesiae bona fideliter ministranda habiles, qui tandem apti sint ad vitam modestam pro loci condicionibus agendam ».[189] Ecclesiarum Orientalium peculiaribus traditionibus observatis, seminarii tirones sic instituantur, « ut veram affectus maturitatem

[184] **Cfr Decr. de activitate missionali Ecclesiae *Ad gentes,* 18 et Decr. de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae caritatis,* 19.**

186 *propositio* 16.

186 cfr *Propositio* 22.

[187] **CONGREGATIO PRO RELIGIOSIS ET INSTITUTIS SAECULARIBUS et CONGREGATIO PRO EPISCOPIS, Notae directivae pro mutuis relationibus inter Episcopos et religiosos in Ecclesia *Mutuae relationes* (14 Maii 1978): *AAS* 70 (1978), 473-506.**

m cfr *propositio* 22.

is» *Propositio* 18.

consequantur atque plane pro comperto habeant sibique sint conscii de inseparabilitate caelibatus sacerdotisque castitate »;[190] ii porro « congruenter doceantur quid significet Christo consecratio in sacerdotio et quem locum occupet ».[191]

96. Ubi pastorales condiciones sinunt ut huius Ecclesiae antiquum ministerium reputetur atque aestimetur, Conferentiae et Episcoporum Coetus de aptioribus rationibus considerabunt et decernent, ut diaconatus permanens promoveatur et sustentetur, «veluti ministerium ordinatum et instrumentum quoque evangelizationis ».[192] Ubi autem diaconi iam sunt, iis impertienda erit accommodata et absoluta institutio.

97. Gratum plane animum significans cunctis sacerdotibus, dioecesanis et Institutorum sodalibus propter expleta eorum opera, atque omnino sibi conscius de postulatis inductis ab evangelizatione populorum Africae et Madagascariae, synodalis Coetus eosdem cohortatus est ut «suam fideliter vivant vocationem, sese penitus missioni dedendo et in plena cum proprio Episcopo communione ».[193] Episcoporum erit continuatam sacerdotum institutionem curare, primis potissimum eorum ministerii annis,[194] praesertim eos adiuvando ad pertractandum sacri caelibatus sensum adque perseverandum in fideli erga illum adhaesione, ut « agnoscant praeclarum illud donum, quod a Patre sibi datum est quodque a Domino tam aperte extollitur, necnon prae oculis habeant magna mysteria, quae in eo significantur atque adimplentur ».[195] Hoc in institutionis itinere peculiariter quoque culturae sani valores sunt observandi, qui proprii sunt ambitus sacerdotum. Oportet praeterea memorare Concilium Vaticanum II « quandam communem vitam » presbyteris suasisse, aliquam scilicet communitatem vitae in diversis formis quas ipsae personales pastoralesque necessitates suadent. Istud spiritus mentisque vitam, apostolicam pastoralemque actionem, mutuam caritatem sollicitudinemque alet, praesertim quod pertinet ad sacerdotes senes, aegrotos et in difficultatibus versantes.[196]

[190] *Ibid.*

[191] *Ibid.*

[192] *Propositio* 17.

[193] *Propositio* 20.

[194] Cfr IOANNES PAULUS PP. II, Adhort. Ap. post-synodalis *Pastores dabo vobis* (25 Martii 1992), 70-77: *AAS* 84 (1992), 778-796; *Propositio* 20.

[195] CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum ordinis,* 16.

[196] Cfr *ibid.,* 8.

98. Ipsi Episcopi omnem curam conferent in Dei Ecclesiam pascendam, quam Deus acquisivit sanguine Filii sui, munus explentes quod iis Spiritus Sanctus concredidit (cfr ***Act*** 20, 28). Iuxta conciliarem monitionem, « ad suum ... apostolicum munus intendant ut Christi testes coram omnibus hominibus »[197] ipsi per se, cum fiducia cooperantes cum presbyterio ceterisque pastoralibus operariis, necessarium quidem unitatis famulatum in caritate exercebunt, sollicite docendi, sanctificandi et regendi munus pastorale sustinentes. Nec relinquent praeterea munus theologicam culturam pernoscendi ac spiritalem vitam roborandi, accedentes ad congressiones, prout fieri poterit, quae ad praesentia accommodatam doctrinam pertractant atque institutionem quas Episcoporum Conferentiae vel Apostolica Sedes comparant.[198] Numquam ex memoria iis erit deponenda S. Gregorii monitio, iuxta quam pastor lux est suorum fidelium, per integros potissimum mores, sanctitate imbutos.[199]

II. EVANGELIZATIONIS STRUCTURAE

99. Est quod laetemur et solacio fruamur quia « fideles laici plus plusque Ecclesiae missioni in Africa et Madagascaria sociantur », praesertim per « dynamicam vim sodaliciorum actionis catholicae necnon consociationum apostolatus et spiritalitatis motuum. Synodales Patres ut hoc studium in omnibus laicatus gradibus, qui adultos complectantur, iuvenes ipsosque pueros, producatur et promoveatur vehementer exoptarunt ».[200]

100. Paroecia natura sua est consuetus vitae cultusque fidelium locus. Ii incepta ibidem suscipere et peragere possunt, quae fides christianaque caritas credentium communitati suadent. Paroecia locus est ubi ***variarum sodalitatum ac motuum communio*** manifestatur, qui ibi spiritale materialeque fulcimentum inveniunt. Sacerdotes laicique omne studium ponent ut paroecialis vita concorditer agatur, in illo Ecclesiae ut familiae contextu, in quo omnes sunt «perseverantes in doctrina apostolorum et communicatione, in fractione panis et orationibus » ***(Act*** 2, 42).

[197] CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de pastorali episcoporum munere in Ecclesia *Christus Dominus,* 11.

[198] Cfr *Propositio* 21.

[199] Cfr *Epistularum liber,* VIII, 33: *PL* 77, 935.

[200] *Propositio* 23; cfr *Relatio ante disceptationem* (11 Aprilis 1994), 11: *L'Osservatore Romano,* 13 Aprilis 1994, p. 4.

101. Communio fraterna ad vivum testimonium Evangelio reddendum finis quoque erit apostolicorum motuum et religiosarum consociationum. Fideles laici peropportunam inibi reapse nanciscuntur occasionem ut farinae sint fermentum (cfr ***Mt*** 13, 33), praesertim quod ad temporalia administranda secundum Deum attinet itemque ad contentionem de humana dignitate provehenda, de iustitia deque pace.

102. « Catholicae scholae sunt evangelizationis simulque integrae institutionis sedes, inculturationis necnon dialogi ediscendi inter iuvenes diversarum religionum et socialium condicionum diversarum ».[201] Ideo in Africa et in Madagascaria Ecclesia operam dabit « scholae pro omnibus » provehendae[202] scholae catholicae in ambitu, minime « discipulorum scholarum non catholicarum christiana institutione neglecta. Studiorum universitatum auditoribus congruentem eorum studiis institutionem religiosam praebebitur ».[203] Haec omnia, ut patet, requirunt humanam, culturalem et religiosam institutorum formationem.

103. Studiorum Universitates et Altiora Instituta catholica in Africa magni ponderis agunt partes in Verbo Dei salutifero nuntiando. Documentum Ecclesiae augescentis sunt quippe cum in suis inquisitionibus perhibeant veritates et fidei experientias componant easdemque ad internitatem redigant. Hae sedes studiorum hac ratione Ecclesiae inserviunt: nam bene excultos homines praebent; quaestiones magni momenti theologicas socialesque vestigant; Africanam theologiam promovent; inculturationis opus, in liturgicis potissimum celebrationibus obeunt; libros edunt et christianam doctrinam effundunt; pervestigationes, quas Episcopi illis committunt, agunt, scientifico studio culturarum operam dant ».[204]

His quidem temporibus, socialibus motibus in continenti ubique exstans tibus, christiana fides efficaciter Africanam societatem illuminare potest. ***« Catholicae culturae sedes*** Ecclesiae singularem occasionem praebent in culturalium mutationum provincia versandi et agendi. Re quidem vera veluti publica sunt fora quae efficiunt ut christiana iudicia de viro, de muliere, de familia, de opere, de oeconomia, de societate, de politica, de internationali

[201] ***Propositio*** **24**
[202] ***Ibid.***
[203] ***Ibid.***
[204] ***Propositio*** **25.**

vita, de rerum denique natura late proferantur ».[205] Ipsa sic fiunt auditionis loca, vicissim obsequii et tolerantiae.

104. Hoc ipso in rerum prospectu, Synodales Patres manifestius significaverunt quem ad modum necesse sit ut omnes christianae communitates suis necessitatibus ipsae, quoad fieri possit, providere valeant.[206] Praeter peritos ministros, evangelizationi opibus materialibus opus est et pecuniariis magni ponderis, atque dioeceses plerumque longe absunt ut illis fruantur. Oportet igitur festinanter Africanae Ecclesiae statuant quam primum suis necessitatibus ipsae consulere, hoc modo prospicientes ut sibi sufficiant. Ideo vehementer quidem Episcoporum Conferentias, dioeceses omnesque communitates christianas Ecclesiarum continentis cohortamur ut magis magisque operam dent, pro suis officiis, ut sibi per se revera prospiciant. Eodem tempore sorores terrarum orbis Ecclesias rogamus, ut Pontificia Missionalia Opera largius fulciant ita ut, per sua auxilii instituta, dioecesibus indigentibus oeconomica adiumenta afferant, cogitatis exsequendis destinata, per quae congerantur opes, quarum auxilio paulatim sibi ipsae dioeceses consulant.[207] Illud autem non est obliviscendum, Ecclesiam quandam propriarum rerum pecuniarumque sufficientiam consequi posse, dumtaxat si populus ei commissus a summa miseria eripiatur.

CAPUT VI

REGNUM DEI AEDIFICARE

105. Mandatum, quod Iesus discipulis dedit in caelum ascensurus, est Ecclesiae Dei in omne tempus et in omnem locum concreditum. Ecclesiae Familiae Dei in Africa est Christus testificandus etiam per provectionem iustitiae et pacis in ea Continenti inque mundo universo. « Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est Regnum Caelorum » (*Mt* 5, 9-10), dicit Dominus. Ecclesiae testimonium coniungi debet cum cuiusque membri populi Dei cura de iustitia atque hominum necessitudine. Hoc peculiare habet momentum in laicis qui publicis funguntur muneribus, quoniam eiusmodi te-

[205] *Propositio* 26.
[206] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de activitate missionali Ecclesiae *Ad gentes,* 15.
[207] Cfr *Propositio* 27.

stimonium spiritus habitum postulat stabilem et vitae rationem fidei christianae consentaneam.

106. Patres synodales, huius testimonii rationem ecclesialem in luce ponentes, sollemniter declaraverunt: « Ecclesia suum propheticum munus exsequi perget eorumque qui vocem non habent vox erit ».[208]

Sed ut hoc efficaciter ad effectum adducatur, Ecclesia, qua communitas fidei, fortis debet esse iustitiae ac pacis testis etiam in suis structuris atque in necessitudinibus inter membra. ***Synodi Nuntius*** animose affirmat: « Ecclesiae Africanae etiam agnoverunt ne in suo quidem sinu iustitiam semper servari erga eos, qui in earum sunt ministerio. Ecclesia debet iustitiae esse testis ideoque confitetur audentem hominibus de iustitia loqui niti debere ut sit eorum in oculis iustus. Idcirco diligenter sunt consideranda acta, bona et Ecclesiae ratio vitae ».[209]

Quod ad iustitiae provectionem attinet et praesertim iurium humanorum fundamentalium defensionem, apostolatus Ecclesiae non potest subitus esse et fortuitus. Conscii in multis Africae Nationibus hominis dignitatem et iura manifeste violari, a Conferentiis episcopalibus postulamus ut, ubi nondum sunt, Commissiones instituant « Iustitia et Pax » variis in gradibus. Harum erit communitates christianas commonefacere evangelicorum officiorum quibus tenentur quod spectat ad iura humana tuenda.[210]

107. Si iustitiae et pacis nuntius est muneris evangelizandi pars necessaria, inde sequitur ut horum bonorum provectio pars quoque sit rationis pastoralis cuiusque communitatis christianae. Eam ob rem necessitati insistimus omnes operatores pastorales apte formandi huius apostolatus prospectu: « Cleri, religiosorum et laicorum institutio in propriis eorum apostolatus provinciis impertita, Ecclesiae doctrinam socialem illustrabit. Quisque, pro suo vitae statu, suorum iurium et officiorum conscius fiet, sensum et servitium discet boni communis, sicut etiam normas honestae bonorum publicorum administrationis probaeque in vita politica praesentiae, ut possit credibiliter contra iniustitias sociales se interponere ».[211]

Ecclesiae, utpote corpori ordinato in media societate et in natione, ius est et officium ut plene operam det societati iustae ac pacificae aedificandae omnibus subsidiis, quae in promptu habet. Est hic mentio facienda

[208] *Propositio* 45.
[209] N. 43: *L'Osservatore Romano,* 8 Maii 1994, p. 5.
[210] Cfr *Propositio* 46.
[211] *Propositio* 47.

eius apostolatus in regione institutionis, curarum ad valetudinem pertinentium, societatis sensificandae aliorumque vigilantiae modorum. Prout his suis industriis confert ad ignorantiam minuendam, ad publicam salutem meliorem reddendam adque maiorem fovendam participationem omnium quaestionum societatis in spiritu libertatis communisque responsalitatis, Ecclesia ad progressum iustitiae et pacis condiciones creat.

108. Hodie, in societate notata multiplicitate, praesertim propter catholicorum sedulitatem in vita publica, potest Ecclesia vim exercere efficacem. Exoptatur ut catholici, sive artium periti sunt vel magistri, sive negotiatores vel magistratus, sive publicae securitatis ministri vel viri civiles, bonitatem, veritatem, iustitiam et amorem Dei in suis cotidianis negotiis testificentur. «Laici [...] est esse sal terrae et lux mundi [...], ibi potissimum, ubi solus potest intervenire ».[212]

109. Officium operam dandi populorum progressioni non tantum ***singulare*** officium est, eoque minus ***individualisticum,*** velut si possibile esset illam privatis cuiusque conatibus consequi; sed ***omni viro omnique mulieri,*** sicut et ***societatibus atque nationibus,*** necessitas est; peculiariter est Ecclesiae catholicae necessitas ceterisque Ecclesiis et Communitatibus ecclesialibus, quibuscum catholici hoc in campo sunt ad operam sociandam parati.[213] Proinde, sicut catholici invitant fratres christianos ad sua incepta participanda, ita invitationibus acceptis ad se conversis, se paratos dicunt ad illa communicanda quae ab illis ineuntur. Ut huic faveatur integro hominis progressui multum catholici facere possunt etiam cum aliarum religionum credentibus, sicut ceteroqui iam fit pluribus in locis.[214]

110. Patres synodales una voce fassi sunt maximam provocationem ad iustitiam perficiendam et pacem in Africa positam esse in negotiis civilibus bene administrandis duarum provinciarum inter se coniunctarum, nempe artis politicae et oeconomiae. Quaedam quaestiones originem trahunt extra continentem ideoque non omnino gubernatorum et rectorum nationum in potestate sunt. Sed Coetus synodalis agnovit multos continentis nodos oriri ex saepe corrupto gubernandi modo. Necessaria est fortis conscientiarum

[212] SYNODUS EPISCOPORUM, Coetus Specialis pro Africa, *Nuntius Synodi* (6 Maii 1994), 57: *L'Osservatore Romano,* 8 Maii 1994, p. 6.

[213] Cfr IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Encycl. *Ut unum sint* (25 Maii 1995), 40: *L'Osservatore Romano,* 31 Maii 1995, p. 4.

[214] Cfr IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Encycl. *Sollicitudo rei socialis* (30 Decembris 1987), 32: *AAS* 80 (1988), 556.

excitatio coniuncta cum affirmata voluntate, ut illae solutiones efficiantur, quae nequeunt amplius differri.

111. In provincia politica, arduo processui exstructionis unitatum nationalium peculiaria obstant impedimenta, cum maior rerum publicarum pars sit satis recens. Altas componere diversitates, inveteratas devincere inimicitias naturae ethnicae et ordinem internationalem sustinere: haec omnia magnam poscunt in arte gubernandi peritiam. Quam ob causam Coetus synodalis fervidam Domino adhibuit precem ut oriantur in Africa rerum ***civilium periti*** — viri atque mulieres — ***sancti;*** ut sancti rerum publicarum moderatores exsistant, qui usque in finem populum suum diligant et ministrare malint quam ministrari.[215]

112. Bonae gubernationis fundamenta legibus niti debent, quae iura protegant civiumque officia constituant.[216] Magno cum animi dolore animadvertimus non paucas Africanas nationes adhuc sub dominationibus imperiosis et crudelibus pati, quae subditis personales libertates negant et iura fundamentalia, praesertim vero libertatem consociationis atque significationis politicae, nec non ius proprios eligendi gubernatores per libera et aequa suffragia. Eiusmodi iniustitiae politicae contentiones gignunt, quae saepe in dimicationes armatas mutantur inque bella intestina, noxiosas consecutiones inducentes, quales sunt annonae difficultates, contagiones, caedes, destructiones, ne de internecionibus, de scandalo deque scelesta perfugaf um calamitate loquamur. Idcirco Synodus iure censuit veram democratiam, pluralismi observantem, « unam esse ex viis praecipuis in quibus Ecclesia graditur cum populo. [...] Laicus christianus, qui secundum Evangelii monitionem democraticis certaminibus invòlvitur, signum est Ecclesiae, quae adesse vult tum cum status iuris tota in Africa constituitur ».[217]

113. Synodus insuper Africanos gubernatores compellat ut apta inducant politica consilia ad provehendum incrementum oeconomicum adque pecuniae collocationes fovendas, ut novae instituantur operae.[218] Hoc postulat ut sanis studeatur rationibus oeconomicis, ut recti principatus statuantur in opibus patriis utendis et distribuendis, interdum quidem exiguis, ita ut necessitatibus praecipuis personarum consulatur caveaturque probae iu-

[216] Cfr *Nuntius Synodi* (6 Maii 1994), 35: *L'Osservatore Romano,* 8 Maii 1994, p. 5.
216 cfr *Propositio* 56.
[217] *Nuntius Synodi* (6 Maii 1994), 34: *L'Osservatore Romano,* 8 Maii 1994, p. 5.
[218] Cfr *Propositio* 54.

staeque beneficiorum atque onerum divisioni. In primis rectorum necessarium officium est ***patrimonium commune*** tueri ab omnibus generibus dissipationis ac repetundarum, quae e civibus oriri solent sensus civilis expertibus aut ex advenis inhonestis. Rectorum quoque est apta aggredi incepta commercii pancosmii ad meliores reddendas condiciones.

Africae quaestiones oeconomicae graviores fiunt quorundam turpium moderatorum improbitate, qui in utilitatibus privatis localibus aut externis opes publicas pro suo commodo intervertunt, pecuniam communem super schedulas privatas transferentes apud exteras argentarías. Furta sunt haec vera, quaecumque est legalis excusatio. Vehementer ominamur ut Instituta internationalia, et Nationum Africanarum aut aliarum mundi Nationum integrae personae, vias iuridicas congruentes suppeditent ad pecunias reducendas immerito surreptas. Etiam in commodanda pecunia permagni refert ut responsalitas probetur atque fides eorum qui pecuniae accipiendae sunt destinati.[219]

114. Qua Coetus Episcoporum Ecclesiae universalis cui Petri successor praefuit, Synodus occasio fuit peropportuna ad utiliter iudicandum Africae locum eiusque partes in Ecclesia universa inque totius mundi communitate. Cum rerum condiciones in quibus vivimus inter se coniunctiores usque sint, variarum regionum sortes et problemata sunt inter se conexa. Ecclesia, utpote quae sit Dei familia super terra, signum vivum esse debet et instrumentum efficax necessitudinis humanae universalis, respectu aedificationis communitatis iustitiae ac pacis equidem tantae, quanta est tota terra. Tunc mundus melior exorietur, si super fundamentis solidis sanorum principiorum moralium ac spiritalium aedificabitur.

In praesenti mundi condicione nationes Africanae in iis inveniuntur quae maxime difficultatibus laborant. Oportet Nationes divitiores clare consciae fiant officii sui sustinendi Nationum conatus, quae de paupertate deque miseria exire contendunt. Ceterum in ipsum Nationum divitum commodum cedit viam necessitudinis eligere, siquidem hoc solo modo humani generis paci concordiaeque stabili consuli potest. Ecclesia autem quae in prosperis Nationibus vivit, adiunctam responsalitatem ignorare non potest quae ei a cura christiana de iustitia et caritate provenit: etenim omnes, viri ac mulieres, Dei imaginem in se gestant vocantur que ut pars sint eiusdem

[219] Cfr *ibid.*

familiae Christi sanguine redemptae: unicuique provideri debet iustus accessus ad opes terrae, quas Deus in communionem omnium contulit.[220]

Non est difficile multas praevidere implicationes effectivas, quae ex eiusmodi dispositione proficiscuntur. Oportet efficiant homines ut in primis meliores reddantur rationes sociales-politicae inter Nationes, maioris iustitiae et dignitatis condicionibus provisis pro iis inter eas quae breviore ex tempore conventum internationalem sunt ingressae ob adeptam libertatem. Oportet deinde propenso animo vox anxia exaudiatur Nationum pauperum, quae auxilium petunt in campis peculiaris momenti quales sunt: cibi insufficientia, vulgatus deterior status habitus vitae, paucitas instrumentorum ad iuvenes formandos, inopia servitiorum ad salutem populi pertinentium nec non socialium elementiciorum, quam sequitur diuturnitas ingruentium morborum, diffusio terribilis pestis, quae morbus AIDS vocatur, debiti internationalis pondus grave et interdum intolerabile, bellorum civilium nefas, quae improbo aluntur armorum commercio, turpe ac miserandum exsulum ac perfugarum spectaculum. Hi nonnulli sunt campi in quibus necessarii sunt interventus immediati, qui sunt prorsus opportuni, quamvis in universum ii insufficientes videantur.

I. SOLLICITUDINIS ELEMENTA

115. Oeconomica paupertatis condicio modo peculiariter pernicioso iuvenes offendit. Hi adultorum vitam ingrediuntur modica cum alacritate propter praesentia non paucis signata frustrationibus et minore etiam cum spe aspiciunt futura utpote quae iis tristia videantur et obscura. Idcirco ad fugienda loca rustica inclinant et ad urbes conveniunt quae, re vera, non multa eis praebent meliora. Eorum non pauci ad exteras nationes migrant tamquam in exsilium, ibique perfugarum oeconomicorum vitam degunt precariam. Cum Synodi Patribus Nostrum esse animadvertimus eorum causam perorare: oportet et urget solutionem invenire eorum impatientiae vitam Nationis et Ecclesiae participandi.[221]

[220] Cfr PAULUS PP. VI, Litt. Encycl. *Populorum progressio* (26 Martii 1967): *AAS* 59 (1967), 257-299; IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Encycl. *Sollicitudo rei socialis* (30 Decembris 1987): *AAS* 80 (1988), 513-586; Litt. Encycl. *Centesimus annus* (1 Maii 1991): *AAS* 83 (1991), 793-867; *Propositio* 52.

[221] Cfr SYNODUS EPISCOPORUM, Coetus Specialis pro Africa, *Nuntius Synodi* (6 Maii 1994), 63: *L'Osservatore Romano,* 8 Maii 1994, p. 6.

Eodem autem tempore iuvenes volumus compellare. Cari iuvenes, a vobis postulat Synodus ut progressus vestrarum Nationum onus, suscipiatis, ut populi vestri culturam ametis illique refovendae operam detis per fidelitatem erga vestram culturalem hereditatem, per spiritum perficiendum ad scientiam adque technicam pertinentem et, potissimum, per fidei christianae testimonium.[222]

116. Hac in scaena generalis paupertatis et servitiorum ad publicam valetudinem spectantium haud aptorum, Synodus considerationem intendit in morbi AIDS pestilentiam, quae in multis Africae plagis dolorem mortemque serit. Repperit ea partes quas mores sexuales improvidi egerunt in morbi AIDS diffusione, hancque enuntiavit hortationem: « Affectus, gaudium, felicitas et pax quae a matrimonio christiano et a fidelitate proficiscuntur, sicut et securitas a castitate manans, fidelibus, praesertim vero iuvenibus, continuo proponantur oportet ».[223]

Omnibus est contra morbum AIDS nitendum. Patrum synodalium voci respondentes Nos quoque ab operatoribus pastoralibus poscimus ut fratribus atque sororibus morbi AIDS peste affectis omne tum materiale tum morale et spiritale solacium ferant quod ferri potest. Ab iis qui scientiis student, et ab iis qui res publicas totius orbis terrarum regunt, instanter petimus ne opibus pareant idoneis ad huic pestilentiae finem imponendum, amore permoti et singularum personarum observantia.

117. Bellorum calamitas, quae Africani dilaniant, est a Patribus synodalibus his significantibus verbis descripta: «Africa theatrum est iam plura decennia bellorum civilium, quae populos imminuunt eorumque naturales culturalesque divitias destruunt ».[224] Acerbissima haec res praeter externas Africae causas, internas quoque habet, quales sunt «nimium studium tribuni, cognatos, gentem suam fovendi, error fanaticus, sitis potestatis, maxima quidem in effrenis absolutisque imperiis, quae hominis iura ac dignitatem impune ludificant. Populi irrisi et elingues redditi, tamquam victimae innocentes et patientes, has omnes iniustitiae condiciones experiuntur ».[225]

Non possumus Nostram vocem non coniungere voci membrorum Coetus synodalis, ut inenarrabilis doloris condiciones arguamus tot certaminibus partas, quae iam sunt vel potentiali vi pollent, utque flagitemus eos, quot-

[222] Cfr *ibid.*
[223] *Propositio* 51.
[224] *Propositio* 45.
[225] *Ibid.*

quot id possunt, ut quam acerrime nitantur eiusmodi casuum luctuosorum finem facere.

Adhortamur insuper, cum Patribus synodalibus, ad actuosam curam de provehendis in illa continenti condicionibus maioris iustitiae socialis iustiorisque exercitii potestatis, ad solum paci praeparandum. « Si vis pacem, age pro iustitia ».[226] Potius est — et etiam facilius — bella praevertere, quam eadem sistere postquam orta sunt. Tempus iam est ut populi confient gladios in vomeres et lanceas suas in falces (cfr ***Is 2,*** 4).

118. Ecclesia in Africa — praecipue per suos curatores — primore in acie versata est in inquisitione solutionum paciscendarum quod ad certamina armata multis in continentis plagis oborta. Hoc pacificationis munus non intermitti debet, prout confirmatur Domini promissione in Beatitudinibus: «Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur» ***(Mt*** 5, 9).

Qui bella in Africa fovent armorum commercio, odiosis criminibus contra genus humanum obnoxii sunt. Nostras facimus, hac de re, hortationes Synodi quae, postquam affirmavit: « Armorum commercium, quod mortem serit, scandalum est », omnes compellavit nationes quae Africae arma vendunt, easdem deprecans « ut hoc desinerent commercium », atque gubernatores Africanos rogavit ut «nimiis sumptibus militaribus renuntiarent, maiores opes in educationem, sanitatem et commodum populorum suorum collatum ».[227]

Necesse est Africa quaerere pergat vias pacificas et efficaces, ut dominationes militares imperium tradant civilibus. Attamen pariter verum est ad peculiare suum munus explendum in natione militares vocari. Idcirco Synodus, dum « fratres milites laudat propter servitium quod nomine praestant populorum nostrorum »,[228] statim « eosdem fortiter monet eos coram Deo se rationem esse reddituros cuiusque actus violentiae contra innocentium vitam ».[229]

119. Unus ex acerbissimis bellorum et difficultatum oeconomicarum fructibus phaenomenon est perfugarum et exsulum, quod phaenomenon, sicut memorat Synodus, mensuras attigit luctuosas. Exitus optimus positus est in pacis iustae restitutione, in reconciliatione inque progressu oeconomi-

[226] **PAULUS PP. VI, Allocutio ad « Civitatem puerorum » habita Die V mundiali pacis (1 Ianuarii 1972): *AAS* 64 (1972), 44.**

[227] ***Propositio* 49.**

[228] ***Nuntius Synodi* (6 Maii 1994), 35: *L'Osservatore Romano,* 8 Maii 1994, p. 5.**

[229] ***Ibid.***

eo: oportet ergo instituta nationum, regionum et totius mundi aeque atque stabiliter perfugarum et exsulum quaestiones expédiant.[230] Interea tamen, quandoquidem continens confertissima laborat perfugarum migratione, instanter rogamus ut iis corporeum feratur auxilium atque pastorale praebeatur praesidium ubi sunt, in Africa nempe vel aliis in continentibus.

120. Quaestio debiti Nationum pauperum erga divites magnam sollicitudinem affert Ecclesiae, sicut ex multis documentis publicis patet et non paucis Sanctae Sedis sententiis in internationalibus congressibus prolatis.[231]

Patrum synodalium nunc verba resumentes, ante omnia Nostrum esse sentimus adhortari « Rerum publicarum gubernatores eorumque magistratus in Africa ne populos debitis opprimant internis et externis ».[232] Deinde oramus obtestamurque « Institutum nummarium orbis terrarum, Argentariam universi mundi, sicut et omnes creditores, ut debita lèvent, quae Africanas comprimunt Nationes ».[233] Vehementer denique poscimus « a Conferentiis Episcopalibus Nationum quaestuosa industria provectissimarum ut huius causae advocati fiant apud suarum Rerum publicarum magistratus aliaque Instituta quorum interest ».[234] Multarum Nationum Africanarum tam gravis est condicio, ut non sinat nos desides esse et neglegentes.

121. Unum ex nostrae aetatis propriis signis est crescens intellegentia dignitatis mulieris eiusque congrui muneris in Ecclesia atque generatim in societate. « Creavit hominem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creavit illum; masculum et feminam creavit eos» ***(Gn*** 1, 27).

Ipsi semel atque iterum fundamentalem declaravimus aequalitatem et locupletantem rationem completivam quae intercedit viro cum muliere.[235]

230 Cfr ***Propositio*** **53.**

231 **Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 86; PAULUS PP. VI, Litt. Encycl. *Populorum progressio* (26 Martii 1967), 54: *AAS* 59 (1967), 283-284; IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Encycl. *Sollicitudo rei socialis* (30 Decembris 1987), 19: *AAS* 80 (1988), 534-536; Litt. Encycl. *Centesimus annus* (1 Maii 1991), 35: *AAS* 83 (1991), 836-838; Epist. Ap. *Tertio millennio adveniente* (10 Novembris 1994), 51: *AAS* 87 (1995), 36, in qua proponitur «internationalis aeris alieni retractatio, si non cuncta eiusdem remissio, quo complures Nationes gravantur» tamquam inceptum opportunum respectu Magni Iubilaei anni Bis Millesimi; PONTIFICIA COMMISSIO « IUSTITIA ET PAX », Documentum *Al servizio della comunità umana: un approccio etico del debito internazionale* (27 Decembris 1986), Città del Vaticano 1986.**

232 ***Propositio*** **49.**

233 ***Ibid.***

234 ***Ibid.***

235 **Cfr Epist. Ap. *Mulieris dignitatem* (15 Augusti 1988), 6-9: *AAS* 80 (1988), 1662-1670; *Lettera alle donne* (29 Iunii 1995), 7: *L'Osservatore Romano,* 10-11 Iulii 1995, p. 5.**

Synodus ad condicionem mulierum in Africa haec accommodavit principia. Earum iura et officia, quod pertinet ad aedificationem familiae atque ad participationem plenae progressionis Ecclesiae et societatis, sunt fortiter illustrata. Quantum proprie ad Ecclesiam spectat, expedit ut mulieres congruenter institutae in gradibus consentaneis participes fiant apostolicae navitatis Ecclesiae.

Ecclesia reprehendit et damnat, prout in variis societatibus Africanis adhuc insunt, omnes « mores et usus qui mulieres iuribus suis privant atque reverentia quae eis debetur ».[236] Valde optandum est ut Conferentiae Episcopales Commissiones speciales instituant ad altius perscrutandum studium quaestionum mulieris opera sociata cum administrationibus publicis quarum interest, ubi fieri potest.[237]

II. BONI NUNTII COMMUNICATIO

122. Multa dixit Synodus de quaestione communicationis socialis in evangelizationis Africae campo, praesentibus circumstantiis attente respectis. Is, a quo quasi a capite initium capitur theologicum, est Christus, Communicator optimus qui veritatem tradit iis qui credunt in illum, vitam atque amorem cum Patre caelesti Sancteque Spiritu participatum. Quapropter « Ecclesia conscia fit officii communicationem socialem fovendi ***intrinsecus*** et ***extrinsecus.*** Ea vult intus in se communicationi favere, meliorem efficiendo inter membra sua nuntiationis diffusionem ».[238] Id ei proderit in mundo patefaciendo Bono Nuntio amoris Dei in Iesu Christo revelati.

123. Formae translaticiae communicationis socialis nequaquam sunt parvi pendendae. Multis in Africanis locis adhuc utilissimae sunt et efficaces. Praeterea « minus carae sunt et accessu faciliores ».[239] Eae cantus et musicam, mimos et theatrum, proverbia et narrationes comprehendunt. Quatenus sunt véhicula sapientiae et spiritus popularis, praestantem constituunt fontem rerum et inspirationis etiam instrumentis aetatis nostrae.

124. Nova instrumenta communicationis non sunt tantummodo viae nuntiis deferendis, verum etiam mundus quidam evangelizandi. Quod ad nuntios spectat quos ea produnt, perspicere oportet ut bonum, verum et

[236] ***Propositio* 48.**
[237] **Cfr *ibid.***
ass *Proportio* 57.
[239] ***Ibid.***

pulchrum proponant. Patrum Synodalium sollicitudinem resumentes, anxitudinem Nostram significamus quod ad continentiam moralem spectat plurimarum repraesentationum, quas instrumenta communicationis in continenti Africana diffundunt; praesertim de pornographia monemus deque violentia, per quas in nationes pauperes invadere statuitur. Ceterum iure Synodus accusavit « repraesentationem iniquissimam quam instrumenta communicationis praebent Africani hominis et poscit ut mox haec finem habeat ».[240]

Cuique christiano curandum est ut instrumenta communicationis vehiculum sint evangelizationis. At christianus qui huius materiae est peritus, suas peculiares partes habet explendas. Eius est enim efficere ut christiana principia momentum habeant ad usum professionis, posita etiam in hac parte technica et ad administrationem pertinente. Ut congruenter ei liceat hoc munus exsequi, oportet sana instruatur formatione humana, religiosa et spiritali.

125. Ecclesia nostrae aetatis in promptu habet varia communicationis socialis instrumenta, cum translaticia tum recentia. Oportet quam optime ipsa iis utatur ad nuntium salutis disseminandum. Tamen, quod pertinet ad Ecclesiam in Africa, accessus ad haec instrumenta multis impedimentis difficilis redditur, potissimum vero eorum caro pretio. Insuper multis in locis normae publicae valent, quae hac de re indebitam custodiam imponunt. Omni ope nitendum est ut eiusmodi impedimenta removeantur: instrumenta communicationis, privata aut publica, personis servire debent, nullo facto discrimine. Quocirca particulares Africae Ecclesias adhortamur, ut quae possint faciant ad hoc propositum assequendum.[241]

126. Instrumenta communicationis, maxime in recentioribus suis formis, vim exercent, quae omnes superat fines; hac in provincia est idcirco necessaria arta compositio, qua efficacior reddatur cooperatio in omnibus gradibus: dioecesano, nationali, continentali et universali. In Africa Ecclesia admodum indiget consensione Ecclesiarum sororum Nationum divitiarum et in re technologica provectiorum. Item in Africa quaedam rationes cooperationis continentalis iam operantes, sicut «Consilium episcopale omnium Africanorum communicationum socialium », confirmandae sunt et excitandae. Atque sicut Synodus suggessit, artior est statuenda cooperatio aliis in

[240] *Propositio* 61.

[241] Cfr *Propositio* 58.

campis, quales sunt institutio professoria, structurae quaestuosae rei radiophonicae et televisionis atque stationes radiophonicae quae momentum habent continentale.[242]

CAPUT VII

« ERITIS MIHI TESTES USQUE AD ULTIMUM TERRAE »

127. In Coetu Speciali Patres synodales Africanas condiciones in universum penitusque perscrutati sunt, ad certius usque et credibilius testimonium Christi exhibendum omni Ecclesiae locali, omni Nationi, omni regioni atque universae continenti Africanae. In omnibus Coetus Specialis considerationibus et hortatibus praeponderans apparet optatum ***Christum testificandi.*** Agnoscimus in illis spiritum earum rerum quas quibusdam Episcopis in Africa diximus: « Bona propria et divitias hereditatis culturalis populi vestri observando, tuendo et fovendo, illum ducere poteritis ad meliorem mysterii Christi comprehensionem, quod est colendum in experientiis nobilibus, certis et cotidianis vitae Africanae. Non agitur de Verbo Dei adulterando nec de evacuanda potentia Crucis (cfr ***1 Cor*** 1, 17), sed potius de Christo ferendo in mediam vitam Africanam deque vita Africana ad Christum extollenda. Ita, non solum religio christiana ad Africam aptam se ostendit, sed ipse Christus, in corporis sui membris, est Africanus ».[243]

128. Ecclesia in Africa vocatur ad Christum testificandum non in sola continenti; etiam ad ipsam enim dirigitur verbum Domini ab inferis suscitati: «Eritis mihi testes [...] usque ad ultimum terrae» ***(Act*** 1, 8). Ob id ipsum, in disceptationibus de re proposita Synodi, Patres accurate quemlibet vitaverunt Ecclesiae in Africa recessum. Quovis temporis momento Coetus Specialis in prospectu mansit mandati missionalis, quod Ecclesia accepit a Christo, illum in mundo universo testificandi.[244] Patres synodales arcessitum agnoverunt, quo Deus Africam vocat ut pleno iure suum, totum per orbem terrarum, munus exsequatur in generis humani salutis consilio (cfr ***1 Tim*** 2, 4).

129. Respectu sane huius muneris catholicitatem Ecclesiae contingentis, ***Lineamenta*** Coetus Specialis pro Africa declaraverunt: « Nulla Ecclesia par-

[242] **Cfr *Propositio* 60.**

[243] **Allocutio ad Episcopos Kenianos (Nairobiae, 7 Maii 1980), 6: *AAS* 72 (1980), 497.**

[244] **Cfr PAULUS PP. VI, Adhort. Ap. *Evangelii nuntiandi* (8 Decembris 1975), 50: *AAS* 58 (1976), 40.**

ticularis, ne paupérrima quidem, officio solvi poterit suas opes spiritales, temporales et humanas communicandi cum ceteris Ecclesiis particularibus cumque Ecclesia universali (cfr ***Act*** 2, 44-45) ».[245] Ipse Coetus Specialis protulit in lucem onus missionis Africae « usque ad ultimum terrae » his verbis: «Dictum propheticum Pauli VI "Vos, Africani, vocati estis ut vestri ipsorum missionarii sitis" ita est intellegendum: "estote missionarii pro toto mundo" [...] Africae Ecclesiae particulares compellatae sunt pro missione extra fines dioecesium suarum [...] ».[246]

130. Cum gaudio gratoque animo huius Coetus Specialis declarationem probantes, omnibus fratribus Nostris Episcopis Africanis id iterare cupimus, quod aliquot ante annos diximus: « Officium Ecclesiae in Africa, pro quo esse debet in se ipsa missionaria et continentem evangelizare, cooperationem postulat inter Ecclesias particulares in contextu cuiusque nationis Africanae et diversarum nationum continentis et etiam aliarum continentium. Hoc modo Africa plene cumulatur in navitate missionali ».[2*7] In superiore vocatu, ad omnes Ecclesias particulares tum recentis tum antiquae constitutionis directo, iam diximus: « Mundus magis magisque procedit ad se in unum redigendum; oportet spiritus evangelicus omnia infringat repagula quae ex cultura atque nimio suae gentis studio oriuntur, omnem interclusionem vitando ft.[248]

Animosum Coetus Specialis consilium obstringendi iuvenes Africae Ecclesias missione « usque ad ultimum terrae », studium patefacit sequendi quam generosissime unam ex gravibus normis Concilii Vaticani II: « Ut hic zelus missionarius apud domesticos patriae florescat, valde convenit ut Ecclesiae novellae quam primum Missioni universali Ecclesiae opere participent, mittendo et ipsae missionarios qui evangelium ubique terrarum annuntient, etsi penuria cleri laborent. Communio enim cum Ecclesia universali quodammodo consummabitur cum et ipsae navitatem missionalem ad alias Gentes actuose participabunt ».[249]

131. Sub initio huius Adhortationis significavimus Nos, convocationem nuntiantes Coetus Specialis pro Africa Synodi Episcoporum, prospicere pro-

[246] **N. 42.**

[246] ***Relatio post disceptationem*** **(22 Aprilis 1994), 11:** ***L'Osservatore Romano,*** **24 Aprilis 1994, p. 8.**

[247] **Allocutio ad Conferentiam Episcopalem Senegaliensem, Mauram, Promunturii Viridis, Guineae Bissaviensis (Poponguine, 21 Februarii 1992), 3:** ***AAS*** **85 (1993), 150.**

[248] **Litt. Encycl.** ***Redemptoris missio*** **(7 Decembris 1990), 39:** ***AAS*** **83 (1991), 287.**

[249] **Decr. de activitate missionah" Ecclesiae** ***Ad gentes,*** **20.**

vectionem « necessitudinis pastoralis congruentis in cuncta continenti Africana et in insulis circumiacentibus ».[250] Laeti agnoscimus Coetum fidenter hoc propositum esse persecutum. Disceptationes Synodi ostenderunt Episcoporum sedulitatem alacritatemque quod ad hanc necessitudinem pastoralem atque cum aliis suarum opum communicationem, etiam cum et ipsi missionariis indigebant.

132. Ipsos Episcopos Fratres, qui « Officio [...] evangelizationis orbis obstringuntur Nobiscum directo [...] tam uti collegii episcopalis membra quam uti Ecclesiarum particularium pastores »,[251] hac in re peculiariter volumus alioqui. In cotidiana cura gregis sibi commissi numquam iis est e conspectu amittenda Ecclesiae universalis necessitas. Quippe cum sint Episcopi *catholici,* ii non possunt non animadvertere sollicitudinem omnium Ecclesiarum, quae in corde Apostoli flagrabat (cfr *2 Cor* 11, 28). Tunc praesertim eam non possunt non animadvertere, cum *una simul* cogitant et consilia capiunt, tamquam suarum Conferentiarum Episcopalium membra quae, per instituta coniunctionis regionalia et continentalia, necessitates pastorales in aliis mundi partibus emergentes melius percipere possunt et iudicare. Singulariter autem consensionem apostolicam Episcopi significant in Synodo, quae idcirco, « inter generalis momenti negotia, activitatis missionalis, maximi sanctissimique Ecclesiae muneris, specialem habeat rationem».[252]

133. Coetus Specialis insuper commonuit ad praeparandam consensionem pastoralem communem in Africa necesse esse renovationem fovere institutionis sacerdotum. Numquam satis considerabuntur verba Concilii Vaticani II: « Donum spirituale, quod presbyteri in ordinatione acceperunt, illos non ad limitatam quandam et coarctatam missionem praeparat, sed ad amplissimam et universalem missionem salutis, "usque ad ultimum terrae" *(Act* 1, 8) ».[253]

Quocirca Ipsi sacerdotes adhortati sumus ne omittant «paratos se opere praebere Spiritui Sancto et Episcopo ut Evangelii praedicandi causa extra suae nationis demandentur fines. Quod ab iis non maturitatem dumtaxat vocationis poscet, verum singularem quandam facultatem sese a patria,

[250] *Angelus* (6 Ianuarii 1989), 2: *Insegnamenti* XII, 1 (1989), 40.

[251] Litt. Encycl. *Redemptoris missio* (7 Decembris 1990), 63: *AAS* 83 (1991), 311.

[252] CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de activitate missionali Ecclesiae *Ad gentes,* 29.

[253] Decr. de presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum ordinis,* 10.

stirpe, familia sua seiungenda atque aptam simul promptitudinem ad inserendos se sapienter observanter que alienis cultus humani formis ».[254]

In Deum gratissimi sumus quod accepimus crescentem sacerdotum dioecesanorum Africanorum numerum rogatui respondisse ut testes sint « usque ad ultimum terrae». Ardenter quidem speramus hanc propensionem in omnibus Africae Ecclesiis particularibus concitatum et confirmatum iri.

134. Magnum pariter solacium affert nuntius Instituta missionaria praesentia in Africa iamdudum maiore usque modo suscipere candidatos advenientes ex novensilibus illis Ecclesiis quas ipsa condiderunt,[255] ita efficiendo ut eaedem Ecclesiae navitatem missionalem Ecclesiae universalis participent. Pariter memorem gratulationem significamus novis Institutis Africanis missionariis quae orta sunt in continenti quaeque hodie sua membra mittunt ad gentes. Peropportunus et mirus auctus est hic, qui maturitatem ostendit atque dynamismum Ecclesiae, quae est in Africa.

135. Potissimum Nostram facere velimus manifestam Patrum synodalium hortationem ut in unaquaque Ecclesia particulari et in unaquaque Natione quattuor Pontificia Missionalia Opera constituantur tamquam instrumentum ad efficiendam ***consensionem pastoralem congruentem*** pro missione « usque ad ultimum terrae ». Iis, Summi Pontificis et Collegii Episcopalis Operibus, «iure primus locus tribui debet quippe quae media sunt tum ad catholicos inde ab infantia sensu vere universali et missionario imbuendos, tum ad excitandam efficacem collectionem subsidiorum in bonum omnium missionum pro cuiuscumque necessitate ».[256] Eorum actionis fructus significans « est vocationes ***ad gentes*** in vitaeque perpetuitatem suscitare tam apud antiquas quam inter iuniores Ecclesias. Vehementer ideo cohortamur suum ut ministerium animationis magis magisque hanc in partem intendant ».[257]

136. Synodus confirmavit omnes filios Aliasque Africae ad sanctitatem vocari atque ad Christum ubique gentium testificandum. « Exempla historiae comprobant evangelizationem per actionem Spiritus Sancti fieri ante

[254] Litt. Encycl. *Redemptoris missio* (7 Decembris 1990), 67: *AAS* 83 (1991), 316.

[255] Cfr *ibid.,* 66, l.m., 314.

[256] CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de activitate missionali Ecclesiae *Ad gentes,* 38.

[257] IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Encycl. *Redemptoris missio* (7 Decembris 1990), 84: *AAS* 83 (1991), 331.

omnia ***testimonio caritatis, testimonio sanctitatis*** ».[258] Quam ob causam omnibus Africae christianis verba repetere cupimus, quae aliquot ante annos scripsimus: « Quisque missionarius revera talis est modo si viae sese commendat sanctimoniae [...] destinatur quippe christifidelis omnis ad sanctimoniam missionemque [...] Novus hic impulsus in missionem ***Ad gentes*** sanctos requirit missionarios. Haud enim rationes pastorales renovare sufficit nec ordinare et componere melius ecclesiales copias neque accuratius fundamenta fidei biblica et theologica scrutari: opus potius est novum excitare "sanctitatis ardorem" inter missionarios totaque in christiana communitate ».[259]

Nunc quoque, sicut tunc, christianos alloquimur novarum Ecclesiarum, ut eos suorum officiorum commonefaciamus: « Vos his diebus spem prae vobis fertis nostrae huius Ecclesiae, quae duo milia iam vivit annorum: cum fide iuvenes sitis, primos imitari debetis christianos et circum vos fervorem diffundere et magnanimitatem in alacri quadam donatione Deo facta atque proximo; brevi in viam dare vos oportet sanctitatis. Hoc uno dumtaxat modo signum Dei in mundo esse poteritis ac vestris in Nationibus missionalem renovare splendorem priscae Ecclesiae. Simul vero studii missionalis fermentum senioribus Ecclesiis adferetis ».[260]

137. Ecclesia quae est in Africa cum Ecclesia universali communicat « altam vocationem ad efficiendam, primum in se, generis humani unitatem praeter discrimina ethnica, culturalia, nationalia, socialia et eiusmodi, ut fragilitatem ipsorum horum discriminum probet cruce Christi abolitorum ».[261] Respondens vocationi ut sit populus redemptus et reconciliatus, Ecclesia confert ad provehendam communionem inter populos, gentis nationisque differentiis superatis.

Propria vocatione perpensa quae a divino Conditore est Ecclesiae commissa, instanter a Communitate catholica quae est in Africa rogamus ut coram universo generi humano testificationem perhibeat universalitatis christianae, quae a Dei paternitate manat. « Omnes homines a Déó creati eandem habeat ***originem;*** quaecumque est eorum dispersio geographica aut eorum diversitatum natura in historiae cursu, ii ***destinati sunt*** ad unam efficiendam familiam secun-

[258] **IOANNES PAULUS PP. II, Allocutio ad quosdam Episcopos Nigeriae in visitatione ad limina (21 Ianuarii 1982), 4: *AAS* 74 (1982), 435-436.**

[259] **Litt. Encycl. *Redemptoris missio* (7 Decembris 1990), 90: *AAS* 83 (1991), 336-337.**

[260] ***Ibid.,* 91, l.m., 337-338.**

[261] **PONT. CONSILIUM « IUSTITIA ET PAX », Documentum *I pregiudizi razziali. La Chiesa di fronte al razzismo* (3 Novembris 1988), 22: *Ench. Vat.* 11, 929.**

dum Dei consilium "a principio" statutum ».[262] Ecclesia in Africa provocatur ut in caritate obviam se det omni homini, fortiter credens Filium Dei quodammodo se univisse « incarnatione sua cum omni homine ».[263]

Praesertim Africa conferre debet ad motum oecumenicum, cuius nuper in Encyclicis Litteris ***Ut unum sint*** iterum momentum commemoravimus tertii millennii prospectu.[264] Ea haud dubie graves agere potest partes in dialogo inter religiones, rationes praecipue colendo impensas cum Muslimis attentamque observantiam fovendo bonorum translaticiae religionis Africanae.

138. Christum testificans « usque ad ultimum terrae » Ecclesia quae est in Africa sustentabitur profecto persuasione ***de bono positivo et morali*** quod continet maior intellegentia ***mutuae obnoxietatis*** inter homines et nationes. « Quod viri et mulieres, in variis mundi partibus, tamquam proprias sentiunt iniustitias et violationes iurium humanorum longinquis in regionibus aetas, quas numquam fortasse visent, aliud est signum quendam eventum in ***conscientia*** esse mutatum notamque moralem esse consecutum ».[265]

Ominamur ut Africae christiani magis usque conscii fiant huius mutui inter homines et Nationes nexus paratique sint ad respondendum ***necessitudinis*** virtutem explicando. Humanae necessitudinis fructus est pax, bonum quidem tam praestans populis nationibusque omnium mundi partium. Re vera prorsus per instrumenta idonea provehendae confirmandaeque humanae consensioni Ecclesia ad veram pacis culturam proprie et efficienter potest conferre.

139. Rationem iniens sine discrimine cum mundi populis cumque diversis colloquens culturis, Ecclesia alios aliis admovet et eorum quemque adiuvat ad accipienda, in fide, vera aliorum bona.

Parata ad operam consociandam cum omni homine bonae voluntatis cumque communitate omnium nationum, Ecclesia in Africa non sibi commoda quaerit. Consensio quam ea exprimit « se ipsam nititur superare, nititur rationes ***speciali modo christianas*** plenae donationis gratuitae induere, veniae et reconciliationis ».[266] Ecclesia ad hominum conversionem conferre

[262] ***Ibid.,*** **20, l.m., 925.**

[263] **CONC. OECUM. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 22.**

[264] **NN. 77-79: *L'Osservatore Romano,* 31 Maii 1995, p. 6.**

[265] **IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Encycl. *Sollicitudo rei socialis* (30 Decembris 1987), 38: *AAS* 80 (1988), 565.**

[266] ***Ibid.,*** **40, l.m., 568.**

vult illos adducens ad se Dei salvifico consilio aperiendos per evangelicum testimonium cum operibus caritatis pro pauperibus cumque ultimis coniunctum. Hoc faciens, numquam obliviscitur primas partes rerum transcendentium spiritaliumque veritatum, quae primitiae sunt aeternae salutis hominum.

In disceptationibus ad necessitudinem Ecclesiae cum populis atque Nationibus pertinentibus, Patres synodales semper conscii fuerunt progressum terrenum a Regni Christi augmento accurate distinguendum esse, et tamen «inquantum [...] ad societatem humanam melius ordinandam conferre potest, Regni Dei magnopere »[267] interesse. Idcirco Ecclesia in Africa sibi persuasum habet — idque clare labor ostendit Coetus Specialis — ultimi adventus Christi exspectationem « numquam causam afferre » posse « praetextam cur homines in certa definitaque condicione sua personali et vitae socialis, nationalis et internationalis neglegamus »,[268] quandoquidem hominis terrestres condiciones eiusdem ad aeternitatem peregrinationem adstringunt.

CONCLUSIO

140. Circa Virginem Mariam quasi ob novam Pentecosten Specialis Coetus membra congregata penitus consideraverunt evangelizandi munus Ecclesiae in Africa *ad limen tertii millennii.* Huius Adhortationis apostolicae postsynodalis finem facientes, in qua huius Coetus fructus exhibemus Ecclesiae quae est in Africa, in Madagascaria, atque in insulis circumiacentibus et universae catholicae Ecclesiae, Deo, Patri, Filio et Spiritui Sancto gratias agimus, qui Nobis beneficium dederunt ex hoc vero « gratiae tempore» vivendi, quod Synodus fuit. Vehementer erga populum Dei qui est in Africa grati sumus propter ea quae pro hoc Speciali Coetu fecit. Synodus haec cum alacritate et ardore praeparata est, sicut responsiones testantur ad interrogationes documento praeliminari *(Lineamenta)* adiunctas, atque considerationes collectae in *laboris instrumento.* Christianae Africae communitates pro exitu laborum Coetus Specialis fervide oraverunt; cui Coetui large Dominus benedixit.

141. Cum Synodus convocata sit ut Ecclesia in Africa modo quam maxime efficaci suum sumere possit munus evangelizandi respectu tertii millennii chri-

[267] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 39.

[268] IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Encycl. *Sollicitudo rei socialis* (30 Decembris 1987), 48: *AAS* 80 (1988), 583.

stiani advenientis, per hanc Adhortationem Populum Dei qui est in Africa — Episcopos, sacerdotes, personas consecratas et laicos — invitamus ut se prompte ad Magnum Iubilaeum vertant, quod ad aliquot post annos celebrabitur. Pro omnibus Africae populis optima ad novum millennium praeparatio alia esse non potest nisi firma cura adducendi ad effectum magna cum fidelitate consilia rationesque, quae hac in Adhortatione, Successoris Petri apostolica auctoritate proponimus. Consilia sunt et rationes quae ad veram pertinent rationem Ecclesiae doctrinae normarumque ac praesertim Concilii Vaticani II, quod praecipuus fons fuit inspirationis Coetus Specialis pro Africa.

142. Nostra adhortatio ad Populum Dei qui est in Africa ut se praeparet ad Magnum Iubilaeum Anni bis millesimi esse vult etiam ***viva ad christianam laetitiam invitatio.*** « Gaudium magnum, ab angelo nocte qua Christus natus est nuntiatum, reapse ad universum populum pertinet (cfr ***Lc*** 2, 10) [...]. Primum quidem per os Gabrielis archangeli id allatum est ad beatam Mariam Virginem, cuius hymnus, a verbo ***Magnificat*** incipiens, iam canticum exsultationis omnium humilium fuit. Quotiescumque Rosarii preces recitamus, mysteria, gaudii nomine appellata, eventum illum ineffabilem referunt, qui est veluti centrum et fastigium historiae, nempe adventum in terra Emmanuelis, qui est « nobiscum Deus ».[269]

Bis millesimum diem anniversarium huius eventus, gaudio pieni, celebrare accingimur per proximum Magnum Iubilaeum. Africa, quae « est quodammodo Iesu Nazarethani "altera patria", qui, parvulus infans, ipsa in Africa refugium invenit contra Herodis crudelitatem »,[270] ad gaudium idcirco vocatur. Simul « omnia in primarium Iubilaei propositum tendere debebunt, quod est ***fidem christianorumque testimonium confirmare et roborare »***.[271]

143. Propter multas difficultates, discrimina et conflictationes, quae tantam afferunt miseriam tantumque in continenti dolorem, nonnulli Africani interdum sollicitantur ad putandum Deum eos deseruisse, illos oblitum esse (cfr ***Is*** 49, 13)! « Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te» ***(Is*** 49, 15-16). Utique, in palmis manuum Christi, crucifixionis clavis transfixarum. Cuiusque vestrum (Afri-

[269] PAULUS PP. VI, Adhort. Ap. *Gaudete in Domino* (9 Maii 1975), III: *AAS* 67 (1975), 297.

[270] IOANNES PAULUS PP. II, Homilia ad ineundum Coetum Specialem pro Africa Synodi Episcoporum (10 Aprilis 1994), 1: *AAS* 87 (1995), 179.

[271] IOANNES PAULUS PP. II, Ep. Ap. *Tertio millennio adveniente* (10 Novembris 1994), 42: *AAS* 87 (1995), 32.

canorum) nomen in his manibus est descriptum. Magna igitur cum fiducia dicamus: "Dominus adiutor meus et protector meus, in ipso speravit cor meum, et adiutus sum, et exsultavit cor meum" ***(Ps*** 28, 7) ».[272]

144. Grati propter huius Synodi gratiam, ad Mariam convertimus Nos, evangelizationis Stellam, atque, tertio millennio adventante, Ei Africam commendamus illiusque evangelizandi munus. Nos ad Eam convertimus cogitationibus sensibusque expressis oratione¡, quam Fratres Episcopi composuerunt concluso Romae Synodi coetu laboris:

O Maria, Mater Dei et Mater Ecclesiae,
beneficio Tuo, Annuntiationis die,
novorum temporum diluculo,
totum humanum genus cum suis culturis
laetatum est se detegisse Evangelio idoneum.
Nova Pentecoste imminente
pro Ecclesia in Africa, pro Madagascaria
et insulis circumiacentibus
Populus Dei cum suis Pastoribus
ad Te convertitur atque Tecum exorat:
Spiritus Sancti effusio
Africanas culturas
loca communionis in diversitate efficiat,
incolas magnae huius continentis
in animosos Ecclesiae filios mutando,
quae est Familia Patris,
Filii Fraternitas,
Imago Trinitatis,
germen et initium in terra
illius aeterni Regni
quod suam habebit plenitudinem
in Civitate cuius aedificator est Deus:
in iustitiae, amoris et pacis Civitate.

Datum Iaunde, in Camarunia, die xiv mensis Septembris, Exaltationis Sanctae Crucis festo, anno MCMXCV, Pontificatus Nostri septimo decimo.

IOANNES PAULUS PP. II

[272] **IOANNES PAULUS PP. II, Homilia habita in Missa celebrata Khartumi (10 Februarii 1993), 8: *AAS* 85 (1993), 964.**

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Servae Dei Agneti a Iesu Galand Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — «Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi... et vexillum eius super me est caritas» ***(Ct 2,*** 3-4). His dilectae sponsae verbis apte consonat frequens Agnetis a Iesu duplex effatum: « Qui Deum habet, omnia possidet», nam «Deus perpetue nos diligit». Haec aeterni Patris servula totam suam vitam, non in longam aetatem productam, sed cotidianis cordis ascensionibus auctam (cf ***Ps*** 84, 6), Dei Filio plene sacravit.

Agnes a Iesu Galand die xvn mensis Novembris anno MDCII Anicii in Gallia ortum habuit, una e septem filiis cuiusdam piae familiae arti fabrili deditae; pater puellulam quinque annorum optimo magistro instituendam concredidit. Mox in Agnetis animo Marialis increvit devotio atque duos post annos in Deiparae Virginis servitutem ardentissime se tradidit. Novem annos nata quoddam precationum officium in Sancti Spiritus honorem recitare coepit. In cives suos caritate incitata, adulescens iis plura suppeditavit auxilia, pueris in primis et egenis.

Anno MDCXXI, obsequens spiritus moderatori, in Tertium Praedicatorum Ordinem, de Paenitentia Sancti Dominici appellatum, est ingressa. Nec satis: nam biennio post oppidum Langiacum petiit, ut in monasterium eiusdem Ordinis, recens a fundamentis excitatum, ingrederetur. Paupercula et de seipsa perquam demisse sentiens, inter sorores, quae conversae dicebantur, cooptari maluit: tamen, qua infirma erat valetudine graviores operas fabriles relinquere debuit, atque, omnibus consentientibus, in numerum adscita est earum quae liturgicis precibus ad horam vacabant.

Postquam sollemnia vota nuncupavit, magistrae noviciarum et priorissae munus implevit; de hoc tamen altero officio, calumniis petita, coacta est desistere. Vestigia sequens Sanctae Catharinae Senensis, cuius appellatione monasterium Langiacense decorabatur, tota mentis intentione et cordis affectu Christo cruci affixo haerebat, cuius sanguinis effusionem in eucharistico mysterio recolebat assidueque adorabat. Angelus tutelaris semper ei adfuit solacio et consilii.

Maxime cordi eius fuit salus peccatorum, atque potissimum celsior almae Ecclesiae splendor eiusque ministrorum mira conversatio. A Beata Virgine Maria, Summi et Aeterni Sacerdotis Matre, munus accepit orandi pro quodam iuvene presbytero Parisiensi, qui tunc regimen abbatiae de Pébrac tenebat. Agnes per triennium, multis lacrimis et paenitentia suffulta, Deum obsecravit usque dum obviam illi factus est eximius vir Ioannes Iacobus Olier: cui significavit divinitus concreditum munus seminaria in Gallia instituendi ad mentem et normas sacrosancti Concilii Tridentini. Quod ille providus implevit, Societatem Presbyterorum a Sancto Sulpitio condens ad aptam cleri institutionem fovendam.

Agnes vero, instar spiritalis matris, cum tam praeclarum munus esset iuncta, paucos terrenae exsistentiae dies sibi manere persensit; nam die xix mensis Octobris anno MDCXXXIV in osculo Domini placide obdormivit.

Beatificationis et Canonizationis Causa inita est anno MDCXCVIII in dioecesi Sancti Fiori et Decretum super eius introductione apud Sanctam Sedem anno MDCCXIII est promulgatum. Pius VII, die xix mensis Martii, anno MDCccviii, declaravit Sororem Agnetem a Iesu virtutes théologales, cardinales iisque adnexas heroum more exercuisse.

Congregationi de Causis Sanctorum prolatum est mirum eventum, anno MCMLI Langiaci patratum et intercessioni eiusdem Venerabilis Servae Dei adscriptum. Mirum die XXI mensis Decembris anno MCMXCII est approbatum. Statuimus igitur ut Beatificationis ritus die xx mensis Novembris anno MCMXCIV celebraretur.

Hodie igitur in Patriarchali Basilica Vaticana, intra Missarum sollemnia, formulam hanc protulimus:

Nos, vota Fratrum Nostrorum Camilli Cardinalis Ruini, Vicarii Nostri pro Romana dioecesi, Ioannis Honoré, Archiepiscopis Turonensis, Henrici Brincard, Episcopi Aniciensis, Alberti Houssiau, Episcopi Leodiensis, et Eugenii Ravignani, Episcopi Victoriensis Venetorum necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidehum explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Hyacinthus Maria Cormier, Maria Poussepin, Agnes a Iesu Galand de Langeac, Eugenia Joubert et Claudius Granzotto, Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum: Hyacinthi Mariae Cormier die vicesima prima Maii; Mariae Poussepin die decima quarta Octobris; Agnetis a Iesu Galand de Langeac die decima nona Octobris; Eugeniae Joubert die secunda Iulii; et Claudii Granzotto die secunda Septembris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Beata haec, quae complura pro animarum salute patravit ac miranda dedit virtutum exempla, non modo fidelibus est colenda, verum etiam imitanda, praesertim nostra aetate qua homines, innumeris negotiis distracti multisque illecebris allecti, in rectam viam inducantur oportet.

Quae autem his Litteris decrevimus nunc et in posterum firma esse volumus, contrariis rebus quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xx mensis Novembris, anno MCMXCIV, Pontificatus Nostri septimo decimo.

68 **ANGELUS** card. **SODANO**
Secretarius Status

Loco © Sigilli
In Secret. Status tab., n. 375.674

II

Venerabili Dei Servo Raphaeli Guizar Valencia Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Omni die in templo et circa domos non cessabant docentes et evangelizantes Christum, Iesum» ***(Act*** 5, 42).

Verba haec, ad Apostolos sane referenda, apte ad Venerabilem Dei Servum Raphaelem Guizar Valencia conveniunt. Eximius ipse episcopus Verae Crucis, quandoquidem omnem vitam suam ad fidem proferendam studiose dicavit non modo sua in patria verum etiam in Guatimala et Cuba, persecutionibus exstantibus et mortis periculis, merito Mexici Apostolus appellatur et Pastor bonus, vitam suam gregis defendendi causa oblaturus (cfr ***Io*** 10, 11).

In oppido ortus quod Cotija, Michoacán, vulgo vocant, die xxvn mensis Aprilis anno MDCCCLXXVIII, ex frequenti familia, christiana fide ampie locupletata, suorum parentum exempla persequens, puer pietatem virtutesque coluit. Anno MDCCCXCIV Ocelense Mexici Seminarium ingressus est et anno MCMi sacerdos est renuntiatus.

Novensilis sacerdos in pastoralibus visitationibus Episcopum comitabatur, atque apostolico studio permotus, recenti quidem et iuvenili, in veram popularem missionem immutabat singulas visitationes. Pater spiritus paulo

post destinatus Ocelensis Seminarii necnon cathedralis canonicus, his servatis officiis, populares missiones instituere perrexit, dum apostolatus artem Seminarii tirones docebat eorundemque in cor Eucharistiae dilectionem et filialem blandamque in Virginem Mariam pietatem inducebat.

Anno MCMXi ut adversus Ecclesias contumeliis et maledictis officeretur, Mexicopoli catholica acta diurna constituit, quae mox a seditiosis ablata sunt. Cum eius vita peteretur, sine stabili domicilio aliquot per annos vixit. Uni rei ille studebat, ut animas salvaret. Ut cunctis spiritale levamentum praeberet, religiosa persecutione saeviente et tumulto, institoris induens personam vel medici homoepathici, acies frequentabat, ut sacramenta sauciatis moribundisve ministrarentur, haud semel mortis exstante periculo. Sicut Gentium Apostolus, asseverare poterat: « Omnibus omnia factus sum, ut aliquos utique facerem salvos» ***(1 Cor*** 9, 22).

Cum eum inimici persequerentur, cumque iam in Mexico manere non posset, periculo impendente ne caperetur, sub anni MCMXV exitum in Foederatas Civitates Americae Septemtrionalis commigravit. Inde Guatimalam et Cubam petiit, ubicumque missiones instituens, conversiones innumeras afferentes.

Die i mensis Augusti anno MCMXIX, dum apostolatum Cubae obibat, Episcopus renuntiatus est Verae Crucis. Die xxx mensis Novembris anno MCMXIX consecratus in cathedrali templo Sancti Christophori de Habana, die ix mensis Ianuarii subsequenti anno suam dioecesim ingressus est.

Apostolico studio concitus, ab initio suum agrum invisere cunctisque fidelibus, una cum Dei verbo, solacium et adiumentum ferre studuit. Verae erant missiones suae visitationes atque eodem tempore iuvamina ad sublevandos a terrae motibus afflictos, qui solitudinem et mortem pauperibus intulerant.

Inter praecipuas suas sollicitudines annumerabatur sacerdotum institutio. Idcirco, cum regimen Seminarium clausit, ab eo Ialapae magno cum labore conditum, Mexicopoli aliud clam seminarium, magnis cum animi contentionibus, haud mediocres cum profudisset opes et gravem pertulisset laborem, instituit, quo ccc seminarii tirones coadunavit. In illa rerum perturbatione unum fuit illud superstes Seminarium.

Perinde ac Magister, Raphael episcopus persecutiones falsaque crimina per suae vitae spatium est passus. Ex xvni annis quibus dioecesim temperavit, ix annos in exsilio egit vel in occulto, cum capitis damnatus peteretur. Cum autem omnem vim respueret, suis sacerdotibus suadebat ut aequo

animo persecutiones paterentur. Se attamen plane animosum demonstravit, cum cuidam se persecutori ostenderet et se pro restituendo cultu praeberet piaculum.

Mense Decembri anno MCMXXXVII, cum missionem Cordubae praedicaret, defectione cordis correptus est, quae in lecto eum usque detinuit. Pessima valetudine affectus, varia dioecesis negotia agebat potissimum Seminarii, dum ad Patrem conveniendum assidua fiduciaeque plena precatione se, comparabat.

Pie Mexicopoli obiit die vi mensis Iunii anno MCMXXXVIII. In cathedrali templo Ialapae conditus est atque eius sepulcrum ab innumeris fidelibus frequentatami est. Canonizationis causa incohata anno MCMLII, omnibus a iure statutis expletis rebus, die xxvn mensis Novembris anno MCMLXXXI de virtutibus heroum in modum exercitis Decretum prodiit.

Anno MCMXCii Ialapae canonicus processus de mira sanatione quadam, eidem Venerabili Dei Servo adscripta, constitutus est. Eventu a medicis et theologis Congregationis de Causis Sanctorum felici cum exitu inquisito, die II mensis Iulii anno MCMXCIV Nobis coram Decretum super miro prodiit. Statuimus igitur, ut beatificationis ritus Romae die xxix mensis Ianuarii anno MCMXCV celebraretur.

Hodie ideo in Petriana Basilica inter missarum sollemnia formulam ediximus hanc:

Nos, vota Fratrum Nostrorum Sergii Obeso Rivera, Archiepiscopi Ialapensis, Michaelis Cardinalis Giordano, Archiepiscopi Neapolitani, Eliae Yánes Alvarez, Archiepiscopi Caesaraugustani, et Angeli Cella, Episcopi Frusinatensis-Verulani-Ferentini, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Raphael Guizar Valencia, Modestinus a Iesu et Maria, Genovefa Torres Morales et Grimoaldus a Purificatione Santamaria Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum: Raphaelis Guizar Valencia die vicesima quarta Octobris; Modestini a Iesu et Maria die vicesima quarta Iulii; Genovefae Torres Morales die quarta Ianuarii; et Grimoaldi a Purificatione Santamaria die decima octava Novembris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit.

In Nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quae autem his Litteris decrevimus nunc et posthac rata firmaque esse volumus, contrariis minime quibuslibet obsistentibus rebus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxix mensis Ianuarii anno MCMXCV, Pontificatus Nostri septimo decimo.

68 **ANGELUS** card. **SODANO**
Secretarius Status

Loco ffi Sigilli
In Secret. Status tab., n. 366.110

III

Venerabili Servo Dei Iosepho Vaz Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Specialis vocatio missionarii « demonstratur in toto studio de evangelizationis ministerio: est enim studium quod integram complectitur personam universamque missionarii ipsius vitam, cum ab eo donationem flagitet virium temporisque sine limite ». Quae in Nostris scripsimus Litteris Encyclicis ***Redemptoris missio [AAS*** LXXXIII [1991], 313) effecta sunt etiam in vita Venerabilis Servi Dei Iosephi Vaz, « apostoli Taprobanae » (Sri Lanka), sacerdotis Oratorii Sancti Philippi Neri, qui unus ex insignissimis fuit Ecclesiae missionariis.

Goae natus, in India, die xxi mensis Aprilis anno MDCLI, ordinatus est sacerdos anno MDCLXXVI. Cum audivisset condicionem religiosam parvae communitatis catholicae in Taprobana (Sri Lanka), astrictum se sensit illi subvenire. Ecclesia catholica in Taprobana orta erat inter Lusitanorum illius insulae occupationem, sed anno MDCXXXVII Neerlandienses his profligatis, acerbam inceperunt contra nascentem Ecclesiam persecutionem: presbyteri sunt in suo ministerio impediti, ecclesiae destructae, conversiones coactae ad Calvini doctrinam. Servus Dei quoquo modo nisus est ad Taprobanam se conferre, sed interim Oratorium Sancti Philippi Neri condidit in India. Anno MDCLXXXVII Jaffham ingredi potuit servi veste indutus: Cum catholicis dispersis congrediens Ecclesiam coepit constituere. Pedibus insulam est emensus longe lateque Sacramenta ministrans, communitates catholicas condens, praedicans, quamvis ab auctoritatibus agitaretur. Aliquot annos egit in custodia, sed exceptus est in regno Candii; Consociationem catechistarum laicorum instituit; catechismum conscripsit loci sermonibus; formam generum conatus est demoliri, ex India sacerdotes Oratorianos inve-

xit, catholicis localibus officium nummarium et administrativum concredidit in eorum ecclesiis, bonam consuetudinem coluit cum Buddhistis et Mahometanis. Propter suum amorem erga Ecclesiam et incolarum Taprobanensium respectum Servus Dei Iosephus Vaz statuerat ad eos gratiam sacramentorum ferre, neglectis persecutionibus, iniuriis, fame, inclusione in custodiam. Per magnam Candii variolae pestilentiam anno MDCXCVII aegrotos curavit, morientibus adfuit, mortuos sepelivit. Magna humilitate munus episcopi recusavit. Eius fides et fortitudo per xxiv annos apostolatus in Taprobana eminuerunt, unde iure appellatus est « Apostolus Taprobanensis ». Initio vitae suae sacerdotalis sibi proposuerat ut tamquam servus Mariae viveret, et sub eius tutela laboravit donec morbo consumptus Candii mortuus est die xvi mensis Ianuarii, anno MDCCXI.

Duobus post eius mortem annis inita est beatificationis Causa, quam Oratoriani perrexerunt (annis MDCCXXX-MDCCXXXVIII); sed aliae persecutiones adversus Ecclesiam (anno MDCCXXXXV) et politicae eversiones eandem retardaverunt. Iis quae iure statuuntur rite peractis, coram Nobis die xin mensis Maii anno MCMLXXXIX decretum promulgatum est super virtutibus heroicis. Interea in India mirum factum erat deprecationi ascriptum Venerabilis Servi Dei. Apud curiam Goanam anno MCMXCI instructa est canonica inquisitio. Casu favente cum exitu permisso Congregationi de Causis Sanctorum, in conspectu Nostro die vi mensis Maii anno MCMXCIII promulgatus est decretum super miraculo.

Quamobrem decrevimus ut beatificationis ritus fieret die xxi mensis Ianuarii anno MCMXCV per Nostram pastoralem visitationem in Taprobana.

Hodie igitur, inter Missae sollemnia, multis circumstantibus Christifidelibus, hanc pronuntiavimus formulam:

Acceding to the request of our brothers Joseph Vianney Fernando, Bishop of Kandy, and Raul Nicolau Gonsalves, Archbishop of Goa, of many other Brothers in the episcopate, and of many of the faithful, and after consultation with the Congrégation for the Causes of Saints, by our Apostolic Authority we declare that the Venerable Servant of God, Joseph Vaz, shall hereafter be invoked as Blessed, and that his feast shall be celebrated every year on the 16th day of January, the date of his birth to eternai life, in the places and according to the norms established by Church Law.

In the name of the Father and of the Son and of the Holy Spirit.

Spectabilis hic cáeles claras dedit pietatis operumque bonorum testificationes, qui ubicumque terrarum tanquam fulgens sidus habetur, unde ea-

tholica fides usque proferatur et quam plurimos homines attingat, cum Salvatoris salus et Evangelii beneficia cunctis gentibus largiter destinentur.

Haec vero quae decrevimus et fecimus firma omnino esse volumus atque rata quibuslibet minime rebus contrariis obstantibus.

Datum in Taprobana, sub anulo Piscatoris, die primo et vicesimo mensis Ianuarii, anno MCMXCV, Pontificatus Nostri septimo decimo.

68 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco © Sigilli
In Secret. Status tab., n. 375.368

IV

Venerabili Dei Servae Iosephinae Gabrielae Bonino Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Virtutes quas Nazarethana Sancta Familia exercuit in nostra religiosa Communitate redintegrare contendamus itemque in familiis ex quibus societatis humanae omnis reformatio pendet ».

His quidem verbis Venerabilis Dei Serva Iosephina Gabriela Bonino, quae S. Nazarethanam Familiam coluit atque est imitata, maximum suae vitae apostolicique operis propositum significabat, ad Christi dilectionem effundendam penitus, versum in puellas indigentes potissimum, pauperes, aegrotos et senes.

Haec mulier, Deo cara et Ecclesiae, Saviliani, in archidioecesi Taurinensi, die v mensis Septembris anno MDCCCXLIII, ex divite familia pietissimaque orta est, quae eam ad proximum observandum et amandum instituit. Una cum parentibus complures annos Augustae Taurinorum transegit, ubi laetanter et constanter humanum spiritalemque cultum persécuta est: privatim castitatis nuncupavit votum et sacramentis, assidua precatione caritatisque operibus animam suam aluit. In nativum pagum régressa, patri aegrotanti sollicite assedit. Sed studio incensa a familiaribus opibus discedendi, nomem dedit Carmelitano Tertio Ordini deinde Franciscali. Moderatrix fuit Pii Sodalicii Filiarum Mariae, sacerdotes, inopes ecclesias, aegrotos iuvit, suis sumptibus novam sedem praestitit instituto illi quod Ioanna Colombo Saviliani pro puellis parentibus orbatis constituerat. Parentibus ipsa

orbata, Dei Serva domum reliquit atque canonici Aloisii Davicino voluntate, institutum, quod supra memoravimus, moderari coepit. Ibidem, ecclesiastica auctoritate comprobante, Congregationem Sororum Sacrae Familiae Saviliani condidit, ut pupillas educaret atque aegrotos senesque iuvaret, cum sibi persuasum omnino haberet «pulcherrimam esse missionem illam, quae omnem vitam complecteretur ab ortu ipso, id est a iuventute, usque ad occasum id est ad senectutem ». Usque ad mortem sollicita prudensque fuit generalis Antistita sui Instituti atque humilitatis robore et Providentiae adiumento sustentata, censuras et difficultates superavit. Congregationis domum aedificavit et proximum sacellum S. Familiae atque quinque domus condidit, incipiens a Lauretano oppido. Continenter animadvertit se regno Christi proferendo, societatis Ecclesiaeque bono navare operam, cum pupillas animi cum affectu institueret et futuras matresfamilias humane christianeque educaret. Peculiariter suas Sorores instituere studuit, quibus veluti exemplar S. Familiam Nazarethanam praebuit. Ipsa prima exercebat quod sociis tradebat atque sine mora in perfectionis christianae semita ambulavit, sincera fide, ferventi caritate, spe certa, secura in rebus adversis patientia, firmata. Apostolicum opus cum regendi officio composuit silens, cum Deo coniunctionem perquirens deprecando. Peculiariter Eucharistiam Virginemque Mariam coluit, cui dicere solebat: « Monstra te esse Matrem ». Dei voluntatem persequens, ad quam tenendam usque se comparavit, sanctitatis fama perfusa, die VIII mensis Februarii anno MCMVI Savone pie obiit. Beatificationis canonizationisque Causa anno MCMLXIV apud Curiam Taurinensem incohata est. His omnibus completis a iure perscriptis, Nos Ipsi, die XXVI mensis Martii anno MCMXCIV, declaravimus Dei Servam heroum in modum théologales, cardinales virtutes iisque adnexas exercuisse. Nonnullos ante annos, anno nempe MCMLVII, Saviliani sanatio quaedam effecta est quae mira dicebatur eademque Matri Iosephinae Gabrielae Bonino adscripta. Hoc de eventu processus canonicus apud Taurinensem Curiam constitutus est atque felici cum exitu suetae inquisitiones medicae et theologicae sunt peractae. Ideo Nobis coram, die xv mensis Decembris anno MCMXCIV decretum super miro prodiit. Itaque statuimus, ut beatificationis ritus die **VII** mensis Maii subsequentis anni celebraretur.

Hodie igitur in foro Petriano inter sacra hanc ediximus formulam: Nos, vota Fratrum Nostrorum Ioannis Cardinalis Canestri, Archiepiscopi emeriti Ianuensis et Administratoris Apostolici eiusdem metropolitanae Sedis, Iosephi Vincentii Henriquez Andueza, Episcopi Maracayensis, Francisci Iosephi

Mariae Wiertz, Episcopi Ruremundensis, Brunonis Tommasi, Archiepiscopi Lucensis, et Ioannis Cardinalis Saldarmi, Archiepiscopi Taurinensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Augustinus Roscelli, Maria a Sancto Ioseph Alvarado Cardozo, Maria Helena Stollenwerk, Maria Dominica Brun Barbantini et Iosephina Gabriela Bonino Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum: Augustini Roscelli die septima Maii; Mariae a Sancto Ioseph Alvarado Cardozo die secunda Aprilis; Mariae Helenae Stollenwerk die vicesima octava Novembris; Mariae Dominicae Brun Barbantini die vicesima secunda Maii; et Iosephinae Gabrielae Bonino die octava Februarii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quod autem his Litteris decrevimus, volumus et nunc et posterum tempus vim habere, contrariis rebus minime obsistentibus quibuslibet.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die **VII** mensis Maii anno MCMXCV, Pontificatus Nostri septimo decimo.

•B **ANGELUS** card. **SODANO**
Secretarius Status

Loco 83 Sigilli
In Secret. Status tab., n. 372.917

V

Venerabili Servae Dei Mariae Helenae Stollenwerk Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Si quis sitit, veniat ad me et bibat, qui credit in me. Sicut dixit Scriptura, flumina de ventre eius flüent aquae vivae» ***{Io*** 7, 37-38).

Verba haec vitae Servae Dei Helenae Stollenwerk peculiariter aptantur. Inter plura vitae suae discrimina contuitum ad Dominum convertebat. Vocationi quam a Deo exaudiverat est obsecuta in eiusque auxilio speravit. Ferventi pro Spiritus Sancti gloria studio omnimodam sui ipsius pro mundi salute deditionem coniunxit. Eius exemplo plurimae iuvenes alliciebantur

ad idem vitae genus exsequendum. Helena Stollenwerk die xxviii mensis Novembris anno MDCCCLII nata est in pago vulgo Rollesbroich, in dioecesi Aquisgranensi, ohm archidioecesi Coloniensi in Germania. Adhuc puella forma vitae capta est Pontificii Operis Missionarii pro Infantia, quod incrementum obtinuit ob adiumentum pueris Sinensibus praestitum. Vocationem suam missionariam ad maturitatem adduxit per orationem et sacrificii spiritum, dum vehementi inflammabatur fervore erga Sacratissimum Cor Iesu. Tot in discriminibus versans votum fecit fatigationi non indulgendi priusquam cuiuslibet Domus Missionalis limina supergrederetur.

Cum quidem Beatus Arnoldus Janssen die VIII mensis Decembris anno MDCCCLXXXIX fundamenta iecit Congregationis Missionariae Servarum a Spiritu Sancto, Helena cofundatrix exstitit. Ipsa die xvn mensis Ianuarii anno MDCCCXCII religiosum induit habitum, nomen assumpsit Mariam, et die xn mensis Martii anno MDCCCXCIV ad septennium vota religiosa nuncupavit. Prudens et assidua Superiorissa inter annos MDCCCXCI-MDCCCXCVIII Congregationem gubernavit. Die VIII mensis Decembris anno MDCCCXCVIII, Fundatoris menti obsecundans, in clausuram se transtulit, ad partem Sororum Perpetuae Adorationis ante duos annos intra aedes eiusdem Congregationis Missionariae constitutam. Die III mensis Februarii anno MCMIII Serva Dei piissimo obitu extremum edidit spiritum in pago Steyl in Nederlandia, ubi exuviae eius sunt reconditae.

Eius ardens studium in eo erat ut Deus coram omnibus hominibus innotesceret, ab iis amaretur et glorificaretur. Summo orabat fervore et labores doloresque offerebat implorans ut Regnum Dei in dissitiores usque regiones propagaretur. Desiderio compulsa Dei voluntatem etiam in minimis adiunctis exsequendi, praeceptis Fundatoris semper obtemperavit ac summopere curavit Constitutionum spiritu se imbuere. Hoc quidem spiritu per incessantes preces gratiam fideliter servavit atque sancto ardore inducta, votum fecit agendi semper et solummodo ea quae perfectiora sibi videbantur. Dei amore exardescere cupiebat, in oratione perseverare, pauperem contemptamque vitam vivere. Cultu Eucharistico incitata, flagitavit a Fundatore ut quoddam tempus orationi addiceretur utque in bonum communitatis communiones augerentur.

Ob Spiritus Sancti glorificationem singulare studium exhibuit. Cultus Spiritui Sancto tributus duabus notabatur rationibus: oratione nempe in eius honorem atque amore ad proximum. Precationibus invocationem « Veni Sancte Spiritus » saepissime anteponebat. Plenam pietatis efficacitatem

erga Spiritum Sanctum in caritate fraterna reponebat. Delectabatur facultate Beatam Mariam Virginem sub titulo Immaculatae Sponsae Spiritus Sancti venerandi. Virgo vigilans, Helena Stollenwerk dono instructa erat consilii, quo recentem communitatem humilitate, patientia, prudentia ac corde vere materno gubernabat. Tota vita eius sincero orationis, sacrificii et laboris spiritu implicabatur. Verum sic exstitit mirum exemplum religiositatis missionariae et adoratrix.

Causa beatificationis et canonizationis anno MCML apud Curiam Ruremundensem est incohata. Servatis omnibus de iure servandis, Nosmet Ipsi, die XIV mensis Maii anno MCMXCI, declaravimus Servam Dei virtutes théologales, cardinales eisque annexas heroum in modum exercuisse.

Interea apud Curiam Nagoyaensem in Iaponia annis MCMLXXI-MCMLXXII processus canonicus instructus erat de mira quadam patrata curatione, intercessioni eiusdem Servae Dei ascripta. Casu consuetis inquisitionibus medicis et theologicis subiecto, Nobis coram die xxvi mensis Martii anno MCMXCIV promulgatum est Decretum super miro. Quapropter statuimus ut ritus beatificationis Romae haberetur sequenti anno die vii mensis Maii.

Hodie igitur in foro ante Patriarchalem Basilicam Vaticanam, intra Missarum sollemnia formulam hanc protulimus:

Nos, vota Fratrum Nostrorum Ioannis Cardinalis Canestri, Archiepiscopi emeriti Ianuensis et Administratoris Apostolici eiusdem metropolitanae Sedis, Iosephi Vincentii Henriquez Andueza, Episcopi Maracayensis, Francisci Iosephi Mariae Wiertz, Episcopi Ruremundensis, Brunonis Tommasi, Archiepiscopi Lucensis, et Ioannis Cardinalis Saldarmi, Archiepiscopi Taurinensis, nec non plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Augustinus Roscelli, Maria a Sancto Ioseph Alvarado Cardozo, Maria Helena Stollenwerk, Maria Dominica Brun Barbantini et Iosephum Gabriela Bonino Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum: Augustini Roscelli die septima Maii; Mariae a Sancto Ioseph Alvarado Cardozo die secunda Aprilis; Mariae Helenae Stollenwerk die vicesima octava Novembris; Mariae Dominicae Brun Barbantini die vicesima secunda Maii; et Iosephinae Gabrielae Bonino die octava Februarii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Consueto deinde habito ad populum fidelem sermone de vita atque virtutibus eorum quos publice

tunc imitandos proposueramus, eosdem Ipsi venerati sumus atque summa religione primi invocavimus.

Quae autem his Litteris decrevimus nunc et in posterum firma esse volumus, contrariis rebus quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die **VII** mensis Maii, anno MCMXCV, Pontificatus Nostri septimo decimo.

ffi **ANGELUS** card. **SODANO**
Secretarius Status

Loco 6B Sigilli
In Secret. Status tab., n. 375.230

V I

Venerabili Servae Dei Mariae Dominicae Brun Barbantini Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — «Venite, benedicti Patris mei... Esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; hospes eram, et collegistis me; nudus, et operuistis me; infirmus, et visitastis me; in carcere eram, et venistis ad me » ***(Mt*** 25, 34-36).

Hisce accensa ac ducta verbis, Maria Dominica Brun Barbantiñi convertit Dei amorem in cotidianum famulatum, respiciens omnino Iesum, quem ipsa inveniebat in egentioribus fratribus Iesum infirmum in infirmis. Ea igitur spiritualibus suis filiis reliquit hereditatem itemque missionem prorsus pretiosam et ad nostram aetatem pertinentem: etenim illas semper hortabatur ut pauperibus infirmis et morientibus inservirent « corde ad Iesu Christi exemplum conformato ac plane flagranti eius caritate » pro certo habentes « se inservire Deo homini facto, morienti in horto atque extremum spiritum effudenti in cruce. Ipsum esse Christum cui eaedem ministrent ».

Venerabilis Serva Dei orta est Lucae die xvn mensis Ianuarii anno MDCCXXXIX ex patre Petro, Helvético militi, et matre Ioanna Granucci: postridie baptizata est. Cum octavum aetatis ageret annum sacro Chrismate est Imita atque triennio transacto, Paschatis die, ad Eucharisticam mensam accessit.

Anno MDCCCXI nupsit Salvatori Barbantini, qui eodem anno obiit: ex eorum matrimonio natus est filius, qui adhuc puer decessit. Post mortem eo-

niugis, cum eius vita funditus esset mutata, votum perpetuae castitatis emisit habens Iesum Christum «suum bonum... suum unicum solumque amorem », quem ardenter quaesivit, amavit cuique servivit in infirmis suae civitatis. Inde orta est fidelis eius sequela Christi in paenitentia, in mortificatione, in vigili et intima oratione, in constanti pervestigatione Dei voluntatis inque fidenti deditione Providentiae Divinae. Insuper vestigia secuta Sancti Camilli de Lellis in via humani doloris, suam misericordiam et bonitatem in universam effudit Ecclesiam, quam affectu filiae iugiter dilexit cuique est famulata zelu apostolico in membris dolentibus ob paupertatem, derelictionem, infirmitatem et mortem.

Quamobrem Serva Dei iniit Piam Unionem Caritatis — efformatam mulieribus laicis quae ferebant opem infirmis derelictis —, excitavit quoque tum monasterium Visitationis sanctae Mariae in urbe Luca tum sedem puellis praesertim dilapsis et periclitantibus educandis; praeterea promovit catecheticam institutionem et actionem catholicam in paroeciis nec non Piam Operam a Sancta Dorothea, a presbytero Luca Passi conditam. Die XXIII mensis Ianuarii anno MDCCCXXIX, cum nonnullas iuvenes suasque simul primas filias, videlicet Sorores Oblatas Infirmorum Curatrices, apud se congregasset, perrexit opera caritatis morientibus egentioribus assistens. Anno quidem MDCCCXLI Archiepiscopus Lucensis, Dominicus Stefanelli, Regulas ab ipsa Maria Dominica scriptas, probavit, novam recognoscens communitatem tamquam Institutum religiosum dioecesanum. Die autem xxin mensis Martii anno MDCCCLII Summus Pontifex Pius IX, Decessor Noster fel. rec, « Decretum Laudis » edidit quo religiosis mulieribus conferebatur definitivus titulus: « Institutum Sororum Infirmis Ministrantium ».

Die denique xxn mensis Maii anno MDCCCLXVIII Serva Dei, dives meritis, Lucae piissime obdormivit in Domino ab omnibus statim sancta habita.

Eius Beatificationis et Canonizationis Causa incohata est anno MCMXXVII, atque iis expletis iure statutis, die xxvi mensis Martii anno MCMXCIV coram Nobis decretum prodiit super virtutibus heroicis. Interea apud Lucensem Curiam peractus est canonicus processus super quadam sanatione anno MCMLix habita, quae mira dicebatur, eiusdem Servae Dei intercessioni adscripta. Eventu feliciter pervestigato a medicis ac theologis Congregationis de Causis Sanctorum, die xv mensis Decembris anno MCMXCIV evulgatum est Decretum super miro Nobis adstantibus. Quapropter statuimus ut Beatificationis ritus Romae celebraretur die VII mensis Maii insequenti anno.

Hodie igitur in foro ad Patriarchalem Vaticanam Basilicam Sancti Petri spectante, inter Missarum sollemnia hanc protulimus formulam:

Nos, vota Fratrum Nostrorum Ioannis Cardinalis Canestri, Archiepiscopi emeriti Ianuensis et Administratoris Apostolici eiusdem metropolitanae Sedis, Iosephi Vincentii Henriquez Andueza, Episcopi Maracayensis, Francisci Iosephi Mariae Wiertz, Episcopi Ruremundensis, Brunonis Tommasi, Archiepiscopi Lucensis, et Ioannis Cardinalis Saldarmi, Archiepiscopi Taurinensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque Christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Augustinus Roscelli, Maria a Sancto Ioseph Alvarado Cardozo, Maria Helena Stollenwerk, Maria Dominica Brun Barbantini et losephina Gabriela Bonino Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum: Augustini Roscelli die septima Maii; Mariae a Sancto Ioseph Alvarado Cardozo die secunda Aprilis; Mariae Helenae Stollenwerk die vicesima octava Novembris; Mariae Dominicae Brun Barbantini die vicesima secunda Maii; et Iosephinae Gabrielae Bonino die octava Februarii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

Quae vero per has Litteras decrevimus nunc et in posterum rata esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die **VII** mensis Maii, anno MCMXCV, Pontificatus Nostri septimo decimo.

SB ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco 83 Sigilli
In Secret. Status tab., n. 375.232

VII

Venerabili Servo Dei Augustino Roscelli Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Divinum praeceptum: « Estote perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est» observare adstringuntur praesertim sacerdotes « quippe qui Deo in Ordinis receptione novo modo consecrati, Christi aeterni Sacerdotis viva instrumenta efficiantur » (CONC. OECUM. VAT. II Decr. ***Presbyterorum Ordinis,*** 12). Quod ad hoc pertinet praeceptum

peculiariter sedulum se ostendit dominus Augustinus Roscelli, qui sacerdotis ac fundatoris sancti expressit exemplar.

Ortus in vico Bargone di Casarza Ligure denominato (in provincia Genuensi sito) die xxvn mensis Iulii anno MDCCCXVIII eodemque die baptizatus, propter praecocem intellegentiam atque indolis mollitudinem est a pauperibus parentibus parocho commendatus, ut eum doctrinae elementa doceret. Mense Maio anno MDCCCXXXV in missione animata ab archipresbytero Clavarensi Antonio Maria Gianelli, Augustinus fortiter animadvertit se ad sacerdotium vocari Genuamque se contulit ut studia iniret. Oculis in proposito defixis, motibus politicis eius aetatis minime illectus, die xix mensis Septembris anno MDCCCXXXXVI est sacerdos ordinatus a Cardinali Placido Maria Tadini. In multiplicibus ministerii sui negotiis semper moribus modestis eminuit, animae propriis quae constanter in divina praesentia manebat. Dominus Augustinus primum frequenti pago S. Martino d'Albaro est destinatus, ubi in spiritu Christi Pastoris inque omnium sacramentorum exsecutione, humile suum incepit servitium in opere sanctificationis sedulo cum studio, caritate et exemplo Corporis Christi incremento se dedens. A primis temporibus apostolatus et deinde annis securis Augustinus Roscelli navus fuit potissimum tamquam confessarius, cooperator Operis quod ab « Artigianelli » appellabatur, consolationis et misericordiae Domini diffusor inter inclusos in carcere Sancti Andreae, cappellanus brephotrophii provincialis. Postea ex intentione tam multas adiuvandi puellas cura morali indigentes, non paucis acceptis confirmationibus, in primis a Summo Pontifice Pio IX, die XV mensis Octobris anno MDCCCLXXVI suum ad effectum adduxit optatum, veste religiosa tradita primis filiis suis, quas nominavit Sorores ab Immaculata Conceptione, iisdemque itinere sanctitatis indicato, Eius singulariter virtutibus signato, quae exemplar est vitae consecratae. Eius Opus, post initiales difficultates, solidatum est et dilatatum extra Genuenses atque Itálicos fines, ubi Sorores ab Immaculata Conceptione suum praestant institutorium ac adiutabile ministerium. Humilitas proprietas fuit eius religionis et precatio continua totius eius vitae nota significantissima et constantissima. Misere sancteque Genuae mortem obiit die VII mensis Maii anno MCMII.

Fama sanctitatis qua vivus claruit etiam post mortem duravit; quapropter Archiepiscopus Genuensis eius Causae beatificationis et canonizationis initium fecit anno MCMXXXI. Huius famae Ipsi fundamentum agnovimus die xi mensis Septembris anno MCMLXXX per promulgatum decretum super introductione Causae, quod secutum est decretum de heroicitate virtutum

die XXI mensis Decembris anno MCMLXXXIX. Interim Genuae, anno MCMLXXV mira est effecta sanatio precibus tributa domini Augustini Roscelli. De hoc casu anno MCMXCIII rite est peracta canonica inquisitio, post quam, solitis perfectis inspectionibus medicis atque theologicis, est coram Nobis promulgatum decretum super miro die xv mensis Decembris anno MCMXCIIII. Quam ob rem statuimus ut ritus sollemnis beatificationis fieret die **VII** mensis Maii subsequentis anni MCMXCV.

Hodie igitur, in foro quod est ante Vaticanam Sancti Petri Basilicam inter Missae sollemnia hanc ediximus formulam: Nos vota Fratrum nostrorum Ioannis Cardinalis Canestri, Archiepiscopi emeriti Ianuensis et Administratoris Apostolici eiusdem metropolitanae sedis, Iosephi Vincentii Henriquez Andueza, Episcopi Maracayensis, Francisci Iosephi Mariae Wiertz, Episcopi Ruremundensis, Brunonis Tommasi, Archiepiscopi Lucensis, et Ioannis Cardinalis Saldarini, Archiepiscopi Taurinensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque Christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Augustinus Roscelli, Maria a Sancto Ioseph Alvarado Cardozo, Maria Helena Stollenwerk, Maria Dominica Brun Barbantini et Iosephina Gabriela Bonino Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum: Augustini Roscelli die septima Maii; Mariae a Sancto Ioseph Alvarado Cardozo die secunda Aprilis; Mariae Helenae Stollenwerk die vicesima octava Novembris; Mariae Dominicae Brun Barbantini die vicesima secunda Maii; et Iosephinae Gabrielae Bonino die octava Februarii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quae vero hodie statuimus firma esse volumus in posterum ac rata rebus quibuslibet contrariis haudquaquam obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die septimo mensis Maii, anno MCMXCV, Pontificatus Nostri septimo decimo.

© **ANGELUS** card. **SODANO**
Secretarius Status

Loco © Sigilli
In Secret. Status tab., n. 375.369

VIII

Beata Maria Virgo titulo «Nossa Senhora da Luz» invocata, Patrona apud Deum civitatis et archidioecesis Curitibensis confirmatur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Constat Christifideles civitatis et archidioecesis Curitibensis in Brasilia usque a xvu saeculo, quo eadem urbs Curitiba est condita, peculiari cultu prosequi Deiparam Virginem titulo «Nossa Senhora da Luz» invocatam, cuius in honorem dedicaverant cathedrale templum Basilicae Minoris gradu et dignitate insignitum. Qua re ductus Venerabilis Frater Petrus Antonius Marchetti Fedalto, Archiepiscopus Metropolita Curitibensis, communia excipiens vota, electionem beatae Mariae Virginis memorato titulo invocatae in Patronam apud Deum civitatis et archidioecesis suae rite probavit atque, litteris die xm mensis Iunii hoc anno datis, petivit ut huiusmodi electio et approbatio secundum Normas de Patronis constituendis et ad Normam Instructionis « de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis », n. 30, ab hac Apostolica Sede confirmarentur. Nos vero cupientes tam sollertis Pastoris precibus obsecundare itemque dilectis Brasiliensibus filiis istius catholicae communitatis praecipuum benevolentiae Nostrae documentum praebere, cum constet has electionem et approbationem ad iuris praescriptum peractas esse, ratis plane habitis iis, quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, tributis a Nobis facultatibus, hac in re egit, summa Apostolica potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum beatam Mariam Virginem titulo «Nossa Senhora da Luz» invocatam, Patronam apud Deum civitatis et archidioecesis Curitibensis confirmamus, omnibus factis iuribus ac liturgicis privilegiis secundum rubricas consequentibus. Denique volumus has Litteras religiose servari suosque effectus nunc et in posterum obtinere, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VIII mensis Augusti, anno MCMXCV, Pontificatus Nostri septimo decimo.

68 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ffi Sigilli
In Secret. Status tab., n. 375.765

I X

Sancta Familia Iesu, Mariae et Ioseph principalis Patrona atque Sancti Petrus et Paulus secundarii Patroni Campensis Ecclesiae apud Deum confirmantur

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Usque colere catholica Ecclesia et caelites honorare consuevit, quippe qui tum sanctitatis exempla praebeant luculenter imitanda, tum hominibus ipsis, vitae cursum agentibus, beneficia opemque salutarem ferant. Sancta autem Familia summe id perficit, nostris praesertim temporibus, cum exemplis insignique vitae specie praestet. Principes Apostolorum quoque conspicuum obtinent locum idemque praeclara veluti sidera Christifidelibus exhibentur. Quapropter libenter postulatis obsecundare properamus Venerabilis Fratris Danielis Francisci Walsh, Episcopi Campensis, qui, communia optata excipiens fideliumque mentes significans, a Nobis postulavit ut Sancta Familia Iesu, Mariae et Ioseph principalis Patrona ac Sancti Petrus et Paulus secundarii Patroni confirmarentur, ad normam Instructionis « de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis », n. 30. Nos vero ad iuris praescripta omnia acta esse pro comperto habentes scientesque hanc rem fidei et pietatis incrementum afferre, admotis precibus ex animo concedimus.

Itaque iis probatis quae statuit Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, factis a Nobis olim facultatibus, placet Sanctam Familiam Iesu, Mariae et Ioseph principalem Patronam et Sanctos Petrum et Paulum secundarios esse haberique Patronos Campensis dioecesis, omnibus concessis iuribus et privilegiis, quae rubricae convenienter tribuunt, contrariis quibuslibet non officientibus rebus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XV mensis Septembris, anno MCMXCV, Pontificatus Nostri septimo decimo.

£8 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ffi Sigilli
In Secret. Status tab., n. 377.638

X

Beata Maria Virgo sub titulo « Nossa Senhora Mae da Santa Esperança » Patrona apud Deum dioecesis Sancti Aloisii de Montes Belos confirmatur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Beata Maria Virgo materna sua caritate omnes fratres Filii sui adhuc peregrinantes protegit eorumque fiduciam aetate praesertim angustiarum difficultatumque confirmat. Hac fide suffultus Venerabilis Frater Vasintonius Cruz, Episcopus Sancti Aloisii de Montes Belos, communia vota excipiens, Beatam Mariam Virginem Patronam apud Deum dioecesis suae elegit, atque petivit ut huiusmodi electio ab Apostolica Sede confirmaretur. Nos quidem enixis huius Venerabilis Fratris precibus libentissimo animo obsecundantes, comprobatis iis quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, facultatibus a Nobis factis, hac in re egit, Apostolica Nostra potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum Beatam Mariam Virginem sub titulo « Nossa Senhora Mae da Santa Esperança» Patronam apud Deum dioecesis Sancti Aloisii de Montes Belos confirmamus, omnibus factis iuribus ac liturgicis concessionibus, quae Normis de Patronis constituendis nec non Instructione « de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis », n. 30, indicantur. Volumus sane ut hae Litterae Nostrae religiose serventur suosque plenos effectus sive nunc sive in posterum consequantur. Contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xv mensis Septembris, anno MCMXCV, Pontificatus Nostri septimo decimo.

EB ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ffi Sigilli
In Secret. Status tab., n. 377.639

XI

Imago Beatae Mariae Virginis sub titulo « Porta Misericordiae », quae in templo Transfigurationis Domini Iaroslaviae colitur, pretioso diademate redimitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Dei Genetrix Maria « ea quidem est quae divinae misericordiae interius percipit mysterium » ***(Dives in misericordia,*** 9); hac sane significatione eam iure vocitamus Portam Misericordiae, quae toti generi humano aperit thesaurum divinae miserationis. Et merito a multis saeculis populus fidelis ad eam peregrinatur, humiliter implorans Virginis potentis intercessionem apud divinum Salvatorem.

Igitur, Excellentissimo Domino Ioanni Martyniak, Episcopo Premisliensi ritus Byzantini Ucraini, qui litteris die xxvm mensis Novembris superiore anno datis communia vota cleri et Christifidelium exprompsit, concedimus libentes ut pulchram valde multisque gratiis praeclaram imaginem Beatae Mariae Virginis sub titulo « Porta Misericordiae », quae in templo Transfigurationis Domini urbis Iaroslaviae pie colitur, Nostro nomine et auctoritate pretioso diademate redimire possit. Contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xi mensis Octobris, Beatae Mariae Virginis Matris Ecclesiae recurrente memoria, anno MCMXCV, Pontificatus Nostri septimo decimo.

£8 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ffi Sigilli
In Secret. Status tab., n. 377.341

NUNTIUS

Ob diem ad pacem fovendam missus.

1. At the end of 1994, the International Year of the Family, I wrote a Letter to the children of the whole world, asking them to pray that humanity would increasingly become God's family, living in harmony and peace. I have frequently expressed my heartfelt concern for children who are victims of armed conflicts and other kinds of violence, and I have not failed to call these serious situations to the attention of world public opinion.

At the beginning of this new year, my thoughts turn once again to children and to their legitimate hope for love and peace. I feel bound to mention in a particular way children who are suffering and those who often grow to adulthood without ever having experienced peace. Children's faces should always be happy and trusting, but at times they are full of sadness and fear:. how much have these children already seen and suffered in the course of their short lives!

Let us give children a future of peace! This is the confident appeal which I make to men and women of good will, and I invite everyone to help children to grow up in an environment of authentic peace. This is their right, and it is our duty.

2. I begin by thinking of the great crowds of children whom I have met during the years of my Pontificate, especially during my Apostolic Visits to every continent: joyful children who are full of happiness. My thoughts turn to them at the beginning of this new year. It is my hope that all children of the world will be able to begin 1996 in happiness and to enjoy a peaceful childhood, with the help of responsible adults.

I pray that everywhere a harmonious relationship between adults and children will promote a climate of peace and authentic well-being. Sadly, many of the world's children are innocent victims of war. In recent years millions of them have been wounded or killed: a veritable slaughter.

The special protection accorded to children by international law[1] has been widely disregarded, and the dramatic increase of regional and inter-ethnic con-

[1] **Cf. United Nations Convention of 20 November 1989 on the rights of the child, especially Article 38; the Fourth Geneva Convention of 12 August 1949 on the protection of civilian in Time of War, Article 24; Protocols I and II of 12 December 1977, etc.**

flicts has made it difficult to implement the protective measures called for by humanitarian regulations. Children have even become targets of snipers, their schools deliberately destroyed, and the hospitals where they are cared for bombed. In the face of such horrendous misdeeds, how can we fail to speak out with one voice in condemnation? The deliberate killing of a child is one of the most disturbing signs of the breakdown of all respect for human life.[2]

In addition to the children who have been killed, my thoughts also turn to those who have been maimed during or after these conflicts. I likewise think of young people who are systematically hunted down, raped or killed during so-called "ethnic cleansings".

3. Children are not only victims of the violence of wars; many are forced to take an active part in them. In some countries of the world it has come to the point where even very young boys and girls are compelled to serve in the army of the warring parties. Enticed by the promise of food and schooling, they are confined to remote camps, where they suffer hunger and abuse and are encouraged to kill even people from their own villages. Often they are sent ahead to clear minefields. Clearly, the life of children has little value for those who use them in this way!

The future of young people who have taken up arms is often compromised. After years of military service, some are simply discharged and sent home, where they often fail to fit into civilian life. Others, ashamed of having survived when their companions have not, frequently end up as criminals or drug addicts. Who knows what nightmares must continue to afflict them! Will their minds ever be free of the memories of violence and death?

The humanitarian and religious organizations which attempt to relieve these inhuman sufferings deserve heartfelt respect. Thanks are also owed to those generous individuals and families who welcome orphans with love, and do everything they can to heal their traumas and to help them to fit once more into the communities from which they came.

4. The memory of the millions of children who have been killed, and the sad faces of so many others who are suffering compel us to take every possible measure to safeguard or re-establish peace, and to bring conflicts and wars to an end.

[2] Cf. JOHN PAUL II, Encyclical Letter *Evangelium Vitae* (25 March 1995), 3: *AAS* 87 (1995), 404.

Before the Fourth World Conference on Women which took place in Beijing last September, I asked Catholic charitable and educational institutions to adopt a coordinated strategy which gives priority to issues concerning children and young women, especially those most in need.[3] Now I wish to renew that appeal, and to extend it in a special way to Catholic institutions and organizations which deal with children. I ask them to help girls who have suffered as a result of war and violence, to teach boys to acknowledge and respect the dignity of women, and to help all children to rediscover the tenderness of the love of God who took flesh, and who by dying left the world the gift of his peace (cf. ***Jn*** 14:27).

I will continue to point out that all, from the most prominent international organizations to local associations, from Heads of State to ordinary citizens, in everyday actions and at the most significant moments of life, are called upon to make a contribution to peace and to give no support to war.

5. Millions of children suffer from other kinds of violence present both in poverty-stricken and in developed societies. These kinds of violence are often less obvious, but they are no less terrible.

The International Summit for Social Development which took place this year in Copenhagen stressed the connection between poverty and violence,[4] and on that occasion States committed themselves to a greater battle against poverty through initiatives at the national level, beginning in 1996.[5] Similar suggestions were made by the earlier World Summit for Children, held in New York in 1990. Poverty is indeed the cause of inhuman living and working conditions. In some countries children are forced to work at a tender age and are often badly treated, harshly punished, and paid absurdly low wages. Because they have no way of asserting their rights, they are the easiest to blackmail and exploit.

In other circumstances children are bought and sold,[6] so that they can be used for begging or, even worse, forced into prostitution, as in the case of so-called "sex tourism". This utterly despicable trade degrades not only those who take part in it but also those who in any way promote it. Some do not hesitate to enlist children in criminal activities, especially the selling of narcotics, thus exposing them to the risk of personal involvement in drug use.

[3] Cf. Message to the Delegation of the Holy See at the Fourth World Conference on Women (29 August 1995): *L'Osservatore Romano,* 30 August 1995, 1.

[4] Cf. Copenhagen Declaration, No. 16.

[5] Cf. Programme of Action, Chapter II.

[6] Cf. Programme of Action, No. 39 (e).

Many children end up with the street as their only home. Having run away, or having been abandoned by their families, or never having known a family environment, these young people live by their wits and in a state of total neglect, and they are considered by many as refuse to be eliminated.

6. Sadly, violence towards children is found even in wealthy and affluent families. Such cases are infrequent, but it is important not to overlook them. Sometimes children are taken advantage of and suffer abuse within the home itself, at the hands of people whom they should be able to trust, to the detriment of their development.

Many children are also compelled to endure the trauma caused by fighting between their parents, or by the actual breakup of the family. Concern for the children's welfare does not prevent solutions which are often dictated by the selfishness and hypocrisy of adults. Behind an appearance of normality and peacefulness, masked even further by an abundance of material possessions, children are at times forced to grow up in dismal loneliness, without firm and loving guidance and a suitable moral formation. Left to themselves, such children usually find their main contact with reality in television programmes which often present unreal and immoral situations which they are still too young to assess properly.

It is no wonder if this kind of widespread and pernicious violence also has its effect on their young hearts, changing their natural enthusiasm into disillusionment or cynicism, and their instinctive goodness into indifference or selfishness. When young people chase after false ideals, they can experience bitterness and humiliation, hostility and hatred, absorbing the discontent and emptiness all around them. Everyone is well aware of how childhood experiences can have profound and sometimes irreparable consequences on an individual's whole life.

It can hardly be hoped that children will one day be able to build a better world, unless there is a specific commitment to their education for peace. Children need to "learn peace": it is their right, and one which cannot be disregarded.

7.1 have sought to emphasize strongly the often tragic conditions in which many children are living today. I consider this my duty: they will be the adults of the Third Millennium. But I have no intention of yielding to pessimism or ignoring the signs of hope. How can I fail to mention, for example, the many families in every part of the world in which children grow up in an atmosphere of peace? And how can we not note the efforts being made by so

many individuals and organizations to enable children in difficulty to grow up in peace and happiness? Public and private associations, individual families and particular communities have taken initiatives the only purpose of which is to help children who have suffered some traumatic event to return to a normal life. In particular, educational programmes have been developed for encouraging children and young people to use fully their personal talents, in order to become true peacemakers.

There is also a growing awareness in the international community which, in recent years, despite difficulties and hesitation, has made efforts to deal decisively and systematically with problems connected with childhood.

The results achieved thus far encourage us to continue these praiseworthy endeavours. If children are properly helped and loved, they themselves can become peacemakers, builders of a world of fraternity and solidarity. With their enthusiasm and youthful idealism, young people can become "witnesses" and "teachers" of hope and peace to adults. Lest these possibilities be lost, children should be offered, in a way adapted to their individual needs, every opportunity for a balanced personal growth.

A peaceful childhood will enable boys and girls to face the future with confidence. Let no one stifle their joyful enthusiasm and hope!

8. Little children very soon learn about life. They watch and imitate the behaviour of adults. They rapidly learn love and respect for others, but they also quickly absorb the poison of violence and hatred. Family experiences strongly condition the attitudes which children will assume as adults. Consequently, if the family is the place where children first encounter the world, the family must be for children the first school of peace.

Parents have an extraordinary opportunity to help their sons and daughters to become aware of this great treasure: the witness of their mutual love. It is by loving each other that they enable the child, from the very first moment of its existence, to grow up in peaceful surroundings, imbued with the positive values which make up the family's true heritage: mutual respect and acceptance, listening, sharing, generosity, forgiveness. Thanks to the sense of working together which these values foster, they provide a true education for peace and make the child, from its earliest years, an active builder of peace.

Children share with their parents and brothers and sisters the experience of life and hope. They see how life's inevitable trials are met with humility and courage, and they grow up in an atmosphere of esteem for others and respect for opinions different from their own.

It is above all in the home that, before ever a word is spoken, children should experience God's love in the love which surrounds them. In the family they learn that God wants peace and mutual understanding among all human beings, who are called to be one great family.

9. Besides the basic education provided by the family, children have a right to a specific training for peace at school and in other educational settings. These institutions have a duty to lead children gradually to understand the nature and demands of peace within their world and culture. Children need to learn the history of peace and not simply the history of victory and defeat in war.

Let us show them examples of peace and not just examples of violence! Fortunately many positive examples of this can be found in every culture and period of history. Suitable new educational opportunities must be created, especially in those situations where cultural and moral poverty has been most oppressive. Everything possible should be done to help children to become messengers of peace.

Children are not a burden on society; they are not a means of profit or people without rights. Children are precious members of the human family, for they embody its hopes, its expectations and its potential.

10. Peace is a gift of God; but men and women must first accept this gift in order to build a peaceful world. People can do this only if they have a childlike simplicity of heart. This is one of the most profound and paradoxical aspects of the Christian message: to become child-like is more than just a moral requirement but a dimension of the mystery of the Incarnation itself.

The Son of God did not come in power and glory, as he will at the end of the world, but as a child, needy and poor. Fully sharing our human condition in all things but sin (cf. ***Heb*** 4:15), he also took on the frailty and hope for the future which are part of being a child. After that decisive moment for the history of humanity, to despise childhood means to despise the One who showed the greatness of his love by humbling himself and forsaking all glory in order to redeem mankind.

Jesus identified with the little ones. When the Apostles were arguing about who was the greatest, he "took a child and put him by his side, and said to them, 'Whoever receives this child in my name, receives me; and whoever receives me receives him who sent me' " ***(Lk*** 9:47-48). The Lord also forcefully warned us against giving scandal to children: "Whoever causes one of these

little ones who believe in me to sin, it would be better for him to have a great millstone fastened round his neck and to be drowned in the depth of the sea" ***(Mt*** 18:6).

Jesus asked the disciples to become "children" again. When they tried to turn away the little ones who were pressing in upon him, he said indignantly: "Let the children come to me, do not hinder them; for to such belongs the Kingdom of God. Truly, I say to you, whoever does not receive the Kingdom of God like a child shall not enter it" ***(Mk*** 10:14-15). Jesus thus turned around our way of thinking. Adults need to learn from children the ways of God: seeing children's capacity for complete trust, adults can learn to cry out with true confidence, "Abba, Father!".

11. To become like a little child — with complete trust in the Father and with the meekness taught by the Gospel — is not only an ethical imperative; it is a reason for hope. Even where the difficulties are so great as to lead to discouragement and the power of evil so overwhelming as to dishearten, those who can rediscover the simplicity of a child can begin to hope anew. This is possible above all for those who know they can trust in a God who desires harmony among all people in the peaceful communion of his Kingdom. It is also possible for those who, though not sharing the gift of faith, believe in the values of forgiveness and solidarity and see in them — not without the hidden action of the Spirit — the possibility of renewing the face of the earth.

It is therefore to men and women of good will that I address this confident appeal. Let us all unite to fight every kind of violence and to conquer war! Let us create the conditions which will ensure that children caii receive as the legacy of our generation a more united and fraternal world!

Let us give children a future of peace!

From the Vatican, 8 December 1995.

IOANNES PAULUS PP. II

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

CREMONEN.

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Henrici Rebuschini, sacerdotis professi Ordinis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis (1860-1938)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Assiduitas doloribus physicis et spiritalibus aegrotorum praebita id spectat, ut Domini Iesu inexhausta© misericordiae et patientiae atque bonitatis sit continuatio, qui ad omnes se dimisit generis humani miserias peccato sauciati et per corporum dolentium curam pacem animis dedit atque salutem. Vestra idcirco in valetudinariis praesentia, apud pauperes et indigentes, constans sit caritatis Christi radiatio, explicata defensio urbanitatis, gratificationis, heroicae virtutis, si oportet, eorum, qui exemplum Domini Iesu duxerunt unicam vitae suae causam, mensuram generositatis sine mensura, secretum impetus incitamentum sola morte decessuri» ***(Insegnamenti di Paolo VI,*** vol. III, Tip. Pol. Vaticana, 1965, pp. 289-290).

Verba, quibus Summus Pontifex Paulus VI est Clericos Regulares Ministrantes Infirmis allocutus, propositorum et apostolatus Servi Dei Henrici Rebuschini compendium esse videntur, qui Christi exemplum et doctrinam est fideliter secutus suamque impendit vitam aegrotorum atque peccatorum servitio, quibus, cum humilitate et caritate, bona Redemptionis largiter distribuit et misericordiae divinae evangelicaeque necessitudinis dulcedinem experiendam obtulit.

Dignus hic Sancti Camilli de Lellis assecla natus est in oppido Gravedona die 28 mensis Aprilis anno 1860, intra Comensis dioecesis fines, a familia opulenta solidisque principiis moralibus et religiosis exornata. Parentes, Dominicus Rebuschini et Sophia Polti, eum optima instruxerunt educatione, quam puer obsequenter combibit et utiliter eamque ob rem in lumine fidei semper ambulavit, apertam ostendens propensionem ad deprecationem, ad solitudinem, ad familiaritatem cum Domino et ad continentiam. Lycei studiis

confectis est etiam computatoris diploma adeptus patris appetitioni obsecundans, qui eum habilem esse cupiebat mercatorem, cum filius mallet omnino Deo eiusque regno se consecrare, bonis illectus maioribus. Hoc numquam dimisit desiderium, nec in militia, nec tempore quo apud sericorum officinam minister fuit in viculo Cremia ac deinde apud Adniinistrationem valetudinarii civilis Comensis, ubi sollicitudine eminuit de aegrotis.

Patris dissensione superata et consensu obtento episcopi dioecesani, anno 1884 seminarium Langobardum Romae ingressus est coepitque Pontificiam Studiorum Universitatem Gregorianam frequentare, sed anno 1886 fuit ei ad familiam redeundum propter valetudinis causam. Melius cognita Dei voluntate, subsequenti anno postulavit et obtinuit ut in Ordinem Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis reciperetur. Cum Veronae erat novitius est sacerdos ordinatus a Iosepho Sarto, Episcopo Mantuano, idibus Aprilibus anno 1889; insequentis mensis Decembris die 8 vota suscepit simplicia et biennio post vota sollemnia. Superiores, qui eum ob virtutes magni faciebant, statim ei vicarii magistri novitiorum ac theologiae praeceptoris munera crediderunt in scholasticorum sede. Non multo post nominatus est valetudinarii militaris ac valetudinarii civilis Veronensis cappellanus, ubi ardore effulsit, caritate et humanitate qua aegrotis assidebat, in quibus Christum videbat crucifixum; eos visitabat, consolabatur atque bonitate mollitudineque et praesertim fidei ac spei verbis sacramentoque paenitentiae ad Deum adducebat. Pro eorum conversione preces offerebat et in casibus difficilibus ásperas paenitentias obire non dubitavit. Ab anno 1899 Cremonae mansit, muneribus fungens cappellani Filiarum Sancti Camilli, oeconomi domus suae religiosae et nosocomii decemque annos fuit etiam communitatis suae superior, quam potius exemplo sanctitatis suae rexit quam auctoritatis exercitio. Eodem tempore solito cum fervore in curam incubuit spiritualem infirmorum inque confessionum ministerium. Quamvis verecundus esset, in verbis parcus et peculiariter timidus, munia sacerdotalia et communia cum dignitate, diligentia et perseverantia est exsecutus atque, corde in aeternitate et in Deo defixo, constanter est in Christo sequendo progressus et in via perfectionis, Ordinem suum necnon Cremonensem civitatem salutariter movens. Verus homo Dei, semper in lumine fidei vixit, spei et caritatis. Firmiter revelationi assensus est atque Ecclesiae magisterio, artam coluit coniunctionem cum Deo per piam divinorum mysteriorum celebrationem et liturgiae horarum, deprecationem, meditationem aeternarum veritatum. Multum insumebat tempus in Eucharistiae adoratione, singularemque excoluit in Sanctissimam Trinitatem, in Christi Passionem et in Virginem Mariam pie-

tatem. Amoris Dei plenus, omni tempore eius voluntati eiusque legibus oboedivit atque humiliter pro eius gloria et regno laboravit, evangelium testificans et animis serviens cum suavitate, alacritate et prudentia. Caritatem Christi in fratres sodales, in aegrotos, in peccatores effudit in eosque, quibus per diem obviam se dabat. Misericors fuit in omnes, in illos quoque, qui eius fiducia atque bonitate sunt abusi. Erga suam religiosam consecrationem fidelis, diligenter vota et Regulam servavit, abnegavit se ipsum, sensus coercuit, affectiones continuit, ab inanibus mundi rebus fuit alienus, omne peccati et vitii genus effugit, in difficultatibus fortis fuit et patiens. Egregie iustitiam explicavit erga Deum et proximum munereque oeconomi est functus cum probitate, integritate et accuratione, nitens quam optime utilis esse fratribus sodalibus et aegrotis in eorum nosocomio iacentibus. Saepius in vitae cursu magnorum ulteriorum dolorum crucem tulit, quibus tamen non est impeditus, quominus in viis Dei progrederetur et exemplari modo officia sacerdotalia sustineret. Peripneumonia correptus, praemium aeternum, quod semper exoptaverat, die 10 mensis Aprilis est consecutus anno 1938.

Sanctitatis fama, qua in vita claruit, confirmata est et aucta post eius mortem; quapropter Episcopus Cremonensis Causae beatificationis et canonizationis initium fecit per celebratum processum ordinarium informativum (annis 1947-1958), cui additus est processus rogatorialis Comensis (anno 1948). Anno 1980 promulgatum est decretum super Causae introductione et annis 1981-1983, apud eandem Curiam Cremonensem, est processus apostolicus exstructus. Horum processuum auctoritas est a Congregatione de Causis Sanctorum probata decreto pridie idus Iunias anno 1987 promulgato. Positione perfecta, disceptatum est, an Servus Dei heroum more virtutes observavisset. Postridie idus Februarias anno 1995 prospero cum exitu Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum est actus. Patres Cardinales deinde atque Episcopi, in Sessionem Ordinariam congregati, Causae Ponente Excellentissimo domino Andrea Maria Erba, Episcopo Veliterno, agnoverunt Dei Servum Henricum Rebuschini heroum in modum virtutes théologales, cardinales iisque adnexas coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandos, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter

declaravit: ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Henrici Rebuschini, Sacerdotis professi Ordinis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 11 mensis Iulii A. D. 1995.

£8 **ALBERTUS BOVONE**
archiep. tit. Caesarien. in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. ©S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

DETROITEN.

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Francisci Solani Casey, sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum (1870-1957)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Filius hominis non venit ministrari sed ministrare et dare animam suam redemptionem pro multis» ***(Mt*** 20, 28).

Divini Magistri Verba et exemplum perfecte Francisci Solani Casey vitae consilium comprehendunt, qui suam egit terrenam exsistentiam in humilitate inque fratrum servitio, secundum Sancti Francisci Asisinatis doctrinam.

Servus Dei in Foederatarum Civitatum Americae Septentrionalis urbe Prescott (in Visconsinia posita) ortus est die 25 mensis Novembris anno 1870 ab agricolarum familia, oriunda ex Hibernia, sedecim filiorum sextus. Ambo parentes christianae legis studiosi erant atque religiosi filiosque suos solida instruxerunt educatione religiosa; ex iis tres facti sunt sacerdotes.

Ludo peracto, iuvenis Bernardus aliquot annos in varias incubuit operas, nempe operarii rustici, lignicidae, machinatoris, elettrotechnici, carceris custodis, hamaxostichi urbani gubematoris.

Viginti duorum annorum ingressus est Seminarium dioecesanum Sancti Francisci Salesii Milvaukiae. Propter non iuvenem aetatem et imparem

formationem ingentes in studiis obiit difficultates. Quinque post annis exitus scholastici tam exigui erant ut Superiores ei suaserint proposito sacerdotii desistere et in Institutum intrare vitae consecratae.

Cum docilitate et fiducia eorum consilium accepit et, post sacrum novendiale in honorem Mariae Virginis Immaculatae, statuit Capuccinorum sagulum Detroiti induere, quo die 24 mensis Decembris pervenit anno 1896.

Vestitio religiosa facta est postridie idus Ianuarias anno 1897. Per novitiatum coepit libellum conscribere, in quam annotationes referebat varias, testimonia hagiographia, preces et proposita.

Novitiatu ad finem adducto, die 21 mensis Iulii anno 1898 professionem religiosam fecit et statim studia theologica recoluit ad sacerdotium spectans in Seminario Sancti Francisci Milvaukiensi. Linguae adhibitae, Germanica nimirum et Latina, certe non ei facilem reddiderunt disciplinarum sacrarum cognitionem. Tametsi exitus mediocres fuerunt, tandem Superiores eum sacerdotio dignum habuerunt. Maximi ponderis hac in re iudicium fuit studiorum Praesidis: « Fratrem Franciscum Solanum ordinabimus et tamquam presbyter is populo erit sicut parochus Ars ».

Ordinatus est die 24 mensis Iulii anno 1904, tamquam presbyter simplex, videlicet cum condicione ne propalam confessiones audiret peccatorum neque praedicaret; quam Pater Franciscus Solanus cum spiritu fidei magnaeque humilitatis probavit.

Severae hae exceptiones non eum impediverunt quominus apostolatum sacerdotalem admodum varium ac fecundum explicaret, etiam per humilia munia. Ita post ordinationem sacerdotalem incipit eventus singularis, magnus et longus, Patris Francisci Solani « sacrarii » et « ostiarii », omnino ministerio dediti pauperiorum et egentiorum, qui ostia pulsabant diversorum conventuum quibus est assignatus in urbibus: Yonkers (annis 1904-1918), Manhattano (annis 1918-1924), Detroito (annis 1924-1945), Bruclino (annis 1945-1946), Huntintonia (annis 1946-1956) et demum iterum Detroito (annis 1956-1957).

Inde a primo ministerio in paroecia Sacri Cordis in urbe Yonkers confestim virtutum suarum specimen dedit non communium: fidei, pietatis, bonitatis, caritatis, humilitatis, simplicitatis, et sine mora permanavit eius singularium charismatum fama, nempe donorum prophetiae et sanationum. Notae praecipuae sanctitatis et magnitudinis virtutum, uti in longa vita Servi Dei patent, sunt: fides inconcussa in Deum, nutrita vita constanter acta coram Deo; peculiaris bonitas, non solum naturalis, verum et supera ac sublimis, communione nisa cum Deo Creatore et Redemptore; generositas mira; facilitas absoluta erga om-

nes sine discrimine religionis, condicionis socialis et oeconomicae, nationis vel pellis coloris; amor tenemmus in Virginem Mariam, Dei Opus praestantissimum; maxima humilitas, qua semper Deo gloriam dedit seque semper conversione indigentem putavit; spiritus apostolicus sine intermissione ut omnes ad meliorem vitam spiritalem adduceret et fervida cura agitationis missionalis; spiritus oecumenicus cum respectu personae humanae et cuiusvis conscientiae; singularis et constans in actibus ordinariis sedulitas cum incredibihs patientiae significatione; spiritus supernaturalis in accipiendis difficultatibus vitae cotidianae atque corporis dolorum; mirum exemplum vitae consecratae et paupertatis franciscanae; fidelitas erga Ecclesiam et oboedientia auctoritati ecclesiasticae et religiosae.

Secundum Servum Dei virtutes Fidei, Spei et Caritatis artam constituunt unitatem, quippe quae detegant «signa Sanctissimae Trinitatis in nostris animis immortalibus »; et propter divinam hanc praesentiam homo baptizatus in eis crescit et progressus facit. Non solum is ceteros hortabatur ad vivendum in virtutibus theologalibus, sed magnam in se ostendit congruentiam in earum insueta exercitatione.

Fidem habebat simplicem, sinceram, solidam, impensam, fidem illam immensam quae potest « montes transferre ». De fide crebro loquebatur nec, propter hoc donum, Deo gratias agere desistebat. Suam alebat fidem deprecatione fiduciae plena, filiali, assidua, qua adducebatur ad integras horas nocturnas in oratione degendas.

Vita eius spiritalis cardinem habebat sanctum Missae Sacrificium et Sanctissimum Sacramentum. Peculiari religione Sanctissimam Virginem Mariam colebat. A puero ad cotidianam recitationem Rosarii assueverat tantique hunc ducebat usum ut nocte expergisceretur si inconsulto illum praetermisisset.

Eius fides indicata est obsequio et oboedientia Ecclesiae, Summo Pontifici, Episcopis propriisque Superioribus. Fidem inculcabat in suis oratiunculis et in sermonibus cum hominibus. Studium fidei patefecit in propagatione Operis Seraphici Missarum. Semper propter finem supernaturalem agebat, exclusa omni terrenae mercedis cupidine omnique semper merito Deo tributo in acceptarum gratiarum casibus. Omnes ad fiduciam Dei magnam accendebat, animas assuefaciendo ad Dominum putandum Deum bonum, qui homines atque eventus dirigit ad bonum. Ab omnibus rebus alienus vixit, serenus, numquam quidquam lamentans.

Haud dubie sanctitatis eius caput fuit Dei amor et proximi. Amorem Dei in donum sui mutavit, scilicet ut esset pro aliis. Sua caritate movebatur non

solum ad omnes excipiendos, sed etiam ad manendum cum eis maxima cum patientia plus decem horas cotidie, eo uno consilio, ut eorum consuleret bono spiritali, physico et materiali, sua iustae quietis necessitate neglecta, epulis quoque omissis atque nocturna requie dimissa pro oratione et epistularum commercio.

Eius amor in proximum non ex eius indole felici proficiscebatur, ex eius simplicitate vel molhtudine, sed etiam, immo praesertim, ex vera caritate supernaturali, quandoquidem imaginem Dei in quolibet homine videbat. Hoc ex eo conicitur, quod semper paratus fuit et sedulus in accipienda quavis petitione nullam lassitudinem ostendens, nullum taedium, nullam impatientiam, nullum favorem pro alia persona, potius quam pro alia.

Etiam in exercitio virtutum cardinalium et adnexis Servus Dei diligentiam constantem, iucundam et non communem ostendit. Pater Franciscus Solanus sibi imperare valebat tum etiam, cum malis physicis afficiebatur et rebus adversis exterioribus. Semper iustus fuit in suis muneribus exsequendis erga Deum in deprecatione, in regulae observantia, in paenitentia.

Servi Dei fortitudo apparet ex eius voluntate vocationem sequendi etsi non defuerunt discendi difficultates, ex eius cura ad perfectionem vitae spiritalis contendendi, ex exsecutione munium ei concreditorum, ex tolerantia difficultatum quae ex officiis et personis proveniebant.

Quod ad temperantiam pertinet, moderatus erat in cibo inque requiete, ex solito ieiunium exercebat sine ostentatione, pauperem agebat vitam, sine aliquo commodo, iis contentus, quae necessaria erant. Sancta cum laetitia indignitates excipiebat.

Persuasum sibi habens unum esse exemplar veritatis aeternae, Iesum Christum, Pater Franciscus Solano perseveranter nisus est Christum imitari, potissimum oboedientia et paupertate, castitate atque humilitate, personas alliciens omnis aetatis et ordinis, impios et aliarum confessionum asseclas. Sine cunctatione humillimis muneribus est functus, quae ex consuetudine fratribus non clericis concreduntur, sacrarii et ostiarii. Suas excepit sacerdotis simplicis angustias, expers potestatis praedicandi et peccatorum confessiones audiendi. Unicum habuit pulpitum ostiarii cellam conventus suumque explicavit apostolatum solummodo bonis verbis, caritate fraterna, patientia atque oboedientia.

Die 28 mensis Iulii anno 1954 quinquagesimam celebravit ordinationis sacerdotalis anniversariam memoriam. Sed eius valetudo sensim languescebat ideoque, postquam pluries est in valetudinarium deductus, die 31 mensis Iulii anno 1957, octoginta septem annorum, sacramentis acceptis, verba pronuntians « Animam meam do Christo Iesu », a sorore morte est Vitae traditus.

Mortis eius notitia divulgata, viginta milia fere personarum, omnis ordinis et confessionis, reverentiam corpori eius praestiterunt, quod sepultum est in coemeterio Capuccinorum Detroitensem, deinde in ecclesiam eiusdem conventus translatum.

Fama sanctitatis durante, Archiepiscopus Detroitensis Causae beatificationis et canonizationis initium fecit per celebrationem Processus Cognitionalis (annis 1983-1984), cuius auctoritas et vis probata est a Congregatione de Causis Sanctorum decreto die 7 mensis Novembris anno 1986 promulgato. Confecta Positione super virtutibus, exitu cum secundo actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum die 7 mensis Aprilis anno 1995. Patres Cardinales deinde et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 20 mensis Iunii subsequentis, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Villelmo Wakefield Baum, professi sunt Servum Dei Franciscum Solanum Casey virtutes théologales, cardinales iisque adnexas heroum in modum coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Cardinali Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Francisci Solani Casey, Sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 11 mensis Iulii A. D. 1995.

68 **ALBERTUS BOVONE**
archiep. tit. Caesarien. in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. 68 S.

68 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

HISPALEN.

Canonizationis beati Ioannis Grande religiosi professi Ordinis Hospitalarii S. Ioannis a Deo (1546-1600)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Beatus Ioannes Grande Carmonae ortus est in Hispalensi archidioecesi, pridie nonas Martias anno 1546. Industria mercatoria relicta, in eremum secessit ut in deprecationem incumberet inque paenitentiam. Deinde ***Jerez de la Frontera*** se contulit ut pauperibus, aegrotis et insanabüibus assiduitatem praeberet utque hoc assequeretur propositum valetudinarium aedificandum curavit. Cum suis sociis anno 1574 Ordinem Hospitalarium Sancti Ioannis de Deo est ingressus. Plurimam explicavit industriam catechesi tradendae, scortis redimendis operam dedit et, iussu archiepiscopi Hispalensis plura parva valetudinaria in tria nosocomia redegit, casibus adversis, improbationibus et doloribus obitis. Caritatis exercitium impensae coniunxit vitae interiori, maximae austeritati, paupertati ferventique pietati eucharisticae ac mariali. Pestilentia vexatis assidens, eundem contraxit morbum et die 3 mensis Iunii anno 1600 est vita defunctus.

Vivus et mortuus magna claruit fama sanctitatis atque miraculorum, quam ob rem mox inita est beatificationis et canonizationis Causa. Iis peractis, quae id temporis normae iuris statuebant, Summus Pontifex Pius IX eum Beatum renuntiavit idibus Novembribus per sollemnem ritum in Vaticana basilica celebratum anno 1853.

Nuper Causae Postulatio ad canonizationem obtinendam Ioannis Grande iudicio permisit Congregationis de Causis Sanctorum coniectam miram sanationem Cracoviae patratam et intercessioni tributam eiusdem Beati. Sanatio pertinet ad Sororem Mariam Reginam Hoeflich, Sororum Felicianarum Congregationis sodalem, Leopoli natam anno 1877; quae, a Nativitate Domini anni 1931 annum dolore laborare coepit dextri lateris, qui celeriter est perturbatus cum processu infiammatorio et puris praesentia. Otorhinolaryxigoiatrus, qui aegrotam visitavit, diagnosim edixit de aurium infiammatine media purulenta dextra cum mastoidis infiammatine. Etsi iteratae sunt variae therapiae, liquor purulentus gradatim est auctus, quapropter necessaria visa est sectio chirurgica mastoidis, quae tamen fieri non potuit, quia Soror cardiopathia erat affecta. Animadversa scientiae inefficacia, ipsa aegrota die 24 mensis Februarii

anno **1932** cum fiducia auxilium invocavit divinum per intercessionem beati Ioannis Grande et insequenti mane, e somno excitata sensit se omnino sanatam esse. Duobus post diebus medicus factam cognovit sanationem. Instrumentis collectis ad sanationem attinentibus, die **15** mensis Decembris anno **1994** apud Congregationem de Causis Sanctorum sessio acta est Consilii Medicorum, quod uno ore declaravit Sororem sanatam esse ratione celérrima, completa atque stabili et pro scientia inexplicabili ab « otomastoidis inflammatione purulenta acuta dextra in persona diabeta laborante ». Die **24** mensis Februarii anno **1995** actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris et die **4** mensis Iulii subsequentis Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium atque Episcoporum, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Eduardo Gagnon. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Carchnalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Cardinali Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: ***Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Beato Ioanne Grande, Religioso professo Ordinis Hospitalarii S. Ioannis a Deo, videlicet de celérrima, completa et stabili sanatione Sororis Mariae Reginae Hoeflich ab « otomastoidite purulenta acuta destra in soggetto diabetico ».***

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die **11** mensis Iulii **A.** D. **1995.**

83 ALBERTUS BOVONE
archiep. tit. Caesarien. in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. 83 S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

MEDIOLANEN.

Beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Alfredi Hdefonsi Schuster, O.S.B., archiepiscopi Mediolanensis, S.R.E. Cardinalis (1880-1954)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Alfredus Ildefonsus Schuster Romae natus est die 18 mensis Ianuarii anno 1880. Puer Ordinem est ingressus Sancti Benedicti in Abbatia Sancti Pauli de Urbe, ubi monasticam fecit professionem et est sacerdos ordinatus. Anno 1918 est suae Abbatiae abbas ordinarius electus et anno 1929 concredita est ei sedes archiepiscopalis Mediolanensis atque dignitas cardinalicia collata. Pastorale suum munus magna cum caritate, ardore et spiritu sacrificii est functus, omnibus omnia factus. Ampla ac solida sanctitatis fama insignis, aeternitatem introivit die 30 mensis Augusti anno 1954.

Anno 1957 inita est beatificationis et canonizationis Causa apud Curiam Mediolanensem. Rebus peractis iure statutis, Summus Pontifex Ioannes Paulus II die 26 mensis Martii anno 1994 declaravit Servum Dei virtutes théologales, cardinales iisque adnexas heroum in modum coluisse.

Consequendae beatificationis ratione Causae Postulatio Congregationi de Causis Sanctorum miram coniectam sanationem iudicandam permisit, intercessioni tributam eiusdem Venerabilis et Mediolani patratam anno 1956. Sanatio pertinet ad Sororem Mariam Aemiliam Brusati, religiosam ursulanam, quae anno 1950 frontis doloribus laborare coepit cum photophobia, lacrimatine atque oculorum caligatine. Cum aegrotae condiciones gradatim aggravarentur, est pluries a medicis oculariis visitata, qui diagnosim fecerunt de amborum oculorum glaucomate. Medicorum therapia inefficax fuit; quapropter est sectio chirurgica suasa, fortiter tamen et continuo detrectante dolore. Scientiae medicae animadversa inanitate, monita quoque est ut sacram peregrinationem Lapurdum susciperet sanationis gratiam a Virgine Maria peritura, sed Soror Maria Aemilia respondit: «Mediolanum ibo et Cardinalis Schuster gratiam mihi concedet». Reapse mane diei 10 mensis Septembris anno 1956 in cathedralem aedem se contulit Mediolanensem ante sepulcrum Servi Dei precatum et, per eius intercessionem, sanationem imploratum. De ecclesia cathedrali egressa, paucas post horas improviso visum recuperavit et, tota dilapsa symptomatologia subiectiva, est perfecte sanata. Secutae medicorum inspectiones absentiam ostenderunt demutationum morbi praegressi propriarum, nec therapia locali opus fuit.

De sanatione, statim mira habita, annis 1962-1963 est processus canonicus instructus, cuius auctoritas est a Congregatione de Causis Sanctorum probata per decretum die 5 mensis Iulii anno 1985 promulgatum. Die 17 mensis Novembris anno 1994 Consilium Medicorum uno ore edixit Sororis Mariae Aemiliae sanationem a glaucomate amborum oculorum inveterato generis congestivi subitaneam fuisse, completam cum restitutione ad integrum, stabilem. Die 21 mensis Februarii anno 1995 Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum est actus et subsequentis mensis Maii die 2 Patrum Cardinahum atque Episcoporum Sessio Ordinaria, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Vergilio Noè. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinahum et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die infrascripto Pro-Praefecto necnon Cardinali Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: ***Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Servo Dei Alfredo Ildefonso Schuster, O.S.B., Archiepiscopo Mediolanensi et S.R.E. Cardinali, videlicet de subitanea, completa et mansura sanatione Sororis Aemiliae Brusati a « glaucoma bilaterale di tipo congestizio ».***

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 11 mensis Iulii A. D. 1995.

£8 ALBERTUS BOVONE
archiep. tit. Caesarien. in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. ©S.

6B Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus Pp. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet:

die 17 Iunii 1995. — Cathedrali Ecclesiae Kerriensi R. D. Villelmum Murphy, hactenus templi maximi eiusdem dioecesis administratorem.

die 23 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Salopiensi R. D. Brianum Michaelem Noble e clero dioecesis Lancastriensis, hactenus paroeciae Sancti Benedicti in oppido vulgo dicto Whitehaven parochum.

die 29 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Rapotensi R. D. Philippum Fidelem a Iesu Maria Boyce, Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatae Virginis Mariae sodalem, hactenus Pontificiae Facultatis Theologiae « Teresianum » de Urbe Praesidis vicem gerentem.

die 27 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Butuanensi Exc.mum P. D. Ioannem a Deo Pueblos, hactenus Episcopum Kidapavanensem.

die 29 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Caicoënsi, R. D. Iacobum Vieira Rocha, Seminarii maioris Natalensis rectorem.

— Metropolitanae Ecclesiae Parahybensi Exc. mum P. D. Marcellum Pinto Carvalheira hactenus Episcopum Guarabirensem.

die 30 Novembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Tabborensi R. D. Eugenium Lambertum Adrianum Rixen, e clero Leodiensi, quem deputavit Auxiliarem Episcopi Assisensis.

die 2 Decembris. — Metropolitanae Ecclesiae Huancayensi R.D. Iosephum Paulinum Ríos Reynoso, e clero archidioecesis Limanae, hactenus Administratorem Apostolicum « sede vacante » praefatae Ecclesiae metropolitanae.

— Titulari episcopali Ecclesiae Baparensi R. D. Raphaelem Conde Alfonzo, Vicarium generalem archidioecesis Caracensis atque Decanum Capituli Metropolitam, quem constituit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

— Cathedrali Ecclesiae Tequinensi Exc. mum P. D. Marium dei Valle Moronta Rodríguez, hactenus Episcopum titularem Novensem et Auxiliarem Caracensem.

die 5 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Youngstoniensi, Exc.mum P.D. Thomam J. Tobin, hactenus Episcopum titularem Novicensem et Auxiliarem dioecesis Pittsburgensis.

— Cathedrali Ecclesiae Sancti Petri in Florida, R.D. Robertum N. Lynch, e clero archidioecesis Miamiensis, paroeciae Sancti Marci in oppido vulgo Fort Lauderdale curionem.

die 6 Decembris. — Coadiutorem dioecesis Itabirensis - Fabricianensis, R.P. Laelium Lara, C. SS. R., hactenus Episcopum tit. uellensem in Mauretania et Auxiliarem dictae dioecesis.

— Archiepiscopum Coadiutorem Metropolitanae Ecclesiae Aracaiuensis, Exc. mum P. D. Iosephum Palmeira Lessa, hactenus Episcopum Propriensem.

— Cathedrali Ecclesiae Basileensi R. D. Conradum Koch, e clero eiusdem dioecesis, in Facultate Catholicae Theologiae in urbe vulgo Luzem professorem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Castulonensi, R.D. Richardum Ruotolo, e clero dioecesis Andriensis presbyterum, quem constituit Episcopum auxiliarem archidioecesis Sipontinae-Vestanae.

die 7 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Ielgavensi, noviter erectae, R.D. Antonium Justs, e clero dioecesis Arlingtonensis, Seminarii maioris archidioecesis Rigensis rectorem.

— Cathedrali Ecclesiae Rezeknensi-Aglonensi, noviter erectae, Exc.mum P.D. Ioannem Bulis, hactenus Episcopum Liepaiensem.

— Cathedrali Ecclesiae Liepaiensi R.D. Arvaldis Andream Brumanis, e clero dioecesis Liepaiensis, Seminarii maioris archidioecesis Rigensis professorem.

die 9 Decembris. — Metropolitanae Ecclesiae Perusinae-Civitatis Plebis Exc. mum P. D. Iosephum Chiaretti, hactenus Episcopum Sancti Benedicti ad Truentum-Ripanum-Montis Alti.

— Cathedrali Ecclesiae Sanctissimi Salvatoris Bayamensis-Manzanillensis, noviter erectae, R.D. Dionysium García Ibáñez, hactenus in archidioecesi Sancti Iacobi in Cuba paroeciae Manzanillensis curionem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Febianensi R.P. Antonium Mainek, Ordinis Fratrum Minorum sodalem, monasterii in urbe vulgo Vinohradiv superiorem

et Vicarium episcopalem catholicorum Hungarorum in Transcarpatia, quem deputavit Auxiliarem Administrationis Apostolicae Transcarpatiae Latinorum.

die 16 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Oxomensi-Sorianae R.D. Eranciscum Pérez González hactenus Seminarii maioris Matritensis spiritus directorem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Curubitanae R.D. Valtherum Pérez Villamonte, e clero archidioecesis Sucrensis, Bolivianae Episcoporum Conferentiae Secretarium generalem adiunctum, quem Auxiliarem eiusdem archidioecesis constituit.

— Titulari Ecclesiae Cluentensi R.D. Claudium Mariam Celli, e clero dioecesis Ariminensis, quem constituit Administrationis Patrimonii Sedis Apostolicae a Secretis et archiepiscopali dignitate ornavit.

— Archiepiscopali Ecclesiae Spoletanae-Nursinae R.D. Richardum Fontana, e clero archidioecesis Pisanae, hactenus Consiliarium apud Nuntiaturam Apostolicam in Italia.

die 20 Decembris. — Metropolitanae Ecclesiae Tucumanensi Archiepiscopum Coadiutorem Exc.mum P.D. Carolum Iosephum Ñáñez, hactenus Episcopum titularem Letaeum et archidioecesis Cordubensis in Argentina Auxiliarem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Novicensi R. D. Stanislaum Rylko, e clero archidioecesis Cracoviensis, quem constituit Pontificii Consilii pro Laicis a Secretis.

— Cathedrali Ecclesiae Ilheosensi, R. P. Maurum Montagnoli, Congregationis a Sanctissimis Stigmatibus D.N.I.C. Consiliarium generalem.

die 27 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Sanctissimae Conceptionis de Araguaia R. D. Petrum Iosephum Conti, e clero dioecesis Brixiensis, hactenus in dioecesi Brigantiensi de Para curionem Sacratissimi Cordis Iesu paroeciae in urbe « Paragominas ».

— Metropolitanae Ecclesiae Cascavellensi Exc.mum P. D. Lucium Ignatium Baumgaertner, hactenus Episcopum Toletanum in Brasilia.

COLLATIO DIGNITATIS ARCHIEPISCOPALIS

Decreto Congregationis pro Episcopis

die 2 Decembris 1995. — Exc. mo P, D. Paulo Iosepho Cordes, Episcopo titulari Naissitano, Pontificii Consilii « Cor Unum » Praesidi, dignitas archiepiscopalis collata est.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Venerdì, 15 Dicembre 1995, S.E'. il Signor REYNIER FLAES, Ambasciatore dei Paesi Bassi presso la Santa Sede.

Lunedì, 18 Dicembre 1995, S.E. il Signor AUGUSTO ANTONIOLI VASQUEZ, Ambasciatore del Perù presso la Santa Sede.

Giovedì, 21 Dicembre 1995, S.E. il Signor JOSÉ MAURICIO RODRÍGUEZ WEVEZ, Ambasciatore del Guatemala presso la Santa Sede.

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza:

Lunedì, 4 Dicembre 1995, S.E. il Signor ADOLFAS SLEZEVICIUS, Primo Ministro della Repubblica di Lituania.

Giovedì, 7 Dicembre 1995, S.E. il Signor JELIU JELEV, Presidente della Repubblica di Bulgaria.

Mercoledì, 13 Dicembre 1995, S.É. la Signora MARITA ULVSKOG, Ministro per gli Affari Religiosi della Svezia.

Dal 26 novembre al 14 dicembre 1995 ha avuto luogo, alla presenza del Santo Padre, l'Assemblea speciale per il Libano del Sinodo dei Vescovi.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Breve Apostolico il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

7 dicembre 1995. S.E. Mons. Giovanni Lajolo, Arcivescovo tit. di Cesariana, *Nunzio Apostolico nella Repubblica Federale di Germania.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

11 novembre 1995. Il dott. Alessandro Filippi, ***Capo Ufficio nell'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica.***

20 » » Il dott. Italo Santini, ***Consultore della Prefettura degli Affari Economici della Santa Sede « in aliud quinquennium ».***

» » » P. Marino Maccarelli, O.S.M., ***Sotto-Segretario del Pontificio Consiglio per l'Interpretazione dei Testi Legislativi.***

29 » » Don Giampaolo Montini e P. Donald Kos, O.F.M. Conv., ***Votanti del Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica « ad quinquennium ».***

» » » Mons. Francesco Salerno, mons. Giuseppe Versaldi, p. Urbano Navarrete, S.I.; mons. Marian Rola, Don José Maria Pinero Carrion, p. Velasio De Paoli, CS., ***Votanti del Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica « in aliud quinquennium ».***

30 » » Gli Em.mi Signori Cardinali Carlo Fumo e Jean P. Schotte; le LL.EE. i monsignori Bernard Agre, Arcivescovo di Abidjan; Lorenzo Antonetti, Arcivescovo tit. di Roselle; Antonio Magnoni, Arcivescovo tit. di Boseta; ***Membri della Congregazione per l'Evangelizzazione dei Popoli « ad quinquennium ».***

» » » L'Eni.mo Signor Cardinale Edmund Casimir Szoka, ***Membro della Congregazione per l'Evangelizzazione dei Popoli « in aliud quinquennium ».***

1 dicembre » S. E. nions. Jean-Louis Tauran, Arcivescovo tit. di Telepte, ***Segretario per i Rapporti con gli Stati « in aliud quinquennium ».***

2 » » S.E. mons. Paul Josef Cordes, Arcivescovo tit. di Naisso, ***Presidente del Pontificio Consiglio «Cor Unum», « ad quinquennium ».***

4 » » L'avv. Carlo tricerri, ***Promotore di Giustizia del Tribunale dello Stato della Città del Vaticano « ad annum tantum ».***

>> » » I monsignori Gianni Sonda, Michele Castoro, Medard Kayitakibga, ***Capi Ufficio nella Congregazione per i Vescovi.***

11 » » P. Ciro Benedettini, C.P., ***Vice-Direttore della Sala Stampa della Santa Sede.***

» » » Le LL.EE. i monsignori Jean-Louis Tauran e Francisco Javier Errázuriz Ossa, ***Membri della Pontificia Commissione per l'America Latina « in aliud quinquennium ».***

11	dicembre	1995.	S.E. mons. Tarcisio Bertone, Arciv. em. di Vercelli, Segretario della Congregazione per la Dottrina della Fede, ***Consultore della Congregazione per il Clero.***
»	»	»	I monsignori François Fleischmann ed Ettore De Marinis, ***Capi Ufficio nella Segreteria di Stato.***
16	»	»	L'Em.mo Signor Cardinale Angelo Felici, ***Presidente della Pontificia Commissione « Ecclesia Dei ».***
»	»	»	L'Em.mo Signor Cardinale Carlo Fumo, ***Gran Maestro dell'Ordine Equestre del Santo Sepolcro di Gerusalemme.***
»	»	»	Mons. Claudio Maria Celli, Arcivescovo tit. eletto di Civitanova, ***Segretario dell'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica.***
18	»	»	L'Em.mo Signor Cardinale Roger Etchegaray, ***Membro del Pontificio Consiglio delle Comunicazioni Sociali « in aliud quinquennium ».***
20	»	»	Mons. Stanislaw Rylko, Vescovo tit. el. di Novica, ***Segretario del Pontificio Consiglio per i Laici.***
21	»	»	Mons. Celestino Migliore, ***Sotto-Segretario della Sezione per i Eapporti con gli Stati della Segreteria di Stato.***
22	»	»	S. E. mons. Francisco Javier Errázuriz Ossa, Arcivescovo tit. di Holar, ***Segretario della Congregazione per gli Istituti di vita consacrata e le Società di vita apostolica « in aliud quinquennium ».***
30	»	»	Il signor Vitaliano Tiberia, ***Presidente della Pontificia Accademia di Belle Arti e Lettere dei Virtuosi al Pantheon « ad quinquennium ».***

NECROLOGIO

17	novembre	1995.	Mons. Benjamin de Souza Gomes, Vescovo em. di Paranavai ***(Brasile).***
18		»	Mons. John A. Murphy, Arcivescovo em. di Cardiff ***(Gran Bretagna).***
24		»	Card. Dominio Ignatius Ekandem, del titolo di San Marcello al Corso.
9	dicembre	»	Mons. Mario Brini, Arcivescovo tit. di Algiza.
18		»	Mons. René Kérautret, Vescovo em. di Angoulême ***(Francia).***
21		»	Mons. Pierre Fisette, Vescovo di Hearst ***(Canada).***
29		»	Mons. Joaquín Garcia Ordonëz, Vescovo em. di Santa Rosa de Osos ***(Colombia).***
30		»	Mons. Leo Soekoto, Arcivescovo em. di Jakarta ***(Indonesia).***

An. et vol. LXXXVm 5 Februarii 1996 N. 2

ACTA APOSTOLICAE SE

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Citta dei Vaticano - *Administratio:* Libreria Editrice Varij

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

EPISTULA APOSTOLICA

IV exeunte saeculo ab inita in oppido v. Brest pactione inter episcopos metropolis seu provinciae ecclesiasticae Kioviensis Byzantini ritus et Apostolicam Sedem.

АПОСТОЛЬСЬКИЙ лист

З нагоди 400-річчя Берестейської Унії

Дорогі Брати і Сестри!

I. **Наближається день, коли Українська греко-католицька Церква святкуватиме 400-річчя єдності між Єпископами Київської Митрополії і Апостольським Престолом. До цього з'єднення дійшло під час зустрічі представників Київської Митрополії з Папою 23 грудня 1595 і його урочисто проголошено в Бересті над Бугом, 16 жовтня 1596 року. Папа Климент VIII своєю апостольською конституцією *Великий і достойний найвищої хвали Господь,*[1] оприлюднив цю подію для всієї Церкви і звернувся до Єпископів Митрополії з апостольським листом *Благословенний нехай буде Пастир,*[2] звіщаючи їм про довершене з'єднення.**

Вселенські Архиєреї уважно і дбайливо слідкували за болісним і часто драматичним шляхом цієї Церкви. Тут я хотів би особливо пригадати енцикліку Папи Пія XII *Всі східні,* який у грудні 1945 року написав

[1] *«Magnus Dominus et laudabilis nimis»* - пор. *Bullarium Romanum* V/2 (1594-1602), 87-92.

[2] *«Benedictus sit Pastor»* - пор. WELYKYJ A., *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia,* 1.1, p. 257-259.

незабутні слова на згадку 350-ої річниці відновлення повної єдності з Апостольською Столицею.[3]

Берестейська Унія відкрила нову сторінку в історії цієї Церкви,[4] **яка сьогодні бажає радісно співати гимн подяки і прослави Тому, хто ще раз перевів її від смерті до життя, і з новим запалом бажає далі прямувати шляхом, що його накреслив Другий Ватиканський собор.**

До вірних Української греко-католицької Церкви на рідних землях приєднуються у молитві і подяці греко-католицькі Церкви діаспори, які беруть свій початок від Берестейської Унії, разом з іншими східними Церквами й усією Церквою.

Також і я, Єпископ Риму, бажаю духовно з'єднатись з католиками візантійської традиції цих земель, бо вже довгий час, починаючи від мого пастирського служіння у Польщі, я відчував не тільки духовну, але й фізичну близькість до цієї Церкви, яка тоді переживала жорстоке випробування. І тому після мого обрання на Престол св. Петра, йдучи за моїми Попередниками, я вважав моїм невідкладним обов'язком підняти голос в обороні її права на існування і вільне визнавання віри, яких вона була позбавлена. Ось тепер маю привілей зі зворушенням святкувати разом з нею дні приверненої свободи.

В пошуках єдності

2. **Святкування Берестейського з'єдиинення слід розглядати в контексті Тисячоліття Хрещення Київської Русі. Сім років тому, а саме 1988 року, ця подія була дуже врочисто відсвяткована. З цієї нагоди я видав два документи: апостольський лист** ***Ідіть по всьому світу*** **з 25 січня 1988 року для всієї Церкви,**[5] **і послання** ***Великий дар Хрещення*** **з 14 лютого цього ж року, - звернене до українських католиків.**[6] **Властиво тоді йшлося про святкування того основного моменту, який вплинув на формування християнської та культурної ідентичності тих народів і має особливе значення, бо випливає з того факту, що в той час Церкви візан-**

3 *«Orientales omnes»* - пор. Acta Apostolicae Sedis (= AAS) 38 (1946), 33-63.

mensis Decembris anno 1937 est presbyter ordinatus ab episcopo Carolo Heerey, qui ei munera concredidit cooperatoris parochi loci ***Nnewi*** (annis 1937-1939), parochi Dunukofiae (annis 1939-1945), oppidorumque ***Akpu*** (annis 1945-1949) et ***Aguleri*** (annis 1949-1950). Enixum et multiplicem explicavit ubique apostolatum, qui non parum valuit in vitam religiosam, socialem atque culturalem eorum incolarum. Summa cum pastorali caritate et spiritu sacrificii in grege suo vixit, fortiter et efficaciter verbum Dei disseminans bonaque distribuens redemptionis. Erga se et ceteros **Severus** erat; namque plenam exigebat fidei adhaesionem atque praeceptorum divinorum legumque Ecclesiae perfectam observantiam. Conversiones fovit ad religionem christianam et vocationes ad sacerdotium; iuvenum praeparationem ad matrimonii sacramentum curavit et oboedientiam inculcavit disciplinae morum christianae in vita coniugali ac familiari utque hoc consequeretur propositum consociationes instituit laicas. Liberaliter pauperes adiuvit, viduas, alumnos indigentes; leprosos, aegrotos visitabat, grandes natu, tum christianos, tum non christianos; animose contra idololatriam contendit, superstitiones ususque moresque evangelio contrarios; paci favit et concordiae sociali; culturae et disciplinae gradum in scholis sibi obnoxiis auxit; non eum pudebat ipsum manuum opera exsequi gravia. Numquam animo defecit propter difficultates, incommoda, reprehensiones continuaque sacrificia quae pastoris ministerium postulabat. Cum humilitate ac perseverantia vim hausit a Missae celebratione, a meditatione Sacrae Scripturae et a deprecatione diurna nocturnaque, quae cibus fuit solitus animae eius atque illius apostolatus sucus vitalis.

Precationis sitis et meditationis, necnon aliquorum librorum abbatis Columbae Iosephi Marmion lectio cupidinem in animo eius incenderunt vitae monasticae. Cum intellexit illam cupidinem veram esse vocationem, non dubitavit omnia et omnes relinquere ut ad terram longinquam et ignotam se conferret, ubi in occultatione inque sacrificio suam ad effectum immolationem adduceret pro Domino proque animis. Mense Iulio anno 1950, ab episcopo suo comitatus, intravit tamquam Oblatus in monasterium Cisterciense Strictioris Observantiae loci Montis Sancti Bernardi, in comitatu Licestriensi sito, in Britannia. Anno 1953, novitiatu peracto, vota simplicia fecit et anno 1956 vota sollemnia. Singulari cum animi vi, humilitate ac simplicitate se ipsum cotidie abnegavit, a suis praeteritis se abstraxit seque in novum vitae genus inseruit; tacitus, non lamentans, non paenitens, non paucas superavit difficultates, quales fuere sermonis diversitas, culturae, aeris.

In sua vocatione firmus et sanctus monachus fieri paratus, nullam voluit allevationem vel privilegium, nihilque aliud cupivit, nisi in via progredi perfectionis per diligentem regulae et consüiorum evangehcorum observantiam, per liturgiam, precationem choralem et privatam, lectionem divinam, castigationem, opera manuum, quae in officina libris conglutinandis, in refectorio et in agris confecit. Revera non miros egit actus nec muneribus ahcuius momenti est functus, sed non communi cum generositate, perseverantia et gaudio munia cotidiana sustinuit suamque reddidit vitam continentem Domini laudem continuamque sui oblationem pro animarum salute proque Christi regni incremento. Sicut in Africa, ita et in monasterio fide viva et solida illustratus est et ductus, firma spe ferventique et nava caritate. Suarum cogitationum suorumque affectuum caput posuit Deum; semper ambulavit cum eo, prompte eius voluntatem fecit solumque eius gloriam quaesivit. Ut Deo placeret, maxime dilecto, in se Christi effinxit lineamenta, in evangelium credidit et in magisterium Ecclesiae, omne fugit genus peccati mentemque et cor continenter in deprecatione habuit defixa, in meditatione et in contemplatione veritatum aeternarum. Pie Sanctam Missam celebrabat et Hturgiam horarum filiique pietatem excoluit erga Virginem Mariam. Suam collocavit spem in Domino et in divina misericordia atque, a mundi rebus manibus abalienatus, bona expetivit aeterna. Affabilis fuit, officiosum, mitis in fratres sodales et superioribus obsequens. Egregie, in ordinariis et extraordinariis vitae circumstantiis, prudentiam exercitavit, fortitudinem, temperantiam et iustitiam erga Deum et proximum. Mirabili cum patientia et tranquillitate progredientem hebetationem valetudinis accepit et deprecatione ac silentio ad supremum occursum cum Deo se praeparavit, qui eum ad se vocavit die 20 mensis Ianuarii anno 1964, in valetudinario Licestriensi iacentem propter arteriarum amplificationem.

Tota eius vita sacerdotalis splendidum fuerat testimonium plenae fidelitatis erga Deum, Ecclesiam et vocationem; quapropter fama claruit sanctitatis in populo Nigeriano et in Ordine Cisterciensium Strictioris Observantiae. Quae fama confirmata est et aucta annis, qui mortem sunt secuti, multique sunt, qui affirmant se esse beneficiis affectos precibus eius. Eam ob rem Archiepiscopus Onitshaënsis Causam iniit beatificationis et canonizationis per celebratam inquisitionem dioecesanam (annis 1986-1990), cuius auctoritas probata est a Congregatione de Causis Sanctorum decreto die 22 mensis Novembris anno 1991 promulgato. Positione confecta, disceptatum est an Servus Dei heroum in modum virtutes exercuisset. Die 17 mensis

Martii anno 1995 actus est prospero cum exitu Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales deinde et Episcopi, in Sessione Ordinaria diei 6 mensis Iunii eiusdem anni, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Francisco Arinze, professi sunt Cyprianum Michaelem Iwene Tansi heroum more virtutes théologales, cardinales iisque adnexas coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Cardinali Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Cypriani Michaelis Iwene Tansi, Sacerdotis professi Ordinis Cisterciensium Strictions Observantiae, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 11 mensis Iulii A. D. 1995.

83 ALBERTUS BOVONE
archiep. tit. Caesarien. in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. ©S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

PANORMITANA

Beatificationis et canonizationis Servae Dei Mariae Clarae Magro, ludimagistrae et dirigentis Actionis Catholicae (1923-1969)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

Laici « caritate quae ex Deo est impulsi, ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei, bonum operantur (cf. ***Gal*** 6, 10), deponentes omnem malitiam et omnem dolum et simulationes et invidias et omnes detractiones ***(1 Pt*** 2, 1) et sic ad Christum homines trahentes. Caritas autem Dei quae

"diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis" ***(Rom*** 5, 5), reddit laicos capaces Spiritum Beatitudinum reapse exprimendi in vita sua » (CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de apostolatu laicorum ***Apostolicam actuositatem,*** 4).

Christi amore capta, Maria Clara Magro suum ei cor donavit et exemplum eius secuta imaginique facta conformis, toto animo suo gloriae Dei proximique servitio se dedidit (cf. ***ibid.,*** Const. dogm. de Ecclesia ***Lumen gentium,*** 40). Vivens « sicut decet sanctos » ***(Eph*** 5, 3), magnum ac fructuosum explicavit apostolatum in puerorum educatione inque catholicis consociationibus atque evangelii lumen caritatisque christianae in mundo diffudit.

Serva Dei Panormi orta est die 3 mensis Iunii anno 1923 a Vito Magro, ludimagistro, et Angela Russo, rerum domesticarum dispensatrice. Subsequentis mensis Augusti die 25 baptizata est. Optima educatione christiana est in familia instructa, quae schola catechismi perfecta est atque Actione Catholica, quam a prima aetate coepit frequentare. Septem annorum primum Pane eucharistico se aluit, qui eius vitae spiritalis caput evasit animaeque eius purae ac simplicis nutrimentum. In studia diligenter incubuit et anno 1940 est magistrae diploma consecuta. Usque ad mortem cum peritia, ardore et gaudio ad institutionem in ludis se contulit urbis suae. Maternis sensibus et curis discipulos dilexit eosque solida imbuit educatione ad intellectum, mores atque religionem pertinente, superiorum, collegarum, alumnorum atque familiarum existimationem sibi concilians. Persuasum sibi habens scholam magnum sociale et ecclesiale habere momentum, suam professionem veram reddidit missionem verumque apostolatum et numquam laborare seque consecrare destitit puerorum bono, quibus non solum scholasticarum disciplinarum praecepta tradidit, verum etiam mirabile vitae praebuit exemplum. Nec minus variis consociationibus catholicis laicalibus se condonavit et praesertim Actioni Catholicae, a qua multum accepit et in qua multum impendit temporis sui, suarum virium ac spiritalium divitiarum, muneribus fungens in gradu paroeciali, dioecesano, regionali ac nationali. Anno 1949 professionem fecit in Instituto Saeculari Missionariarum Regalitatis D. N. I. C, a P. Augustino Gemelli et Armida Barelli condito, cuius consecrationis et apostolatus proposita vehementer excoluit. Scripsit: «Domine mi, utere me pro tua in animis amoris opera; non possum in tuo Mystico Corpore inutilis manere et deses; sed acriter meam sentio infirmitatem. Concede saltem ut granum arenae sim, quod nemo fere videt, quia sensibus percipi non potest, sed necessarium est, una cum ceteris, in aedifi-

cationibus. Vivam semper in umbra, numquam animadvertat sed tibi serviam, Domine mi, et ad tuum regnum in anima mea inque aliorum animis exstruendum prosim ».

Constanter progredi cupivit sine intermissione in sanctitatis via ut Deo daret gloriam et quam optimo modo Ecclesiae serviret et animis. Utque hunc finem adipisceretur non spectabilia fecit, sed singulari cum alacritate, diligentia atque spiritali laetitia officia est exsecuta in Baptismate sumpta et in Confirmatione virtutesque coluit christianas. In fide firma, in caritate impigra, in spe laeta, divinae revelationi est assensa atque Ecclesiae magisterio et non erubescens nec defatigata evangelium nuntiavit christianamque doctrinam verbis quidem, sed potissimum apostolatus fervore et vitae sanctitate. Missa, Communio, adoratio Sanctissimi Sacramenti tempora fuerunt eius dierum pulcherrima et praestantissima et, per Eucharistiam, impensiorem usque et arctiorem suam fecit coniunctionem cum Domino, quem tota mente dilexit, toto corde totisque viribus. A se aliena, nisa est celeriter et accurate Dei voluntatem facere, eius leges observare, omne peccati genus fugere et in Christi progredi imitatione. Ecclesiam, Summum Pontificem et sacerdotes est magno amore prosecuta et libenter, si ei licuisset, vitam pro cleri devovisset sanctificatione: « Quantum meum esse sentio — affirmavit — deprecari meque condonare ut omnes sacerdotes sancti sint et de thesauro gaudeant suis manibus commisso! ». Multum est passa multumque est precata pro emendatione cuiusdam sacerdotis, qui ei peculiariter proximus erat, et numquam destitit super eum divinam invocare misericordiam. Fervidam nutrivit pietatem erga Virginem Mariam, quam exemplar sibi delegit in servitio Dei et animarum illique se consecravit pro spiritu et formula sancti Aloisii Mariae Grignion de Montfort. Cum humilitate, prudentia et urbanitate opera egit misericordiae spiritalis et corporalis erga omnes, quibus per vitam obviam facta est, et in primis erga parentes, propinquos, sacerdotes, seminarii alumnos, discipulos, pauperes et aegrotos, Domini perfecte persequens mandatum: diligite invicem « sicut dilexi vos » ***(Io*** 15, 12). Se ipsam castigavit, inania et mundi bona est aversata, auctoritatibus ecclesiasticis obtemperavit et superioribus, perseverans fuit in castitate, in iustitia, in temperantia et in fortitudine. A iuventute exoptavit passioni Christi sociari et cum spiritus et corporis doloribus est affecta, eos tamquam pretiosum donum accepit. Anno 1961 eius valetudo coepit nutare et anno secuto diagnosis ei facta est de cancro in gianduia subrenali sinistra. Tribus est subiecta chirurgicis sectionibus et cum fiducia Caeli auxi-

lium imploravit. Morbi crucem aequo animo tulit suosque dolores in instrumentum sanctificationis mutavit pro se proque aliis. Omnino Dei obsequens et accensa cum lampade ad Sponsum divinum pervenit die 9 mensis Decembris anno 1969, in valetudinario Romano iacens.

In vita omnium habuit admirationem propter singulares virtutes christianas et ardorem apostolicum, quem explicavit in ludo inque consociationibus catholicis. Post mortem eius fama sanctitatis aucta est et dilatata apud omnem personarum ordinem; quapropter Archiepiscopus Panormitanus initium fecit Causae beatificationis et canonizationis per celebratum processum dioecesanum (annis 1983-1987), cuius auctoritas et vis est a Congregatione de Causis Sanctorum probata decreto die 10 mensis Novembris anno 1989 promulgato. ***Positione*** confecta, disceptatum est an Serva Dei virtutes exercuisset heroum in modum. Die 28 mensis Martii anno 1995 actus est, prospero cum exitu, Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris. Patres Cardinales deinde et Episcopi, in Sessione Ordinaria diei 20 mensis Iunii subsequentis, Causae Ponente Excellentissimo Domino Hieronymo Grillo, Episcopo Centumcellarum-Tarquiniensi, professi sunt Servam Dei Mariam Claram Magro heroum more virtutes théologales, cardinales et iis adnexas coluisse.

Pacta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Clarae Magro, Ludimagistrae et Dirigentis Actionis Catholicae, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 11 mensis Iulii A. D. 1995.

83 ALBERTUS BOVONE
archiep. tit. Caesarien. in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. « S .

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

RATISBONEN.

Beatificationis et canonizationis Servae Dei Annae Schärfer, virginis (1882-1925)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Crux mea dux est, mea lux, auxilium meum, meum scutum, consolatio mea, gloria mea, refugium meum, adminiculum meum et meum erit praemium. Si Iesum aspicimus in cruce et amore flagrantem in tabernaculo contemplamur, omnia patienter tolerare possumus. Crux et dolor mea sunt ad coelum disciplina ».

His verbis Anna Schäffer suum crucis amorem significavit firmamque se ad Christum crucifixum accommodandi voluntatem ut mundi expiaret peccata, animarum saluti operam daret et praemium adipisceretur aeternum. Eius vita simplex et abscondita continua fuit immolatio pro regno caelorum et splendidum testimonium fidelitatis erga Domini doctrinam, qui dixit: « Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam » ***(Mt* 16, 24-25).**

Serva Dei orta est die **18** mensis Februarii anno **1882** in pago ***Mindelstetten,*** intra fines posito dioecesis Ratisbonensis, a legitimis coniugibus Mi**chaele** Schäffer, fabro lignario, et Teresia Forster, muliere pia, forti et parata ad se pro bono familiae devovendam. Parvula Arma, quae domi solida est instructa educatione religiosa, a pueritia indolem bonam ostendit et quietam, propensionem ad deprecationem et ad oboedientiam. Quamvis gracilis esset valetudine, diligenter in ludi studia incubuit et, vivaci ornata intellegentia, optimos est fructus consecuta. In Tertium Ordinem Franciscanum nomen est professa, sponte castitatis votum privatum suscepit et anno **1893** primum Pane Eucharistico pasta est. Eo in casu scripsit: « Volo, Iesu, tibi expiationem offerre et, si vis, fac victima fiam expiationis. Fac mecum sicut vis ». Exinde Eucharistia eius gaudii fons fuit et vis, quae eam in arduo perfectionis christianae itinere sustinuit.

Institutum vitae consecratae ingredi cupiebat ut missionaria esset, sed familiae copiae non erant, ut dotem necessariam ei pro videret; prospexit igitur ut sibi ipsa dotem provideret suo labore. Nonnullis est famulata familiis donec, die **4** mensis Octobris anno **1901,** dum in urbe ***Stammham*** ser-

viebat, gravis accidit casus qui eius vitae discrimini maximo et definitivo fuit. Eo die in ahenum cecidit lixiviae aestuantis; eius crura altis sunt adustionibus correpta et insanabilibus, quae acerbissimos ei dolores excitaverunt. A pluribus est medicis curata, sed exigua cum efficacitate. Labor fuit ei relinquendus et ad pagum reversa ad mortem usque cum matre habitavit cumque sorore in paupertate a liberali parocho Carolo Rieger, eius magistro spiritus, levata. Anno 1905 eius valetudo irreparabiliter in peius est versa, quamquam multae fuerunt sectiones chirurgicae quas subiit et curae: ambo crura omnino paralytica reddita sunt et ex adustionibus, quae numquam ad cicatricem pervenerunt, continuo pus exibat; omnis curatio dolor erat inenarrabilis. Initio, ut par est, convalescere exoptavit et nisa est; postea vero intellexit suum esse munus in occultatione pati ut Sacrum Cor Iesu consolaretur et animas salvas faceret. Immobilis in lectulo non erat otiosa, sed acu pingebat vel uncinulo vel retícula faciebat. Semper parata erat ad accipiendas, hortandas et consolandas multas personas quae eam cotidie adibant. Praesertim quoad se laboravit, ut sacrificium esset Deo gratius in dies et Ecclesiae utile. Eius vitae propositum verbis comprehendi potest, quae ipsa scripsit: « Unum hic in terra est necessarium, nempe nostras servare animas immortales, ardenter Iesum amare, omnia exsequi cotidiana sacrificia propter amorem Iesu et multum precari pro peccatorum conversione »; et addebat: « Si Iesum diligis, quae Dominus tibi iniungit sunt tibi patienda, et vel cum gaudio accipienda tamquam amoris donum. Iugum meum ego portare volo sine murmurationibus, sine questibus».

Fides eius dierum sol fuit eiusque immolationis. Firmiter in evangelium credidit inque magisterium Ecclesiae nihilque aliud cupivit, quam continenter progredi in cognitione et in adsectatione Christi crucifixi. Deus, ex toto corde, ex tota mente, ex tota virtute dilectus (cf. ***Mc*** 12, 30), eius fuit supremum bonum, eius vitae finis, animae eius simplicis ac purae consolator et sponsus. Ut illi placeret seipsam abnegavit, diligenter divina mandata observavit et leges Ecclesiae, omne fugit peccati genus, flagranter exoptavit cum eo esse illumque consequi in paradiso. Et Deus, qui largus est in eos praecipue, qui illum amant, singularibus eam charismatibus donavit spiritalibusque experientiis non communibus, quae omnia grata et humilis ipsa recepit. Suas inveniebat delicias in deprecatione assidua, in divinorum mysteriorum contemplatione et in Eucharistia, qua se alebat cotidie. Cum Missae interesse non posset, eius lectulus ita erat positus ut per fenestram ecclesiam posset videre in quam spiritu se conferebat, ut se Victimae divi-

nae sacrificio sociaret et Sanctissimum adoraret Sacramentum. « Si oculos ad Iesum converto — aiebat —, si spiritu ante tabernaculum me confero, tum dolor, vel acerbissimus et gravissimus, dulcior mihi fit et omnibus huius miserae lacrimarum vallis thesauris praestantior. Nolim meum aegrotae lectulum cum mundo universo commutare. Quo maiores dolores sunt et angustiae, eo Iesu viciniores sumus. Nihil aliud ego cupio, quam reliquos dies meos vivere pro Iesu, cum eo pati atque mori ». Tamquam filia Virginem Mariam coluit, quam suam habebat perfectionis magistram suamque ducem ad Iesum. Ita Dei Matrem est allocuta: «Virtutes tuas in me imprimere volo ut imiter, multa volo tibi gaudia suppeditare ut in tua bonitate et lenitudine veniam in conspectu divini Filii tui ». Rosarii corona eius fuit comes inseparabilis: «Ea mea est per noctes insomnes consolatrix et in aegritudinibus, mea itineris ad patriam aeternam demonstratrix, delectamentum meum in meo colloquio cum Iesu et Maria. Rosarium meus est liber, quem cum lego omnis obliviscor doloris ».

Quoniam « vocatio christiana, natura sua, vocatio quoque est ad apostolatum » (CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de apostolatu laicorum ***Apostolicam actuositatem,*** 2), Serva Dei animadvertit suum esse operam dare fidei et amoris Dei propagationi. Non solum precibus et sacrificiis, verum etiam testimonio fidelitatis erga evangelium. Fides viva et simplex, firma in Providentia spes, fervens caritas et in Deum atque in proximos, iustitia, fortitudo et laetitia in dolore, prudentia in exercendis virtutibus, temperantia in bonorum terrestrium usu, omnis inordinatae affectionis contemptus, humilitas, castitas, oboedientia, ad attentionem et admirationem inducebant quotquot eam visitabant in eorumque animis cupidinem incendebant illam imitandi. Libenter veritatis christianae panem frangebat, praesertim pueris et iuvenibus, qui eam carissimam habuerunt; sollicita fuit de non christianorum conversione operaque missionalia adiuvit: cum aliquid habebat pecuniae, stipem conferebat pro baptismo infantium paganorum aliosque ad idem faciendum hortabatur.

Ineunte anno 1923 eius valetudo deterior facta est ob immanes convulsiones et cancrum intestini. Paucis ante mortem hebdomadis propter inexplicabilem lapsum e lecto est cerebri vulnere affecta et a facultate loquendi impedita, non autem a facultate comprehendendi. Firma in sua sacrificali oblatione, sancte acerbam terrenam peregrinationem conclusit mane diei 5 mensis Octobris anno 1925. Corpus, veste indutum Tertii Ordinis Franciscani, a multis fidelibus est visitatum, qui etiam ex longinquo venerant

quique sanctam Servam Dei ducebant. Qua fama durante in populo et potissimum in paroecia pagi ***Mindelstetten,*** Episcopus Ratisbonensis Causae beatificationis et canonizationis initium fecit per celebratam inquisitionem dioecesanam (annis 1973-1977), cuius auctoritas et vis probata est a Congregatione de Causis Sanctorum decreto die 11 mensis Novembris promulgato anno 1983. ***Positione*** confecta, disceptatum est an Serva Dei heroum in modum virtutes coluisset. Idibus Ianuariis anno 1995, exitu cum secundo, actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris. Patres Cardinales porro et Episcopi, in Sessione Ordinaria diei 25 mensis Aprilis insequentis, Causae Ponente Excellentissimo Domino Ottorino Petro Alberti, archiepiscopo Calaritano, fassi sunt Servam Dei Annam Schäffer virtutes théologales, cardinales iisque adnexas observavisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Annae Schäffer, Virginis, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 11 mensis Iulii A. D. 1995.

83 ALBERTUS BOVONE
archiep. tit. Caesarien. in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. **SS.**

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

ROMANA seu FERENTIN.

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Germani a Sancto Stanislao (in saec.: Vincentii Mariae Ruoppolo), sacerdotis professi Congregationis Passionis Iesu Christi (1850-1909)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Sollicite attendant religiosi, ut per ipsos Ecclesia revera Christum in dies, sive fidelibus sive infidelibus, melius commonstret, vel in monte contemplantem, vel turbis Regnum Dei annuntiantem, vel aegrotos et saucios sanantem ac peccatores ad bonam frugem convertentem, vel pueris benedicentem, et omnibus benefacientem, semper autem voluntati Patris qui Eum misit oboedientem » (CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 46).

Clara haec proposita et doctrinae conciliaris verba feliciter videntur ad effectum adducta esse in vita inque virtutibus religiosis ac sacerdotalibus Servi Dei Germani a S. Stanislao, presbyteri Congregationis Passionis Iesu Christi.

Natus is est die **17** mensis Ianuarii anno **1850** Vici Equensis in Surrentina archidioecesi, a Francisco Ruoppolo et Carmelitide Tozzi. Postridie est baptizatus nominibus ei inditis Vincentio Maria Aloisio **Michaele,** ex quibus primum praevaluit. Parentes, bene de rebus domesticis constituti, integerrimi fuerunt christiani et filios vivissimis imbuerant fidei sensibus et propriorum munerum constanti exercitio. Puer Vincentius, quasi quinque vel sex annorum est ad primam Communionem admissus (quod tunc rarissimum erat), siquidem propter praeparationem atque religionem idoneus est visus sacerdotibus paroeciae. Ob nummarias difficultates, quae supervenerunt, fuit familiae Neapolim demigrandum, ubi pater in famulatu fuit domini Thomae **Michaelis** Salzano, O. P., Episcopi titularis Tanitani et collegii theologorum decani.

In id temporis duarum Siciliarum regno iuvenis Vincentius scholas frequentavit Instituti «Amato», a tribus fratribus sacerdotibus recti, ubi pietate eminuit et progressu in praelectionibus «humanitatis atque rethoricae », pro illius temporis ratione studiorum, ac deinde philosophiae iniit studium. Sed animi bonitate et sacramentorum frequentia praesertim excellebat, unde condiscipulis exemplo fuit. Quindecim circiter annos natus puer vehementer animadvertit vocationem ad vitam religiosam ac sacerdotalem

seque ad Congregationem Passionis Iesu Christi convertit, quodam sacerdote monente et episcopo Salzano adhortante.

Novitiatum Congregationis Passionis ingressus in recessu Romano Scalae Sanctae, ubi magister erat Beatus Bernardus M. Silvestrelli, Vincentius vestem religiosam induit pridie nonas Octobres anno 1865 nomenque cepit Germanum a Sancto Stanislao. Laudabiliter anno peracto probationis canonico, professionem fecit perpetuam nonis Octobribus anno 1866, tribus consuetis votis addito Passionistarum voto proprio, nempe « promovendi pro viribus devotionem Dominicae Passionis iuxta Regulas et Constitutiones ». Usitatum studiorum curriculum ad sacerdotium est civilibus eventibus conturbatum, qui Romae occupatione cumulati sunt die 20 mensis Septembris anno 1870 a copiis Italicis, quique rei publicae pontificiae finem fecerunt. Clericis Congregationis Passionis Roma fuit relinquenda, sicque Servus Dei in Belgica urbe ***Ere*** consedit, ubi est studia theologica prosecutus Gallicique sermonis est peritissimus factus. Demum die 3 mensis Novembris anno 1872 est sacerdos ordinatus. Prima explicavit ministeria praecipue pro Italicis emigrantibus, illud ostendens studium sacerdotale, quod postea vitae eius nota fuit propria.

Post biennium morationis in Gallia, Servus Dei anno 1876 est Romam revocatus munere ei concredito praeceptoris ac rectoris clericorum Passionistarum in recessu Scalae Sanctae et paratissimum se praebuit ad institutionem et ante omnia ad formationem iuvenum secundum spiritum Sancti Pauli a Cruce, quo erat penitus imbutus. Servus Dei omnibus humilis, serenus, facile argutus ac facetus in sermocinatione apparebat, sed semper speciem meditationis prae se ferens atque coniunctionis cum Domino, qua exemplaris fiebat fratribus sodalibus et fidelibus. Interim nec praedicationis nec confessionum audiendarum ministerium neglegebat. Postquam ad recessum transiit Sancti Eutitii Martyris, apud Surrinum ad Ciminum Montem (in provincia Viterbiensi situm), occasionem habuit ad se patefaciendum etiam tamquam archaeologum ob effossiones sub sanctuarium Martyris titularis effectas, laudatis quoque lucubrationibus editis. Deinceps (anno 1887) antiquam domum Romanam repperit Sanctorum Martyrum Ioannis et Pauli sub hodiernae basilicae Caelimontanae pavimentum.

Romae anno 1884 Servus Dei nominatus est Congregationis Secretarius generalis, adiuvans Superiorem Generalem B. Bernardum M. Silvestrelli. Anno 1890 est Postulator Generalis nominatus, quod munus usque ad mortem sustinuit. Anno 1891 Causam iniit Canonizationis Sancti Gabrielis a

Virgine Perdolente, cuius etiam aestimatam biographiam edidit, multum laborem perficiens Beatificatione (anno 1908) et assiduas incipiens undique ex orbe terrarum sacras peregrinationes ad sanctuarium Insulae Fiscelli montis. Alias religiosorum Passionistarum Causas Servus Dei inchoavit, quas eius successores ad finem adduxerunt.

Sed nomen et fama sanctitatis P. Germani iuncta sunt praesertim iuveni mysticae Lucensi Gemmae Galgani (quae annis vixit 1878-1903). Inopinatis enim viis Servus Dei vocatus est ad moderationem spiritalem illius Sanctae quattuor extremis annis vitae eius terrenae, miris ascensibus in spiritus itineribus atque cruentis Passionis Domini participationibus signatis simulque victimali et piaculari proposito. Servus Dei Spiritus dona in Gemma Galgani discrevit eamque manu forti ac paterna in via duxit humilitatis ac simplicitatis. Post Sanctae mortem, P. Germanus scriptor eius vitae fuit doctus et nondum superatus, divulgatis etiam eius epistulis et « Exstasibus », quam et toto in orbe catholico declaravit. Haec opera usque ad hunc diem innumerabilia sunt eorumque editiones et conversiones continuae. Ipse Servus Dei Causae Beatificationis Gemmae Galgani initium fecit duxitque Lucae Passionistas claustrales secundum Sanctae optationem et provisiones, ita fundamenta iaciens illius monasterii-sanctuarii, in quo quiescit et colitur a piis et peregrinis Gemmae corpus.

Omnis tamen P. Germani industria certo nititur ornatu virtutum quibus is verus evasit discipulus Sancti Pauli a Cruce, sacerdos doctus et impiger, exquisitus confessarius et magister spiritus. Fide quodammodo obrutus erat vehementerque illam exercuit animi elationem, quam Deus nobis offert, ad suam ipsius vitam divinam per gratiam. Vitae suae caput posuit multiformem et industriam pietatem erga Eucharistiam, quam et celebrabat et adorabat visibili tota sui ipsius participatione. Cum expiationis spiritu piam unionem instituit « Sanctum Collegium Iesu » denominatum, in quam nomen professi sunt ipsa Gemma Galgani et Servus Dei Ioannes Volpi, multas animas ad altiorem adducens spiritalem gradum. Eius pietas Marialis alte theologica erat, in divina maternitate posita inque Mariae commiseratione ad crucem, a teneris cultus significationibus non disiuncta. Plena rerum terrestrium neglectio firmam indicabat Servi Dei spem, qui omnem collocabat fiduciam in misericordia divina omnemque eventum ad aeterna referebat. Ardens et constans amor in Deum P. Germanum adduxit ad admirabilem coniunctionem cum Domino, effecitque ut vel minimas vitaret culpas viveret que in aura expiationis peccatorum alienorum. Misericordiae

corporalis et spiritalis opera clarissima fuerunt impensissimi Servi Dei amoris erga proximum signa, qui apostolatus sacerdotalis alacrem explicavit vitam, praesertim in ministerio reconciliationis et spiritalis moderationis, ut animas non solum ad vitam gratiae duceret, sed et ut eas ad perfectionem christianam gubernaret pro cuiusque condicione.

Servi Dei virtutes heroum more exercitae ostensae sunt potissimum multis gravibusque expletis officiis quae ei concredita sunt tum in Congregatione, tum in Ecclesiae servitio. Qua Secretarius, Postulator et Consultor generalis Passionistarum prudenter et sedulo laboravit. Sollers ac fortis fuit in numerosis Visitationibus apostolicis in parvis amplisque meridianis Italiae dioecesibus, quae ei sub Pontifice S. Pio X commissae sunt — cui carissimis fuit — quibus etiam corporis valetudine est fatigatus. Valido etiam auxilio fuit Beatis conditricibus Margaritae Caiani (quae annis vixit 1863-1921) et Savinae Petrilli (quae vitam egit annis 1851-1923) et etiam Beato Hannibali M. Di Francia (qui aetatem traduxit annis 1851-1927). Omnia fecit in probata humilitate inque votorum religiosorum exemplari observantia atque in purissimo charismatis Congregationis Passionis spiritu.

Laboribus magis confectus quam aetate, Servus Dei vesperi diei 10 mensis Decembris anno 1909, in laborem incumbens Postulatoris, cerebri haemorrhagia correptus est. Ei statim adiuto sunt Sacramenta Paenitentiae et Unctionis Infirmorum ministrata, sed animam exspiravit, animo non recepto, paulo ante meridiem sabbato die 11 mensis Decembris anno 1909 nondum sexaginta annos natus. Sollemnes exsequiae in Romana basilica Sanctorum Ioannis et Pauli sanctitatis famae Servi Dei indicium fuerunt. Sepultus est in coemeterio Verani, et eius corpus Lucam translatum est anno 1949 positumque in sanctuario mirae filiae eius spiritalis Gemmae Galgani.

Servi Dei fama sanctitatis durante et augescente, annis 1957-1959 celebratus est Processus Ordinarius apud Vicariatum Urbis, cui additi sunt plures Rogatoriales, in quo multi testes interrogati sunt atque multiplicia graviaque instrumenta sunt comparata. Nonis Marths anno 1986 promulgatum est decretum super auctoritate et vi horum Processuum. ***Positione*** confecta, die 28 mensis Februarii anno 1995 actus est prospero cum exitu Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris super virtutibus heroum in modum exercitis. Die 4 secuti mensis Iulii acta est Cardinalium et Episcoporum Sessio Ordinaria, Causae Ponente Excellentissimo Domino Fiorino Tagliaferri, Episcopo Viterbiensi, qui professi sunt Servum Dei Germanum

a Sancto Stanislao heroum more virtutes théologales, cardinales iisque adnexas coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Germani a Sancto Stanislao (in saec.: Vincentii Mariae Ruoppolo), Sacerdotis professi Congregationis Passionis Iesu Christi, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 11 mensis Iulii A. D. 1995.

£8 **ALBERTUS BOVONE**
archiep. tit. Caesarien. in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. ffiS.

ffi Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

THORUNIEN.

Beatificationis et canonizationis Servae Dei Mariae Kariowska, fundatricis Congregationis Sororum Divini Pastoris a Providentia Divina (1865-1935)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Christi agendi ratio, Evangelium operum verborumque eius, congruenter id arguit, quod mulieris dignitatem offendit. Hinc mulieres quae cum Christo sunt, se rursus intellegunt in veritate quam Is docet et facit, tum etiam, cum haec est veritas de earum natura peccatoria. Sentiunt se per hanc veritatem liberatas, sibi ipsis restitutas: sentiunt se amore aeterno amari, amore qui in ipso Christo exprimitur. In Christi campo actionis ea-

rum socialis condicio mutatur » (IOANNES PAULUS II, Epist. Apost. ***Mulieris dignitatem,*** 15: *AAS* LXXX [1988], 1688).

Divini Pastoris exemplum secuta, qui venit ut ovem quae perierat quaereret (cfr. ***Lc*** 15, 4-6) et quod perierat salvum faceret (cfr. ***Lc*** 19, 10), Serva Dei Maria Karlowska redimendis puellis ac mulieribus, quae ad extremam societatem detrusae vivebant inque morum corruptela versabantur propter meretricium, se ipsam devovit. Caritate mota, tecto eas excepit maternaque cum cura consuluit ut illis mulierum ac filiarum Dei dignitatem restitueret.

Haec Christi discipula a Matthaeo Karlowski est orta et Generosa Eugenia Dembinska pridie nonas Septembres anno 1865 in Polonico pago Shipówka, hodie Karlowo appellato, intra fines posito archidioecesis Gnesnensis. In familia solida est educatione religiosa instructa et a pueritia indolem ostendit fortem atque animosam necnon claram ad deprecationem proclivitatem. Posnaniae, quo se familia contulerat, utiliter apud scholam privatam studia exercuit; anno 1875 primum sanctam Communionem accepit et anno 1882 votum suscepit castitatis. Parentibus mortuis, est Berolinum missa ut artis suendi atque plumariae cursus sequeretur. Posnaniam reversa, diligenter ac peculiari cum peritia in vestificina laboravit, omnium aestimationem et dilectionem sibi concilians. Unum et viginti annos nata Confirmationem accepit, quae eius confirmavit vitam christianam, assidua sacramentorum participatione, precatione atque caritate in pauperes signatam. Mense Novembri anno 1892, fortuitus cum meretrice occursus, quae ei tristem suam exposuit condicionem moralem, eius vitae improviso ac decretorio discrimini fuit. Namque se a Deo vocari animadvertit, ut de meretricibus redimendis curam adhiberet. Sicut bonus Samaritanus (cfr. ***Lc*** 10, 33-35), statim est magna earum miseratione capta et multo studio laborare coepit, ut eas morali foeditate liberaret et exclusione a vita sociali. Vesperi, post laborem in vestificina, eas adibat et cum amore atque sedulitate earum animarum imprimis vulnera curabat, a peccatis eas arcendo et dirigendo ad bonam frugem. Eiusmodi apostolatus, cum alacritate, sacrificii spiritu immensaque cum patientia explicatus, multarum reprehensionum atque aegritudinum, etiam a quibusdam propinquis, ei causa fuit; sed ea, auxilio confisa divinae Providentiae, non animo defecit et cum fervore suam est prosecuta operam quae, etsi initio graves ei obstiterunt difficultates, non sine fructibus fuit. Ut suis puellis aptam praeberet assiduitatem et futura meliora, anno 1893 in domum privatam eas congregavit, ubi vitam agebant communem, labo-

rabant et necessaria recipiebant auxilia, moralia, spiritualia atque materialia. Anno 1894 in aliam se contulit sedem ac subsequenti anno cum suis adiutricibus cumque puellis in quadam se villa collocavit, a benefica muliere suppeditata, in vico Winiary, non longe a Posnania. Ibi, magno cum gaudio, est ad Archiepiscopo dioecesano visitata ab eoque benedictionem accepit. Cum frustra omnia experta esset ut suum concrederet Opus alicui Congregationi religiosae iam exsistenti, ipsa novum condidit vitae consecratae Institutum; Congregationem nempe constituit Sororum Divini Pastoris a Providentia Divina, cuius usque ad mortem alacris et prudens fuit antistita generalis. Die 8 mensis Septembris anno 1896 religiosam induit vestem ac die 20 mensis Iunii anno 1902 cum septem sociis vota nuncupavit perpetua seseque obstrinxit officio semper pro mulieribus corruptis Iaborandi. Summa diligentia suum explevit munus, praesertim formationem curans Sororum, quas ad fidelitatem hortabatur erga vocationem, regulae observantiam, mutuam caritatem, castigationis exercitium, paenitentiae ac silentii, necnon ad studium salutis animarum. Pari alacritate, firmitudine et amabilitate prospexit puellis novis praeceptis formandis, quas verbo et vitae suae exemplo legis Dei observantiam docuit, precationis studium et manuum laborem, praesertim agrestem: prudentia cum paedagogica eas tamquam filias carissimas tractabat, earum comprehendebat difficultates, fragilitates commiserabatur, tuebatur a periculis, incitabat ad perseverandum in bonis propositis et ad sibi honeste paranda necessaria ad vivendum. Condita Congregatio, quamquam inopia afficiebatur multaeque erant internae externaeque difficultates, solidata est et ita aucta, ut aliae apertae sint domus acceptionis novaeque educationis, inter quas domus loci Jablonowo Pomorskie, quae domus generalitia Congregationis est facta. Serva Dei industriam Instituti sui extendit ad curam, in valetudinariis, mulierum morbis venereis laborantium. Constituit etiam Sodalicium Sanctae Mariae Magdalenae pro puellis quae, ad bonam frugem reversae, apud Congregationem manere volebant eiusque apostolatui operam dare.

Dum summa ope nitebatur pro sua Congregatione proque iuvenum mulierum redemptione, Serva Dei cum sedulitate, perseverantia atque spiritali gaudio animae suae sanctificationem excolebat. Continuo est in Christi imitatione progressa inque familiaritate cum eo; se abnegavit, quam optime divinam voluntatem facere contendit et omnibus viribus Dei regno in mundo aedificando se tradere. In fidei lumine continenter ambulavit, quam fructuosa aluit liturgiae participatione, deprecatione, meditatione Sacrarum Lit-

terarum atque aeternarum veritatum, ferventi in Eucharistiam, Sacrum Cor et Passionem Iesu, Immaculatam Conceptionem religione. Dei amore dives, diligenter eius servavit mandata, Ecclesiae praecepta et normas, vota religiosa atque regulam, quam erat secuta; multa naturalia ac supernaturalia talenta, quae ei Providentia donaverat, multiplicavit, contra peccatum contendit, aequo animo cotidianas tulit cruces et incommoda obiit crebra pro animarum bono, praecipue vitio irretitarum. Opera misericordiae spiritalis et corporalis est exécuta, pauperes, aegrotos, patriam dilexit, iis ignovit, qui eius obstiterunt industriae eique pepererunt maerores. Cum totam suam spem in Domino collocasset, difficultates non timuit, inanibus mundi rebus non adhaesit, corporis ac spiritus dolores non est lamentata; praemium appetivit aeternum nihilque, quod ad illud consequendum prodesset, neglegebat. Exemplari modo coluit etiam virtutes iustitiae erga Deum et proximos, prudentiae in suae sanctificationis opere et in sui Instituti moderatione, fortitudinis in fidelitate erga vocationem, temperantiae in terrestrium bonorum usu, humilitatis in prosperis inque malis exitibus, patientiae in rebus adversis et in morbis qui eam extremis vitae annis excruciaverunt.

Meritis ornata et divinae obsequens voluntati, pie est vita defuncta die 24 mensis Martii anno 1935 in oppido Pniewite, tunc in dioecesi Culmensi sito, hodie vero in Thoruniensi, et est in loco Jablonowo Pomorskie sepulta. Aestimatio et fama sanctitatis, quibus enituit in vita, post mortem quoque duraverunt; quapropter episcopus Culmensis anno 1965 initium fecit beatificationis atque canonizationis Causae per processum ordinarium informativum, cui additus est processus rogatorialis apud curiam Posnaniensem celebratus. Horum processuum auctoritas et vis a Congregatione de Causis Sanctorum probata est decreto die 27 mensis Martii anno 1987 promulgato. Apparata ***Positione,*** virtutes inspectae sunt. Die 20 mensis Decembris anno 1994 felici cum exitu actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris. Patres Cardinales deinde et Episcopi, in Sessione Ordinaria diei 25 mensis Aprilis anni 1995, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Edmundo Casimiro Szoka, professi sunt Servam Dei Mariam Karlowska heroum in modum virtutes théologales, cardinales iisque adnexas coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Pro-Praefecto necnon Cardinali Causae Ponente meque Antistite a Secretis Con-

gregationis ceterisque de more convocaríais, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Karlowska, Fundatricis Congregationis Sororum Divini Pastoris a Providentia Divina, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 11 mensis Iulii A. D. 1995.

© ALBERTUS BOVONE
archiep. tit. Caesarien. in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. ©S.

© Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

VICEN.

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Ioannis Collell Cuatrecasas, sacerdotis dioecesani, fundatoris Congregationis Sororum Servarunt S. Cordis Iesu (1864-1921)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Ex Divini Magistri sententia (cfr. ***Mt 22,*** 37.38.39), christianae vitae perfectio caritate erga Deum, erga proximos potissimum innititur, quae tamen flagrans, studiosa, operosa sit. Ea enim, si ita conformatur, omnes quodammodo amplectitur virtutes (cfr. i ***Cor*** 13, 4-7); atque adeo iure meritoque "vinculum perfectionis" ***(Col*** 3, 14) dici potest. In quibusvis igitur rerum condicionibus versetur homo, opus est prorsus ut mentem suam suosque actus ad hoc propositum dirigat. Ad id tamen peculiari officio adstringitur sacerdos» (Pius XII, Adhort. Apost. ***Menti Nostrae,*** I: ***AAS*** XXXXII [1950], 660-1).

Caritas, contemplatione et pietate erga Sacrum Iesu Cor alita, lux fuit et anima vitae atque apostolatus sacerdotis Ioannis Collell Cuatrecasas, qui cum simplicitate, humilitate et summa generositate Dei, Ecclesiae et animarum servitio se dedidit.

Fidelis hic Christi discipulus Vici Ausonae in Hispania ortus est die 20 mensis Ianuarii anno 1864 eodemque die divinae gratiae donum accepit per

baptismi sacramentum. Pii parentes, Iosephus Collell, faber lignarius, et Narcisa Cuatrecasas, duoque avunculi sacerdotes solida eum christiana educatione instruxerunt, in qua sacerdotii nata est appetitio, aucta cum puer primum eucharistico se aluit Pane. Sine mora est vocationem secutus, alumnus externus factus et postea internus Seminarii dioecesani, ubi in vitam spiritalem, in disciplinae observantiam inque studia optimis cum exitibus incubuit. Iis annis vivam ostendit cupidinem Societatem Iesu ingrediendi, at id non potuit; quapropter intellexit Dominum velle se esse sacerdotem dioecesanum. Sacro excepto presbyteratus Ordine, die 18 mensis Decembris anno 1886, nominatus est vicarius parochi loci Muntanyola, quocum fideliter et impigre laboravit, praesertim in christiana doctrina docenda, in sacramento paenitentiae administrando, in assiduitate spiritali praebenda aegrotis et in contentione contra blasphemiam. Suum nutrivit apostolatum deprecatione, virtutum sacerdotalium exercitio et studio. Anno 1887, Valentiae est in Theologia probatus ac dimissus.

Eius facultates episcopi oculos in se converterunt, qui ei maiora concredidit officia; namque, quamvis admodum iuvenis esset, eum destinavit plurimis seminarii alumnis formandis, munera delegans ei gravia Magistri, id est praefecti disciplinae et rectoris spiritalis (annis 1889-1898), atque nonnullarum scholasticarum disciplinarum praeceptoris (annis 1889-1903).

Dum diligentia, sedulitate ac mira bonitate sacerdotii candidatis formandis prospiciebat, eius apostolatus etiam extra seminarium se extendit, imprimis pro mulieribus operariis, quae, propter aetatem et imperitiam non paucis nec levibus morum periculis obiectae erant, pariterque quaestui ac vexationibus. Cum Vici nullum esset Institutum, quod de iis curam adhiberet, Servus Dei, SS. Sacramentum adorans, consilium cepit novum condendi Institutum vitae consecratae, quod iuvenibus mulieribus operariis quoad spiritum et quoad corpus adesset. Postridie calendas Februarias anno 1891 ut hoc consequeretur propositum Vici primam aperuit domum, a pia domina rectam. Initio hoc inceptum non est a Vicensibus civibus probatum, nec a clero nec ab episcopo; qui tamen postea, consilio mutato, die 31 mensis Decembris anno 1896, Constitutiones novae religiosae familiae comprobavit, quae hodie appellatur Congregatio Sororum Servarum S. Cordis Iesu quaeque, Conditore sollicite ac prudenter moderante, confirmata est et aucta, novis apertis domibus.

Anno 1903 novus dioecesis Pastor, Venerabilis Iosephus Torras i Bages, a muneribus seminarii eum solvit et beneficiarium nominavit Canonicorum

Collegii Pietatis, ita efficiens ut magis suo Operi se dederet atque apostolicae industriae. Semper de regno Christi deque animarum salute sollicitus, cum assiduitate et fructu Paenitentiae sacramentum ministravit, praesertim in ecclesia Pietatis et apud varias religiosas Communitates; instituit et rexit in sua dioecesi consociationem Apostolatus Precationis et continenter religionem propagavit erga Sacrum Cor Iesu, cuius imaginem in multis familiis collocavit; aegrotos visitabat et consolabatur atque adiuvabat, peculiarique cum diligentia formandas Sorores curavit, quibus mutuam inculcavit caritatem et mulierum operariarum amorem.

Non spectabilia faciens, cotidie in imitatione Christi progressus fecit et in sanctitatis via. Suae vocationi fidelis omnia sua sacerdotalia munera cum facilitate, perseverantia et diligentia est executus et omni in vitae casu est nisus praeceptum explicare evangelicum: « Estote vos perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est» ***(Mt*** 5, 48). Fidei soliditate effulsit ac simplicitate, quam fervida nutriebat Missae celebratione, crebris SS. Sacramenti visitationibus, diurna deprecatione atque nocturna, meditatione, pietate erga Sacrum Iesu Cor et Virginem Mariam, quam cotidiana honorabat Rosarii recitatione. Omnia faciebat ad maiorem Dei gloriam nihilque, quod divinae voluntati et superiorum ecclesiasticorum normis non esset consentaneum. Assiduo operam dedit ut populi fidem et pietatem excitaret, potissimum iuvenum operariarum urbis suae. Deum dilexit tota mente, toto corde, totis viribus; in eius verbum credidit, eius servavit leges; laboravit ut cognosceretur et amaretur ab aliis, et precibus atque sacrificio iniurias expiavit, quibus a peccatoribus afficiebatur. Misericordiae spiritalis et corporalis opera fecit erga pauperes et divites, sanos et aegros, operarías, puellas in periculis versantes atque parentibus orbatas. Ut proximo utilis esset, non dubitavit sacrificia oppetere et reprehensiones, quas vi caritatis superavit et,divinae Providentiae auxilii fiducia, ad quam humiliter omni in necessitate confugiebat. Repetere solebat: « Sacrum Cor Iesu consulet ». Hac persuasione nisus, a bonis terrestribus fuit alienus, rebus supervacaneis se privavit, pauper vixit voluitque suam Congregationem magni facere paupertatis virtutem. Exemplari modo temperantiam coluit, fortitudinem, iustitiam in Deum et in proximos, prudentiam in apostolatu et in suae sanctificationis opere. Se abnegavit, animi motus coercuit, liberum servavit cor ab inordinatis affectionibus; castus fuit in verbis et in moribus. Etiam per longum et acerbum morbum, ob quem mortuus est, in dies montem perfectionis ascendere perrexit. Die 27 mensis Augusti anno 1921 cum gaudio ob-

tinuit ut posset « in articulo mortis » vota religiosa in Societate Iesu nuncupare. Terrenam conclusit industriam vitam die 5 insequentis mensis Octobris, a clero aestimatus, a Sororibus Servis S. Cordis Iesu, a populo, itemque veneratus.

Sanctitatis fama durante, Episcopus Vicensis iniit beatificationis et canonizationis Causam per celebratum processum ordinarium informativum (armis 1961-1969), cuius auctoritas et vis est a Congregatione de Causis Sanctorum probata decreto die 27 mensis Septembris anno 1984 promulgato. Positione praeparata, inspectum est an Servus Dei heroum in modum virtutes coluisset. Die 27 mensis Septembris anno 1994, exitu cum prospero, actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris. Patres Cardinales porro et Episcopi, in Sessione Ordinaria diei 2 mensis Maii anni 1995, Causae Ponente Cardinali Eduardo Francisco Pironio, agnoverunt sacerdotem Ioannem Collell Cuatrecasas heroum more virtutes théologales, cardinales iisque adnexas observavisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Pro-Praefecto necnon Cardinali Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandos, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Ioannis Collell Cuatrecasas, Sacerdotis dioecesani et Fundatoris Congregationis Sororum Servarum S. Cordis Iesu, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 11 mensis Iulii A. D. 1995.

£8 ALBERTUS BOVONE
archiep. tit. Caesarien. in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. ffi S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

VINDOBONEN.

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Iacobi Kern, sacerdotis professi canoniae Gerusenae Ordinis Praemonstratensis (1897-1924)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit... ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostrae super eum, et livore eius sanati sumus » ***(Is*** 53,4-5).

Divini Magistri illectus exemplo, qui pro mundi redemptione sanguinem effudit, Servus Dei Iacobus Kern Christi passionem communicare exoptavit ut peccata hominum expiaret et vitae suae devotione operam navaret animarum saluti. Quod cupivit obtinuit; hinc cum Crucifixo coniunctus, multos cum amore et propter amorem dolores est passus et in carne sua adimplevit ea quae desunt passionum Christi pro corpore eius, quod est Ecclesia (cf. ***1 Col*** 1, 24).

Hic Dei amicus Vindobonae ortus est die 11 mensis Aprilis anno 1897 a Francisco Kern et Anna Neidl, qui ex fide christiana congruenter vivebant. Post paucos dies puer, qui Beatae Mariae Virgini antequam nasceretur erat commissus, baptismum accepit, Franciscus vocatus. Exemplo atque praeceptis excitatus parentum, praesertim piae matris, mature Dominum cognoscere didicit et amare, erga omnes bonus esse et humanus, ecclesiam frequentare et suas delicias in deprecatione invenire. Dum ludum frequentabat coepit se cum pietate et laetitia Pane Eucharistico alere. Die Pentecostes anno 1908 ei collatum est Confirmationis sacramentum. Eodem anno, cum iamdudum sacerdotium peteret, seminarium minus ingressus est in urbe Hollabrunn, ubi aequalium atque antistitum existimationem sibi conciliavit propter suam amabilitatem, perfectam oboedientiam, in studiis perseverantiam et impensam religionem. Eucharistia, pietas in Virginem Mariam et precatio fuerunt animae eius cibus cotidianus, quae constanter in viis Dei cum humilitate et gaudio progrediebatur. Quattuordecim annos natus votum fecit privatum castitatis et die 28 mensis Decembris anno 1912 est Tertii Ordinis Franciscani sodalis factus. Eius ad sacerdotium iter est militia intermissum, quam anno 1915 iniit et anno 1918 desiit. Militis munia alacriter et animose sustinuit et, Deo auxiliante, in vocatione firmus mansit

et in fidei professione. Non erubescens cotidie fere sanctissimam Eucharistiam accipiebat et coram omnibus in deprecationem incumbebat, initio commilitonum risum concitans, postea vero admirationem et imitationem. Calendis Ianuariis anno 1916, Sanctissimum Sacramentum adorans in ecclesia quadam Salisburgensi, a Iesu postulavit ut multum pati posset pro Dei gloria et hominum peccatis expiandis. Subsequentis mensis Septembris die 11, in pugna super montem Costón Tirolis meridianae, est graviter sauciatus glande, quae ei pulmones transfixit et iecur. Insigni virtutis militaris argenteo est decoratus, sed nemo potuit ei salutem reddere. Postquam semivivus aliquot egit menses, meliusculus esse coepit, quapropter potuit militiam ad finem adducere. Deinceps cum ardore sanctisque propositis sacerdotii viam resumpsit et in seminarium maius Vindobonense introivit, vitae brevis praesensionem secum ferens et utilem experientiam: « Animadverti — scripsit — quam pauca excelsa sint, ad quae mundus tendat, et didici quam sit pulchrum Sacrum Cor audire, quamvis extrinsecus spernamur». Solita cum diligentia spiritui et menti formandis prospexit ferventi pietate ac navo theologiae studio. Ad metam aequo animo procedebat, cum caritate est motus ad vitam devovendam in suavis odoris sacrificium. Postquam diu secum reputavit et deprecatus est atque a superioribus ecclesiasticis potestatem obtinuit, mense Octobri anno 1920 intravit in Ordinem Praemonstratensem in abbatia loci Geras, in dioecesi sita Sancti Hippolyti, eo consilio, ut se uti victimam satisfactionis emendationi et reditui ad Ecclesiam catholicam sacerdotis Praemonstratensis apostatae condonaret, qui in Cechoslovachia ecclesiam nationalem condiderat. Nomine capto Iacobo die 20 mensis Octobris anno 1921 professionem simplicem fecit; dein studia theologica Vindobonae est prosecutus et die 23 mensis Iulii anno 1922 est sacerdos ordinatus. Incommoda valetudo eum non impedivit quominus impigram explicaret apostolatum tamquam coadiutor paroeciae conventualis loci Geras. Praedicationis ministerio se tradidit et confessionum, institutioni religionis in scholis, actioni pastorali pro pueris et iuvenibus, assiduitati spiritali aegrotis praebendae. Ut Missam celebraret animisque serviret ad vicinos etiam pagos se conferebat pedibus, corporis debilitatem vincens ardore regni Dei. Tempore Paschali anni 1923, cum in sede confessionali erat, est forti gravedine affectus; duo sanguinis vomitus secuti sunt et in pulmone, antea in bello sauciato, puris sedes formatae sunt. Oportuit illum in valetudinarium duci, ubi, sine anaesthesia est acerbae subiectus sectioni chirurgicae, ex qua quattuor ablatae sunt costae ut ad fontem perveniretur vitii

purulenti. Aliquot menses degit in valetudinario Meranensi, beneficium consecutus. Ad suam abbatiam reversus, pastoralem repetivit industriam, sed non diu restitit. Duos extremos vitae menses Vindobonae in valetudinario degit et, conscius se iam esse morti proximum, mira cum interiore pace se ad supremum occursum cum Deo praeparavit. Sicut praedixerat, animam Deo reddidit per sectionem chirurgicam die 20 mensis Octobris anno 1924. Eius exsequiis multi interfuerunt sacerdotes multique fideles et omnes pro certo habebant Servum Dei dignum fuisse Christi discipulum atque fidelem Evangelii testem.

Revera eius vita continuus fuit ascensus ad christianam perfectionem, adeptam sedula munium cotidianorum exsecutione, crucis amore et virtutum exercitio. Fide ductus, spe et caritate, cum Deo a pueritia ambulavit, eius verbo est submisse obsecutus, prompte eius voluntati et legibus Ecclesiae oboedivit, omnia reliquit ut vocationem ad sacerdotium sequeretur, vota religiosa accurate servavit atque Ordinis sui regulam. Ut in familiaritate cum Domino cresceret, maxime dilecto, meditationem coluit veritatum aeternarum, deprecationem, pietatem erga Eucharistiam atque Virginem Mariam et praesertim est Christum crucifixum imitatus adeo, ut vitam devoveret pro Dei gloria, pro mundi peccatorum expiatione et Ecclesiae bono. Sacerdos factus, Missam magna religione celebrabat et sacramenta et fervoris plenus erat in bonis redemptionis populo distribuendis. Plus se proximum dilexit et omnes cum benignitate tractavit, humanitate atque affabilitate. Semper paratus erat ad consolandum, adiuvandum, consilia danda. Peccatores, aegri et ii, quotquot occurrit in vita, multimodis eius fraternam sollicitudinem experti sunt. Quam maxime et supernaturaliter prudens fuit in servitio Dei atque animarum inque sanctificationis suae opere. A bonis et inanibus terrae rebus alienus continuo praemium aeternum exoptavit, semper est auxilio divinae Providentiae confisus. Tum etiam, cum acerbior erat morbus, tranquillitate effulsit, patientia, fortitudine et simplicitate, qua misericordibus Domini manibus se committebat.

Eminentium eius virtutum memoria viva mansit apud propinquos, seminarii sodales, commilitones, religiosos abbatiae loci Geras et populum. Durante sanctitatis fama, Archiepiscopus Vindobonensis initium Causae beatificationis et canonizationis fecit celebrato processu ordinario informativo (annis 1958-1985), cui adiunctus est processus additicius, apud eandem Curiam instructus anno 1988. Harum inquisitionum auctoritas et vis probata est a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum die 4 mensis Iu-

nii anno 1993 promulgatum. Praeparata Positione, disceptatum est an Servus Dei heroum more virtutes eoluisset. Die 17 mensis Februarii anno 1995 prospero cum exitu actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris. Patres Cardinales deinde et Episcopi, in Sessione Ordinaria diei 6 insequentis mensis Iunii, Causae Ponente Excellentissimo Domino Ottorino Petro Alberti, Archiepiscopo Calaritano, professi sunt Servum Dei Iacobum Kern virtutes servavisse théologales, cardinales iisque adnexas.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandos, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Iacobi Kern, Sacerdotis professi Canoniae Gerusenae Ordinis Praemonstratensis, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 11 mensis Iulii A. D. 1995.

© ALBERTUS BOVONE
archiep. tit. Caesarien. in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. © S.

© Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus Pp. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet:

die 25 Iulii 1995. — Cathedrali Ecclesiae Civitatis Quesadensis, noviter erectae, R. P. Angelum San Casimiro Fernández, O.A.R., hactenus curionem paroeciae vulgo « Nuestra Señora del Carmen ».

die 28 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Bernardinopolitanae, Exc.mum P. D. Geraldum Richardum Barnes, hactenus Episcopum titularem Faliscodunensem et Auxiliarem dioecesis Bernardinopolitanae.

die 2 Ianuarii 1996. — Cathedrali Ecclesiae Bellunensi-Feltrensi Exc.mum P. D. Petrum Brollo, hactenus Episcopum titularem et Auxiliarem Archiepiscopi Utinensis.

die 5 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Covingtonensi, R. D. Robertum Villelmum Muench, hactenus Episcopum titularem Mactaritanum et Auxiliarem archidioecesis Novae Aureliae.

— Praelatitiae Ecclesiae Tibuensi R. D. Iosephum de Iesu Quintero Díaz, e clero dioecesis Istminanae-Taduanae, hactenus eiusdem Ecclesiae Vicarium generalem.

— Metropolitanae Ecclesiae Compostellanae Exc.mum P. D. Iulianum Barrio, hactenus Episcopum titularem Sasabensem et Auxiliarem Compostellanum.

— Titulari episcopali Ecclesiae Horaeensi R. D. Attilanum Rodríguez Martínez, in archidioecesi Ovetensi curionem, quem constituit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 9 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Palentinae Exc.mum P. D. Raphaelem Palmero Ramos, hactenus Episcopum titularem Petinensem et Auxiliarem Toletanum.

die 13 Ianuarii 1996. — Cathedrali Ecclesiae Tigiuanaënsi R. D. Raphaelem Romo Muñoz, e clero dioecesis Torreonensis, directorem spiritus Pontificii Collegii Mexicani in Urbe.

die 17 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Itapevensi R. D. Iosephum Moreira de Melo, hactenus Pro-Vicarium generalem dioecesis Patensis.

die 23 Ianuarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Muliensi, R. D. Ioannem Raimundum Manz, e clero archidioecesis Chicagiensis ibique curionem paroeciae Sanctae Agnetis Bohemiae, quem deputavit Auxiliarem Em.mi P. D. Iosephi Ludovici S.R.E Cardinalis Bernardin, Archiepiscopi Chicagiensis.

die 24 Ianuarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Siminiensi, R. D. Robertum Patricium Maginnis, e clero archidioecesis Philadelphiensis Latinorum, Vicarium episcopalem in oppido vulgo Montgomery, quem deputavit Auxiliarem Em.mi P. D. Antonii Iosephi S.R.E. Cardinalis Bevilacqua, Archiepiscopi Philadelphiensis Latinorum.

— Titulari episcopali Ecclesiae Cellensi in Mauretania, R. D. Iosephum Franciscum Martino, e clero archidioecesis Philadelphiensis Latinorum, ibique Moderatorem officii ad renovandam vitam pastoralem, quem deputavit Auxiliarem Em.mi P. D. Antonii Iosephi S.R.E. Cardinalis Bevilacqua, Archiepiscopi Philadelphiensis Latinorum.

die 2 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Ebroicensi Exc.mum P. D. Iacobum David, hactenus Episcopum Rupellensem.

— Cathedrali Ecclesiae Caeci Abulensis, noviter erectae, Exc.mum P. D. Marium Eusebium Mestril Vega, hactenus Episcopum titulo Cediensem et Auxiliarem dioecesis Camagueyensis.

— Cathedrali Ecclesiae Derthonensi Exc.mum P. D. Martinum Canessa, hactenus Episcopum titularem Tigisitanum in Mauretania et Auxiliarem Archiepiscopi Ianuensis.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Visita di Stato:

Sabato 20 Gennaio 1996, S.E. JACQUES CHIRAC, **Presidente della Repubblica Francese.**

Ha, altresì, ricevuto in Udienza:

Venerdì 5 Gennaio 1996, S.E. il Signor VALDIS BIRKAVS, **Ministro degli Affari Esteri della Lettonia.**

Sabato 13 Gennaio 1996, l'Eccmo Corpo Diplomatico accreditato presso la Santa Sede.

Mercoledì 17 Gennaio 1996, S.E. il Signor SHIMON SHETREET, **Ministro degli Affari Religiosi dello Stato di Israele.**

Mercoledì 17 Gennaio 1996, S.E. il Signor Liviu MAIOR, **Ministro dell'Insegnamento della Repubblica di Romania.**

Martedì, 23 Gennaio 1996, S.E. il Signor VÁCLAV KLAUS, **Primo Ministro della Repubblica Ceca.**

Sabato, 24 Gennaio 1996, S.E. ANN WIDDECOMBE, **Ministro degli Interni del Governo Britannico.**

Venerdì 12 gennaio 1996, si è riunita, alla presenza del Santo Padre, la Congregazione delle Cause dei Santi.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Breve Apostolico il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

2 gennaio 1996. S.E. mons. Paul Fouad Tabet, Arcivescovo tit. di Sinna, *Nunzio Apostolico in Grecia.*

22 » » Mons. Antonio Petti, *Uditore Generale della Camera Apostòlica.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

30 dicembre 1995. Mons. Michael Courtney, ***Inviato Speciale con funzioni di Osservatore Permanente della Santa Sede presso il Consiglio di Europa a Strasburgo.***

4 gennaio 1996. S.E. mons. Francesco Marchisano, Arcivescovo tit. di Populonia, ***Membro della Congregazione per VEducazione Cattolica « ad quinquennium ».***

» » » Mons. Mario Marchesi, ***Capo Ufficio nella Congregazione per il Clero.***

8 » » S.E. mons. Giuseppe Bertello, Arcivescovo tit. di Urbisaglia, ***Osservatore Permanente della Santa Sede presso l'Ufficio delle Nazioni Unite ed Istituzioni Specializzate a Ginevra.***

11 » » S. E. mons. Stanislaw Rylko, Vescovo tit. di Novica, Segretario del Pontificio Consiglio per i Laici, ***Membro del Pontificio Consiglio della Pastorale per i Migranti e gli Itineranti « in aliud quinquennium ».***

18 » » L'Em.mo Signor Cardinale Joachim Meisner, e S. E. mons. Giovanni Cheli, ***Membri del Pontificio Consiglio per il Dialogo Inter-Religioso « in aliud quinquennium ».***

» » » L'Em.mo Signor Cardinale Simon D. Lourdusamy, ***Membro della Congregazione delle Cause dei Santi « in aliud quinquennium».***

NECROLOGIO

7 gennaio 1996. Mons. Joseph B. Brunini, Vescovo em. di Jackson ***(Stati uniti d'America).***

8 » » Mons. Alberto F. Etges, Vescovo em. di Santa Cruz do Sul ***(Brasile).***

» » » Mons. Guy Deroubaix, Vescovo di Saint-Denis ***(Francia).***

10 » » Mons. Laurenz Böggering, Vescovo tit. di Matara di Numidia.

14 » » Mons. Myron Daciuk, Vescovo di Edmonton degli Ucraini ***(Canada).***

17 » » Mons. Mario Miglietta, Vescovo em. di Ugento-Santa Maria di Leuca ***(Italia).***

An. et vol. LXXXVHI 4 Marni 1996 N. 3

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano - *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

PP.

CONSISTORIA

Feria secunda, die XXIX mensis Ianuarii, anno MCMXCVI, mane, in consueta Aula Palatii Apostolici Vaticani, fuit ***Consistorium ordinarium publicum,*** cuius acta ex ordine referuntur:

I - Introductio

Summus Pontifex, stans, signavit se signo crucis et cantavit versum ***Deus in adiutorium*** ad horam Sextam inchoandam, adstantibus Patribus Cardinalibus, sacris Praesulibus et Romanae Curiae Praelatis quibus intimari solet, deinde praesentes certiores fecit de tractandis in Consistorio hisce verbis:

Venerabiles Fratres, opportunitatem iam singuli perpendistis beatum Ioannem Grande Román et beatum Ioannem Gabrielem Perboyre in Sanctorum numero censendi et sententiam vestram per litteras aperuistis. Unum idemque vos sentire et Canonizationi favere ostendistis.

Itaque omnes huc vos convocavi ut una simul peragamus et consilium ultimum capiamus de sanctorum caelitum honoribus iisdem Beatis decernendis; sed et quaedam tractabimus cum ad regimen Ecclesiae tum ad vestrum Collegium pertinentia.

Cum autem agatur de consilio magni momenti in vita Ecclesiae, in primis Domini laudes psallendo narremus, eius verbum fidentes audiamus,

enixas effundamus preces ut ille sua gratia mentes nostras illuminet nobisque ostendat quid sibi gratum sit, qui ad incrementum Ecclesiae proficiat.

II - Peroratio de canonizationis causa et perpensio votorum

P. D. Albertus Bovone, archiep, titulo Caesarien. in Numidia, Congregationis de Causis Sanctorum Pro-Praefectus, brevem excursum habuit sive de Beatorum vita sive de Causarum processu apud eandem Congregationem habito, instanterque eorum canonizationem petiit; tunc Ss.mus ad cardinales et praesules allocutionem ad eorum vota pro canonizatione perpendenda sic habuit:

Apud Congregationem de Causis Sanctorum, ut a Ven. Fratre Alberto Bovone, Archiepiscopo Caesariensi in Numidia et eiusdem Congregationis Pro-Praefecto, accepimus, omnia que opus sunt ut beati Ioannes Grande Román et Ioannes Gabriel Perboyre in Sanctorum numero censeantur feliciter sunt expleta.

Sed et vos, Venerabiles Fratres, antequam hoc Consistorium celebraretur iam per litteras mentem vestram singuli aperuistis et declarastis ipsos Beatos, attentis praesertim nostrorum temporum adiunctis, tamquam vitae christianae et sanctitatis exemplaria Universae Ecclesiae esse proponendos.

Cum autem de re maximi momenti agatur, antequam consilium certum et definitivam capiatur et statuantur dies quibus iidem Beati in Sanctorum album adscribantur, si quis vestrum opportunum existimet aliquid addere, fidenter manifestare velit quid sentiat.

Hic Beatissimus Pater quievit aliquantulum deinde, nemine contradicente, sic peregit:

Gaudeo et letor, Venerabiles Fratres, quod existimastis totius Ecclesie venerationi beatum Ioannem Grande Román et beatum Ioannem Gabrielem Perboyre esse proponendos. Itaque, auctoritate Dei omnipotentis, Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, decernimus ut beatus Ioannes Grande Román et beatus Ioannes Gabriel Perboyre, una cum beato Aegidio Maria a Sancto Ioseph, die secunda mensis Iunii anni millesimi nongentesimi nonagesimi sexti in Sanctorum album referantur.

HI - Optiones ad ordinem presbyterorum

Ad iuris normam rev.mus Franciscus Arinze optavit ad ordinem presbyterorum retenta diaconia Sancti Ioannis a Pinea pro hac vice ad titu-

lum evecta; rev.mus Antonius Innocenti optavit retenta diaconia Sanctae Mariae in Aquiro pro hac vice ad titulum evecta; rev.mus Paulus Augustinus Mayer optavit retenta diaconia Sancti Anselmi in Aventino pro hac vice ad titulum evecta; rev.mus Ioannes Hieronymus Hamer optavit retenta diaconia Sancti Sabae pro hac vice ad titulum evecta; rev.mus Iosephus Tomko dimissa diaconia Iesu Boni Pastoris optavit ad titulum Sanctae Sabinae; rev.mus Andreas Maria Deskur optavit retenta diaconia Sancti Caesarei in Palatio pro hac vice ad titulum evecta; rev.mus Paulus Poupard dimissa diaconia Sancti Eugenii optavit ad titulum Sanctae Praxedis; rev.mus Eduardus Gagnon dimissa diaconia Sanctae Helenae optavit ad titulum Sancti Marcelli; rev.mus Alfonsus Maria Stickler optavit retenta diaconia Sancti Georgii in Velabro pro hac vice ad titulum evecta.

Eandem optionem per procuratorem fecerunt rev.mus Simon Lourdusamy, Protodiaconus, retenta diaconia Sanctae Mariae de Gratiis extra Portam Equitum pro hac vice ad titulum evecta; necnon rev.mus Rosalius Iosephus Castillo Lara retenta diaconia Dominae Nostrae de Coromoto pro hac vice ad titulum evecta.

Et omnes novorum titulorum Bullas seu Apostolicas sub plumbo Litteras de manu Ss.mi acceperunt.

IV - Novus Protodiaconus

Per optiones supra recensitas vacans officium Protodiaconi rev.mus Eduardus Martínez Somalo, Diaconus Sanctissimi Nominis Iesu, suscepit, confirmante Domino Apostolico.

V - Confectio Instrumenti actorum

Statim ac Ss.mus post precationem pro sancta Ecclesia benedictionem impertivit, Magistro celebrationum domni Papae rogante, adstantibus Protonotariis Apostolicis ut iuridica instrumenta de omnibus supra recensitis conficerent, de more mandatum est, et laude omnipotenti Deo reddita Consistorium est absolutum.

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

DOMINAE NOSTRAE MARTYRUM LIBANENSIUM IN CIVITATE MEXICANA

Eparchia Dominae Nostrae Martyrum Libanensium in Civitate Mexicana pro Maronitis conditur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum Christifideles Ecclesiae Antiochenae Maronitarum, qui iamdudum in Mexicanam Nationem migraverunt, consociata praesertim opera presbyterorum sui ritus, laeta incrementa, Deo benignissimo dante, feliciter cepissent, visum est ipsam Maronitarum communitatem in Eparchiam erigere ad aptius consulendum bono eorundem fidelium. Nos igitur in beati Petri Cathedra constituti deque universo Dominico grege solliciti, auditis Sua Beatitudine Nasrallah Petro S.R.E. Cardinale Sfeir, Patriarcha Antiocheno Maronitarum cum Synodo Episcoporum eiusdem Ecclesiae necnon Venerabilibus Fratribus Sergio Obeso Rivera, Archiepiscopo Metropolita Ialapensi et Praeside Conferentiae Episcopalis Mexicanae atque Hieronymo Prigione, Archiepiscopo titulo Lauriacensi et in eadem Natione Apostolico Nuntio, libentes excipientes sententiam Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus Nobis hoc ipso die relatam ab eius Praefecto Venerabili Fratre Nostro Achille S.R.E. Cardinale Silvestrini, summa Apostolica potestate constituimus Eparchiam ***Dominae Nostrae Martyrum Libanensium in Civitate Mexicana*** pro Maronitis, quos diximus, cunctis factis propriis iuribus atque obligationibus. Haec quidem res reliquaque secundum normas Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium temperentur. Insuper de hoc absoluto negotio sueta documenta exarentur et ad memoratam Congregationem mittantur. Hanc denique Apostolicam Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo quinto, Pontificatus Nostri duodevicesimo.

EB ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

ACHILLES card. SILVESTRINI
Congr. pro Eccl. Orient. Praef.

Marcellus Rossetti, ***Protonot. Apost.***
Franciscus Chiaurri, ***Protonot. Apost.***

Loco 83 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 384.671

II

IELGAVENSIS

Nova dioecesis conditur in Lettonia, Ielgavensis appellanda.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Apostolicum ministerium ab ipso Domino Nobis commissum summa diligentia explicare innitimur, ut eiusdem salutaria beneficia et praecepta omnia loca contingant cunctasque efficaciter gentes. Idcirco Nos res disponere properamus quo facilius commodiusque hoc eveniat. Quocirca cum Venerabilis Frater Ioannes Bulis, Episcopus Liepaiensis, postulaverit ut propter hominum multitudinem in sua dicione degentium nova conderetur ecclesiastica circumscriptio, ipsius dioecesis quodam territorio distracto, favente quoque Venerabili Fratre Iusto Mullor García, Archiepiscopo titulo Volsiniensi et in Lettonia Apostolico Nuntio, de Secretariae Status consilio, haec, Apostolica Nostra potestate usi, statuimus et decernimus: a dioecesi Liepaiensi decanatus seiungimus, scilicet Griva, Ilukste, Jekabpils, Skaistkalne, Jelgava, quibus nova dioecesis constituitur ***Ielgavensis*** appellanda, quae iisdem teminatur finibus quibus supra memorati decanatus simul sumpti. Novae dioecesis sedem in urbe Jelgava locamus, templumque ibidem situm idemque Immaculatae Conceptioni Beatae Mariae Virginis dicatum ad gradum evehimus Ecclesiae Cathedralis, cunctis consentaneis concessis iuribus et privilegiis. Ielgaviensis Episcopus iisdem fruetur iuribus ce-

terisque rebus, quibus reliqui Praesules. Novam constitutam Ecclesiam Metropolitanae Sedi Rigensi suffraganeam facimus eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi Rigensis pro tempore subicimus. Consultores dioecesani deligantur ad iuris normam, qui ipsi Episcopo opem ferant. Congruam Praesulis sustentationem novae dioecesis Curiae emolumenta, fidelium oblationes et portio procurabunt, quae ei obveniet ex divisione, ad normam can. 122 C.I.C., bonorum quae antehac ad mensam episcopalem Liepaiensem pertinuerunt. Quod ad seminarii institutionem atque sacrorum candidatorum formationem, praescripta Congregationis de Institutione Catholica serventur.

Seminarii quidam tirones itemque sacerdotes ad studia complenda Romam mittantur, si fieri potest. Quod autem ad novae dioecesis regimen pertinet, bonorum ecclesiasticorum administrationem, Administratoris dioecesani, sede vacante, electionem, fidelium iura aliaque horum similia, quae sacri canones praecipiunt serventur. Simul atque novae dioecesis constitutio ad effectum deducta erit, eo ipso sacerdotes Ecclesiae illi censeantur assignati in cuius territorio officium ecclesiasticum habent, ceteri vero sacerdotes, seminariique tirones illi Ecclesiae in cuius territorio legitimum detinent domicilium. Acta et documenta quae in universum novam dioecesim respiciunt, a Curia Liepaiensi ad Curiam Ielgavensem tranferantur. Ad haec tandem explenda quae per has Litteras iussimus, Venerabilem Fratrem Iustum Mullor García legamus, facta etiam potestate subdelegandi quemlibet in ecclesiastica potestate constitutum. Re denique ad exitum perducta, documenta apparentur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Episcopis dihgenter mittantur, contrariis rebus minime obsistentibus quibuslibet.

Datum Romae, apud S. Petrum, die altero mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo quinto, Pontificatus Nostri duodevicesimo.

83 ANGELUS card. **SODANO**
Secretarius Status

83 BERNARDINUS card. **GANTIN**
Congr. pro Episcopis Praef.

Eugenius Sevi, ***Protonot. Apost.***
Marcellus Rossetti, ***Protonot. Apost.***

Loco 68 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 384.565

III

SS. SALVATORIS BAYAMENSIS-MANZANILLENSIS

In Cuba nova conditur dioecesis Sanctissimi Salvatoris Bayamensis-Manzanillensis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Venerabilis Frater Petrus Clarus Meurice Estiu, Archiepiscopus Metropolita Sancti Iacobi in Cuba, audita Conferentia Episcoporum eiusdem Nationis, ab hac Apostolica Sede enixe petivit ut quodam distracto territorio a circumscriptione ecclesiastica sua nova dioecesis conderetur, quo efficacius consuleretur spirituali saluti fidelium in ea degentium. Nos quidem in beati Petri Cathedra positi deque totius Dominici gregis bono solliciti, favente quoque eidem rei Venerabili Fratre Beniamino Stella, Archiepiscopo titulo Midilensi, in memorata Natione Apostolico Nuntio, de consilio Congregationis pro Episcopis admotae postulationi libenter concedendum esse putavimus. Summa igitur, qua fungimur, potestate quae sequuntur decernimus. Ab archidioecesi Sancti Iacobi in Cuba separamus territorium civilis provinciae « Granma » nuncupatae; atque ex ita distracto territorio novam constituimus dioecesim ***Sanctissimi Salvatoris Bayamensis-Manzanillensis*** appellandam, quae iisdem limitabitur finibus, quibus praedictum territorium, ut civili lege exstat, in praesens terminatur. Sic conditae dioecesis sedem in urbe « Bayamo » ponimus, ibique situm templum, Sanctissimo Salvatori dicatum, ad gradum ac dignitatem cathedralis ecclesiae evehimus cuique propria insignia, privilegia et honores tribuimus. Praeterea eandem dioecesim huius Constitutionis virtute suffraganeam facimus metropolitanae Sedi Sancti Iacobi in Cuba eiusque pro tempore Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi Sancti Iacobi in Cuba subicimus, iisdem iuribus, privilegiis, insignibus et honoribus ornatum atque oneribus et officiis adstrictum, quae Episcoporum residentium propria sunt. Cui ut valide auxilietur ibi quam primum Collegium Consultorum de iure constituatur. Congruae prorsus sustentationi Praesulis novae dioecesis provideatur Curiae emolumentis, fidelium oblationibus ac portione bonorum, quae ad normam canonis 122 C.I.C. eidem obvenire debent quaeque hactenus ad mensam episcopalem archidioecesis Sancti Iacobi in Cuba pertinuerunt. In iis autem quae respi-

ciunt ad Seminarii dioecesani aedificationem atque candidatorum ad sacerdotium institutionem, serventur praescripta iuris communis, habita praesertim ratione normarum ac regularum a Congregatione de Institutione Catholica statutarum. Cum fas erit, selecti sacerdotes sua studia completuri Romam mittantur. Quod vero attinet ad conditae dioecesis regimen, bonorum ecclesiasticorum administrationem, dioecesani Administratoris « sede vacante » electionem, fidelium iura et onera aliaque id genus, quae sacri canones praescribunt ad amussim serventur. Simul ac dioecesis erectio ad effectum deducta fuerit, sacerdotes eo ipso illi adscripti censeantur Ecclesiae in cuius territorio ecclesiasticum officium detinent; ceteri autem clerici Seminariique alumni incardinati maneant vel incardinentur Ecclesiae in cuius territorio legitimum habent domicilium. Acta et documenta quae ad noviter constitutam dioecesim eiusque clericos, fideles et bona temporalia respiciunt, a Curia Sancti Iacobi in Cuba ad Curiam Sanctissimi Salvatoris Bayamensis-Manzanillensis quam primum transmittantur. Quae statuimus perficienda committimus Venerabili Fratri Beniamino Stella, quem diximus, vel, absente eo, illi, qui curat negotia Sanctae Sedis in Cubana Natione, eisdem tribuentes necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis, cum primum fas erit, remittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die nono mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo quinto, Pontificatus Nostri duodevicesimo.

83 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

83 BERNARDINUS card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, ***Protonot. Apost:***
Franciscus Chiaurri, ***Protonot. Apost.***

Loco & Plumbi
In Secret. Status tab., n. 384.444

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Servo Dei Damiano de Veuster caelitum attribuuntur Beatorum honores.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — "Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam quis ponat pro amicis suis" ***(Io*** 15, 13).

Postremam suam cum discipulis ducens Dominus Iesus cenam, cum erga proximos amoris suum traderet mandatum — « Haec mando vobis, ut diligatis invicem » — sui pariter rationem praestantiamque amoris nobis exhibuit, ut mutuo videlicet inter nos perinde diligeremus ac nos ipsemet dilexit. Sic ideo in prima reperimus Sancti Ioannis epistula scriptum: « In hoc novimus caritatem, quoniam ille pro nobis animam suam posuit; et nos debemus pro fratribus animas ponere » ***(1 Io*** 3, 16), nostram nempe offerentes omnibus viribus vitam nostris pro fratribus ac proximis, et pauperrimis hominibus: nullo declinato opere nec periculo, nullo pro eorum salute dolore aut incommodo recusato. « Ipse infirmitates nostras accepit et aegrotationes portavit» ***(Mt*** 8, 17) et medicus venit eos qui male habebant salvos facere (cf ***Lc*** 5, 31). Haec universa certo quodam modo dici potest Pater Damianus de Veuster, Congregationis Sacrorum Cordium Iesu et Mariae sodalis, veluti suam ipsius praestituisse vivendi normam, cum ad insulam Molokai ut abiret consensit interque leprosos ut viveret « factus infirmis infirmus, ut infirmos lucri faceret » (cf ***1 Cor*** 9, 22). Suam enim vitam donavit quam ad mortem usque in hominum sibi commissorum tradidit beneficium, leprosorum id est suaeque aetatis egentissimorum et maxime derelictorum, inter quos leprosus et obiit tandem ille. Tertio die mensis Ianuarii anno millesimo octingentesimo quadragesimo est in oppido Tremelo editus dicionis Mechliniensis in Belgis, cuius fuerunt Ioannes Franciscus de Veuster atque Anna Catharina Wouters parentes octo denique liberis aucti, ex quibus consecratam amplexi sunt vitam quattuor consiliorum evangelicorum professione. Eorum hic septimus natali suo die baptismum excepit et Iosephi nomen. Infans deinceps ipse atque adulescens solidam christianam institutionem, adiuvante domo sua et matre in primis, adeptus est. Sese cum sibi persuaderet a Domino consecratam destinari ad vitam, Congregationem intravit Sacrorum Cordium Iesu et Mariae necnon Adorationis Perpetuae

Ss. Sacramenti Altaris anno millesimo octingentesimo undesexagesimo, quam ipsius iam ante inierat religiosam familiam frater Pamphilus, atque ineunti novitiatum nomen ei inditum Damianus est qui religiosa postero anno vota rite nuncupavit.

Cum adhuc operam sacrae theologiae anno millesimo octingentesimo sexagesimo tertio navaret, pro aegrotante suo fratre se ut in Insulas Havaianas proficisceretur obtulit, quod et impetravit. Creatus suo tempore presbyter Honoluli die vicesimo primo mensis Maii anno millesimo octingentesimo sexagesimo quarto, primum suum missus est ad apostolicum opus in missione sacra Punae intra principem Havaianam Insulam, ubi magnanimitatem suam demonstrare coepit caritatemque erga omnes. Octo post mensibus a socio religioso rogatus qui deteriore utebatur valetudine alio se contulit, ad missionem nempe Kohalae eadem in insula, ubi eximio apostolatus fervore suum explebat ministerium. Petente dein proprio episcopo Reverendissimo Domino Maigret, sua sese sponte anno millesimo octingentesimo septuagesimo tertio devovit apostolatui inter leprosos apud insulam Molokai. Paucis ideo post diebus, decimo scilicet Maii mensis, comitante appulit episcopo secum breviarium et crucifixum sola gestans impedimenta. Ibidem erat ille reliquum vitae transacturus, cum iis leprosis conversans eorumque omnibus viribus et opibus salutem corporis animaeque procurans, miserorum id est ac desertorum plane leprosorum, et hanc mirandam apostolicae caritatis rationem ad obitum usque propagans. Veluti vocem ac praeconem se omnium necessitatum praebuit carissimorum suorum leprosorum coram tum civilibus tum etiam ecclesiasticis auctoritatibus, cum omnibus simul consiliis mitigare niteretur levareque flebilem prorsus illorum vitae condicionem ac vitia ea miseriasque animi et corporis continere in quae facile procidebant oblivisci conantes suae aegritudinis effectuum. Immenso permotus erga omnes amore, cum et corporali operaretur ratione inter eos et spiritali singulisque opitularetur lenienda illorum vitae condicione, omnis sese artis et operis auctorem praestitit ac ministrum, simul valetudinarium medicumque agens, aedificatorem musicaeque modulatorem, conditorem consociationum de rebus corporis tum etiam animae, ut ipsi vicissim inter se auxiliari ducerentur tam in corporalibus negotiis quam in causis spiritalibus. Ita ergo adsidue suum moliens apostolatum effecit ut converteretur « vivens coemeterium » istud in locum quendam ubi placidi beatique vivebant suae plane aegrotationis conscii, verum animos in Deum proximumque amore repletos habentes et mentem spe de Dei misericordia imbutam qui domi suae,

uti leprosi dicebant, universos eos exspectabat et ubi vitae suae condicionem sciebant in statum transituram verae plenaeque felicitatis.

Germano humilitatis oboeditionisque adfectu munitus necnon pietate maxima in Eucharistiae sacramentum tum etiam religioso Matris Christi cultu complures quidem annos pertulit amaros casus, falsas suorum inceptorum interpretationes. Tandem ipsemet cum lepram sibi contraxisset anno millesimo octingentesimo octogesimo quinto, in eum oculos totus orbis coniecit magnopere illius admiratus caritatem nec quidquam cunctatus heroem ipsum christianae nuncupare caritatis, dum operantem eum contemplabantur homines proprio conflictatum morbo atque paulatim in calvariae suae cacumen sua cum cruce ascendentem. Die itaque decimo quinto mensis Aprilis anno millesimo octingentesimo undenonagesimo in loco Kalawao insulae Molokaiensis obiit claruitque protinus veluti leprosorum apostolus.

Confirmata per terras eius sanctimoniae fama, peracti sunt episcopali auctoritate Ordinarii Processus ab anno millesimo nongentesimo tricesimo octavo ad undequinquagesimum apud Curiam episcopalem Mechliniensem deindeque Rogatoriales Processus in Curiis Parisiensi Northantoniensi Sandwichensi et Hainanensi; quibus omnibus ad Congregationem Rituum delatis, Causa Servi Dei die duodecimo mensis Maii anno millesimo nongentesimo quinquagesimo quinto instituta est, et proximis duobus annis Processus Apostolici, adnuente Sede Apostolica, apud Curias Parisiensem Nannetensem Honoluluensem Versaliensem sunt procurati. Singulos demum Processus Congregationis Rituum sanxit decretum die altero mensis Maii prodiens anno millesimo nongentesimo undesexagesimo. Virtutes vero Patris Damiani heroum in modum exercitas decreto suo comprobavit Decessor Noster Paulus VI die septimo mensis Iulii anno millesimo nongentesimo septuagesimo septimo. Exinde anno millesimo nongentesimo nonagésimo primo prodiit sanatio quaedam prodigiosa, uti narrabant, Servi Dei deprecationi adsignata sex post ipsius mortem annis quae acciderat apud Sanctum Servanum in Gallia anno millesimo octingentesimo nonagésimo quinto. Feliciter hac re pervestigata Nos ipsi die decimo tertio mensis Iunii anno millesimo nongentesimo nonagésimo secundo dictam illam sanationem prorsus uti miraculi effectum definivimus.

Quapropter nihil iam impediebat quin ritum susciperemus Patris Damiani de Veuster concelebrandum sollemni modo. Voluimus autem ut Bruxellis in Belgis fortunatissima eadem res die quarto mensis Iunii conficeretur anno millesimo nongentesimo nonagésimo quinto, in Pentecostes Sol-

lemnitate, a Nobis nempe pastoralem eiusdem nationis peragentibus salutationem, atque inter publica sacra et ante ingentem christifidelium numerum formulam hanc prompti volentesque protulimus:

Ingaande op het verzoek van Bisschop Franciscus Xaverius Di Lorenzo, Bisschop van Honolulu, en van vele andere broeders in het bisschopsambt, alsook van vele gelovigen, en na de congregatie voor de heiligverklaringen geraadpleegd te hebben, verlenen wij op grond van ons apostolisch gezag de toelating om de eerbiedwaardige dienaar Gods, Damiaan De Veuster, voortaan als Zalige te vereren en jaarlijks op 10 mei zijn feest te vieren op de plaatsen en volgens de schikkingen die door het Recht zijn bepaald.

In de naam van de Vader, en de Zoon en de *tf** heilige Geest.

Quae vero hisce Nostris edicta sunt ac decreta litteris, tam in praesens ea singula valere suamque exserere vim volumus quam posterum in tempus et rata firmaque esse perpetuo, contrariis quibusvis causis rebusve neutiquam obsistentibus.

Datum Bruxellis sub anulo Piscatoris die iv mensis Iunii anno MCMXCV, Pontificatus Nostri decimo septimo.

£8 ANGELUS card. **SODANO**
Secretarius Status

Loco 83 Sigilli
In Secret. Status tab., n. 377.939

II

Venerabilibus Servis Dei Carolo Eraña Guruceta, Fideli Fuidio Rodríguez et Iesu Hita Miranda Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Et ipsi vicerunt illum propter sanguinem Agni et propter verbum testimonii sui; et non dilexerunt animam suam usque ad mortem» *(Ap* 12, 11).

Persecutio quae diversa vehementia diversis in regionibus inter annos MCMxxxiv-MCMXxxix exagitavit Ecclesiam quae est in Hispania, tres quoque infregit religiosos laicos e Societate Mariae, qui in odium fidei mensibus Septembri et Octobri anno MCMXXXVI prope Civitatem Regalem sunt interfecti.

Carolus Eraña Guruceta in pago vulgo Arechavaleta, intra fines dioecesis olim Victoriensis, natus est die n mensis Novembris anno MDCCCLXXXIV.

Inter sodales Societatis Mariae anmimeratus vota temporaria anno MCMIII et anno MCMVIII perpetua nuncupavit. Magna cum peritia et alacritate iuvenum institutionem curavit atque moderator optime egit institutorum urbium Civitatis Regalis, Tetuani in Mauritania et Matriti apud Ephebeum Dominae Nostrae a Columna dicatum. Suum dilexit Institutum, sodales suos et discipulos, qui quidem eius benignitatem, prudentiam et in rebus adversis fortitudinem valde mirabantur. Saeviente tunc temporis sacerdotum et religiosorum acri persecutione, die xxix mensis Iulii anno MCMXXXVI Dei Servus Civitatem Regalem petiit ut auxilium quaereret ab iis qui eiusdem Ephebei exstiterant discipuli.

Fidelis Fuidio Rodríguez ortus est in oppido vulgo Yécora, ad dioecesim Victoriensem pertinente, die xxrv mensis Aprilis anno MDCCCLXXX. Cooptatus inter sodales Societatis Mariae, anno MDCCCXCVII votis temporariis et septem post annos Deo perpetuis votis se consecravit. Per quinque et triginta annorum spatium pluribus in Hispaniae urbibus iuvenum institutioni se dedit, atque egregiam suam eruditionem praesertim de re historica et archaeologica cum discipulis communicavit. Laeta et clementi indole praeditus, benevolentiam fidentemque animum suum ubique effundebat. Anno MCMXXXIII Civitatem Regalem missus est ubi praeceptoris munus exercere perrexit.

Iesus Hita Miranda die xvn mensis Aprilis anno MCM Calagurri, in dioecesi Calaguritana et Calceatensi-Lucroniensi, ortum habuit. Biennio studiorum expleto in seminario dioecesano, duodeviginti annos natus apud sodales Societatis Mariae temporariam professionem et post decennium perpetuam emisit. Eximius praeceptor habitus est ob peritiam et alacritatem quas in scholasticis exhibuit sedibus. Anno MCMXXXVI, die vi mensis Iulii, Matrito urbe relicta, Civitatem Regalem petiit ut aestivas ageret scholas.

Hi tres sodales Marianistae, qui varios adierant recessus Civitatis Regalis, perspicue animadverterunt persecutionem in sacerdotes et religiosos magis magisque in dies saevire. Domino ipsi se commendarunt et Beatissimae Virgini Mariae, atque diuturnas per horas orationi et disciplinae instantes ad subeundum martyrium se compararunt. Mox apprehensi sunt et prope urbem crudeliter immolati: Carolus Eraña die xvin mensis Septembris, Iesus Hita die xxv eiusdem mensis et Fidelis Fuidio die xvn mensis Octobris. Quia eorum martyrii fama hic illic est vulgata, apud Curiam olim Cluniensem appellatam instituta est beatificationis et canonizationis Causa per Processus ordinarii informativi celebrationem annis MCMLXII-MCMLXVI. Peracta sunt quae iure statuuntur, atque die vi mensis Iulii anno MCMXCIII Nobis

coram decretum prodiit super eorum martyrio, nempe Caroli Eraña Guruceta, Fidelis Fuidio Rodríguez et Iesu Hita Miranda.

Quamobrem statuimus ut beatificationis ritus Romae die i mensis Octobris anno MCMXCV celebraretur.

Hodie igitur, in foro ad Vaticanam Basilicam Sancti Petri spectante, inter Missarum sollemnia hanc ediximus formulam: Nos, vota Fratrum Nostrorum Antonii Angeli Algora Hernando, Episcopi Terulensis et Albarracinensis, Francisci Alvarez Martínez, Archiepiscopi Toletani, Iacobi David, Episcopi Rupellensis, Raimundi Malla Call, Episcopi Ilerdensis, Camilli Cardinalis Ruini, Vicarii Nostri pro Romana dioecesi, Raphaelis Torija de la Fuente, Episcopi Civitatis Regalensis, Augustini García-Gaseo Vicente, Archiepiscopi Valentini, nec non plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Anselmus Polanco et Philippus Ripoll, Petrus Ruiz de los Paños y Angel et octo Socii, Ioannes Baptista Souzy et sexaginta tres Socii, Dionysius Pamplona et duodecim Socii, Petrus Casani, Carolus Eraña, Fidelis Fuidio et Iesus Hita, Angela a Sancto Ioseph Lloret Marti et sedecim Sociae et Vincentius Vilar David Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum:

Anselmi Polanco et Philippi Ripoll die septima Februarii;

Petri Ruiz de los Paños y Angel et octo Sociorum die vicesima tertia Iulii; Ioannis Baptistae Souzy et sexaginta trium Sociorum die decima octava Augusti; Dionysii Pamplona et duodecim Sociorum die vicesima secunda Septembris; Petri Casani die decima sexta Octobris; Caroli Eraña, Fidelis Fuidio et Iesu Hita die decima octava Septembris; Angelae a Sancto Ioseph Lloret Marti et sedecim Sociarum die vicesima Novembris; et Vincentii Vilar David die decima quarta Februarii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quae autem his Litteris decrevimus nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis rebus minime obstantibus.

Universi Dominici Gregis Pastor est Romanae Ecclesiae Episcopus, in qua Beatus Petrus Apostolus, divina disponente Providentia, Christo per martyrium extremum sanguinis testimonium reddidit. Plane igitur intellegitur legitimam apostolicam in hac Sede successionem, quacum «propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam»,[1] usque peculiari diligentia esse observatam.

Hanc propter causam Summi Pontifices, saeculorum decursu, suum ipsorum esse officium aeque ac praecipuum ius existima verunt opportunis normis Successoris electionem moderari. Sic, proximis superioribus temporibus, Decessores Nostri Sanc-

[1] S. IRENAEUS, *Adv. Haeres.* III, 3, 2: *SCh* 211, 33.

tus Pius X,[2] Pius XI,[3] Pius XII,[4] Ioannes XXIII[5] et novissime Paulus VI,[6] pro peculiaribus temporum necessitatibus, próvidas congruentesque curaverunt regulas de hac quaestione ferendas, ut convenienter procederent apta praeparatio atque accurata evolutio consessus electorum cui, vacante Apostolica Sede, grave omnino que difficile demandatur officium Romani Pontificis eligendi.

Si quidem nunc et Ipsi hoc aggredimur negotium, id certe facimus haud parvi aestimantes normas illas quas e contrario penitus colimus quasque magna ex parte confirmandas censemus, saltem quod ad praecipua elementa et principia primaria attinet quae eas informarunt. Ad hoc suscipiendum movemur propterea quod Nobis sumus conscii mutatas esse condiciones in quibus hodie Ecclesia versatur, atque proinde esse necesse ut canonica lex, funditus retractata, prae oculis habeatur, quae feliciter, cunctis prudentibus Episcopis, primum Codicis Iuris Canonici deinde Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium per editionem et promulgationem ad effectum est adducta. Huic retractationi, quam Concilium Vaticanum II suasit, Nobis deinceps fuit curae ut Romana Curia Constitutione Apostolica *Pastor bonus*[7] accommodantur. Ceterum id quod canon 335 Codicis Iuris Canonici statuit, quodque canon 47 Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium confirmat, officium innuit ferendi atque ad praesentia accommodandi peculiares leges quae canonicam Romanae Sedis provisionem, quavis ratione vacantis, moderentur.

In nova constituenda disciplina, quamquam nostrae aetatis postulata respeximus, ne in re a via declinaremus sapientis et venerandae traditionis usque adhuc servatae curavimus.

[2] Cfr Const. Ap. *Vacante Sede Apostolica* (25 Decembris 1904): *Pii X Pontificis Maximi Acta,* III (1908), 239-288.

[3] Cfr Motu proprio *Cum proxime* (1 Martii 1922): *AAS* 14 (1922), 145-146; Const. Ap. *Quae divinitus* (25 Martii 1935): *AAS* 27 (1935), 97-113.

[4] Cfr Const. Ap. *Vacantis Apostolicae Sedis* (8 Decembris 1945): *AAS* 38 (1946), 65-99.

[5] Cfr Motu proprio *Summi Pontificis electio* (5 Septembris 1962): *AAS* 54 (1962), 632-640.

[6] Cfr Const. Ap. *Regimini Ecclesiae universae* (15 Augusti 1967): *AAS* 59 (1967), 885-928; Motu proprio *Ingravescentem aetatem* (21 Novembris 1970): *AAS* 62 (1970), 810-813; Const. Ap. *Romano Pontifici eligendo* (1 Octobris 1975): *AAS* 67 (1975), 609-645.

[7] Cfr *AAS* 80 (1988), 841-912.

Sine controversia illud videtur principium cuius vi Romanorum Pontificum est proprium modum definiendi, congruentem cum temporum mutatione, secundum quem persona designanda est, quae in Romana Sede ad Petri successionem vocatur. Id ante omnia personarum coetum respicit, cui officium concreditur Romani Pontificis eligendi: secundum millenariam consuetudinem, quam definitae canonicae leges sanxerunt quae expressa vigentis Codicis Iuris Canonici norma quoque confirmantur (cfr can. 349 C.I.C.), ipse e Cardinalium Sanctae Romanae Ecclesiae Collegio constat. Si quidem doctrina est fidei Summi Pontificis potestatem ab ipso Christo oriri, cuius ipse in terris est Vicarius,[8] illud etiam pro certo est habendum talem supremam in Ecclesia potestatem eidem tribui legitima electione ab ipso acceptata una cum episcopali consecratione seu ordinatione.[9] Gravissimum ideo est officium coetus huic electioni deputati. Quapropter admodum certae perspicuaeque esse debent normae quae processum tempérant, ut electio ipsa quam dignissime explicetur et ea consentanea sit officio summae auctoritatis, quam electus per divinam immissionem suo assensu suscipere debet.

Confirmantes idcirco vigentem Codicis Iuris Canonici regulam (cfr can. 349 C.I.C.), in qua plane apparet millenarius Ecclesiae agendi mos, denuo iteramus electorum Summi Pontificis Collegium solummodo constitui ex Patribus S.R.E. Cardinalibus. In iis, quodam quasi mirabili compendio, duae rationes habentur quae figuram officiumque Romani Pontificis designant: scilicet *Romani,* **quia idem est ac Episcopus Ecclesiae quae est Romae, ideoque inter Ipsum et huius Urbis Clerum, cuius personam ferunt Cardinales titulorum presbyteralium et diaconalium Romae nec non Cardinales Episcopos Sedium suburbicariarum, arta intercedit necessitudo;** *Pontificis Ecclesiae*

[8] Cfr CONC. OECUM. VAT. I, Const. dogm. de Ecclesia Christi *Pastor aeternus,* III; CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 18.

[9] *Codex Iuris Canonici,* can. 332 § 1; cfr *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium,* can. 44 § 1

universalis, quoniam visibiliter ad sustinendas partes vocatur invisibilis Pastoris, qui ad vitae aeternae pascua ducit integrum gregem. Ecclesiae porro universalitas ipsa Patrum Cardinalium Collegii compositione demonstratur, quod singularum continentium Purpuratos amplectitur.

In hodiernis historicis adiunctis facies universalis Ecclesiae a Collegio centum et viginti Cardinalium electorum satis iam significari videtur, quod constat ex Purpuratis undique terrarum oriundis diversissimisque culturis. Hunc igitur absolutum Cardinalium electorum numerum confirmamus, dum interea plane dicimus minoris aestimationis argumentum illud videri non debere, servatum scilicet praescriptum a Decessore Nostro Paulo VI statutum, cuius vi electioni non intersunt ii qui ipso die inceptae vacationis Sedis Apostolicae octoginta vitae annos iam expleverunt.[10] Huius namque legis ratio in illa tantum voluntate exquirenda est ne venerandae aetatis ponderi aliud addatur onus, quod secum fert responsalitas eum eligendi qui Christi gregem convenienter secundum temporum necessitates regere debeat. Id tamen non obstat quin Patres Cardinales, qui octoginta annos excesserunt, congressionibus Conclave praeeuntibus intersint, prout infra disponitur. Ab iis proinde peculiariter requiritur ut, Sede vacante ac potissimum Summi Pontificis electione eveniente, quasi duces Dei Populi facti in Patriarchalibus Urbis Basilicis coadunati perinde ac aliis in dioecesium ecclesiis ubique terrarum dispersis, plurima prece et Divino Spiritui supplicationibus electorum opus iuvent, pro eis necessarium lumen deprecantes, ut suum eligendi officium obeant Deum tantum ob oculos habentes et solummodo spectantes ad « salutem animarum, quae in Ecclesia suprema semper lex esse debet ».[11]

Peculiari modo ad Conclavis antiquissimum institutum cogitationem Nostram intendimus: leges latas pariter ac de hac re usus sanxerunt et definierunt sollemnia complurium Decesso-

[10] Cfr Motu proprio *Ingravescentem aetatem* (21 Novembris 1970), II, 2: *AAS* 62 (1970), 811; Const. Ap. *Romano Pontifici eligendo* (1 Octobris 1975), 33: *AAS* 67 (1975), 622.

[11] *Codex Iuris Canonici,* can. 1752.

rum Nostrorum quoque praecepta. Diligens autem historica inquisitio non modo opportunitatem confirmat, quae hoc institutum respicit, propter adiuncta in quibus tempore progrediente ipsum ortum est atque lege definitum, verum etiam eius constantem utilitatem ad eandem electionem ordinate, sollicite et composite agendam, temporibus potissimum occurrentibus contentionis et perturbationis.

Hac prorsus de causa, quamvis conscii Nobis simus de theologorum et omnium aetatum canonistarum iudicio, qui communi sententia hoc institutum putant non necessarium suapte natura ad validam Romani Pontificis electionem, hac Constitutione iubemus eius essentialem structuram manere, quibusdam additis immutationibus, ut eius disciplina hodiernis postulatis accommodetur. Praecipue opportunum esse indicavimus ut, toto electionis tempore, Cardinalium electorum domicilia et illorum qui ad opera praestanda vocantur quibus electio ordinate evolvatur, in convenientibus locis Civitatis Vaticanae collocentur. Quamvis parva, Civitas Vaticana par est, aptis adhibitis quae infra significabuntur rationibus, ad segregationem illam et ideo meditationem intra ipsius moenia conciliandas, quas actus tanti ponderis cuncta pro Ecclesia ab electoribus postulat.

Spectata simul sacra actus indole ideoque etiam necessitate ut idem expleatur convenienti in sede, in qua hinc liturgicae actiones scite cum iuridicialibus formulis coniungantur, atque illinc ut electoribus facilius animos disponendi ad interiores Spiritus Sancti motus suscipiendos potestas detur, decernimus ut electio in Sacello Sixtino futurum in tempus etiam explicetur, ubi omnia Dei praesentiae conscientiam alere iuvant, in cuius conspectu quisque, ut iudicetur, comparere debebit.

Apostolica Nostra auctoritate confirmamus praeterea strictissimi officium secreti servandi de his omnibus quae recte obliquo ve ad electionis actus attinent: hac de re tamen simpliciores reddere normas volumus, praecipua tenentes, ut haesitationes dubitationesque atque conscientiae forte angustiae vitentur illorum qui electioni intersunt.

Formam tandem ipsam electionis censuimus renovandam, hodierna postulata ecclesialia ac sana recentioris hominum culturae proposita ob oculos etiam habentes. Sic visum est electionem per conclamationem factam *quasi ex inspiratione* **non relinqui, quia non idoneam iudicamus ad mentes significandas electi vi collegii iam sic numero amplificati et ortu distincti. Necessarium pariter putamus electionem** *per compromissum* **aboleri non modo quia difficile agitur, quemadmodum normarum cumulus inextricabilis demonstrat quae praeteritis temporibus hac de re latae sunt, sed etiam quia talis est natura, ut quandam electorum officii conscientiam imminutam secum ferat, quippe qui, hoc si ita evenit, ad sua suffragia ferenda non ipsi vocentur.**

Re igitur mature perpensa, decrevimus unam esse formam, per scrutinium scilicet secretum, in qua electores sua suffragia significare possunt ad Summum Pontificem eligendum, quod secundum normas infra descriptas explicatur. Modus namque hic quam optimas praebet perspicuitatem, rectitudinem, simplicitatem, perspicientiam atque praesertim certam et constructivam omnium singulorumque Patrum Cardinalium participationem, qui ad conventum electivum Petri Successoris vocantur.

His quidem permoti animi sensibus, hanc Constitutionem Apostolicam promulgamus, in qua normae continentur quibus, Sede Romana quavis ratione causave vacante, stricte est parendum a Cardinalibus qui ius tenent officiumque Petri Successoris eligendi, qui est universae Ecclesiae visibile Caput atque Servus servorum Dei.

PARS PRIMA
DE SEDE APOSTOLICA VACANTE

CAPUT I
DE POTESTATE CARDINALIUM COLLEGII SEDE APOSTOLICA VACANTE

1. Sede Apostolica vacante, Cardinalium Collegium nullam potestatem aut iurisdictionem habet in ea quae pertinebant ad

Summum Pontificem dum vivebat vel muneribus officii sui fungebatur; ea omnia exclusive uni Pontifici futuro debent reservari. Quapropter invalidum et irritum esse decernimus quidquid potestatis aut iurisdictionis — ad Romanum Pontificem dum vivit pertinentis, vel ad perfunctionem officii ipsius — coetus ipse Cardinalium duxerit exercendum nisi quatenus in hac Nostra Constitutione expresse permittatur.

2. Apostolica Sedes dum vacat, regimen Ecclesiae concreditur Cardinalium Collegio dumtaxat circa negotia ordinaria et ea quae differri nequeunt (cfr n. 6), et circa praeparationem earum omnium rerum quae ad novi Pontificis electionem necessariae sunt, servatis modis et limitibus huius Constitutionis. Omnino excludantur ideo negotia quae — sive lege sive consuetudine — tantum ad Romani Pontificis potestatem pertinent vel normas respiciunt de novo Pontifice eligendo secundum huius Constitutionis praescriptiones.

3. Praeterea statuimus, ne Cardinalium Collegium de iuribus Sedis Apostolicae Romanaeque Ecclesiae ullo modo disponere valeat, nedum de iis sive directe sive indirecte quidquam detrahat, quamvis agatur de componendis discidiis aut de persequendis factis adversus eadem iura perpetratis, post Pontificis obitum vel validam renuntiationem.[12] Curae autem sit omnibus Cardinalibus haec iura tueri.

4. Sede Apostolica vacante, leges a Romanis Pontificibus latas non licet ullo modo corrigi vel immutari, neque quidquam detrahi iis sive addi vel dispensari circa partes earum, maxime eas, quae ad ordinandum negotium electionis Summi Pontificis pertinent. Si quid contra hoc praescriptum fieri vel attentari contigerit, id suprema Nostra auctoritate nullum et irritum declaramus.

5. Si quae autem dubia exoriantur de sensu praescriptionum, quae hac Nostra Constitutione continentur, aut circa ra-

[12] Cfr *Codex Iuris Canonici,* can. 332 § 2; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium,* can. 44 §2.

tionem qua ad usum deduci eae debeant, edicimus ac decernimus penes Cardinalium Collegium esse potestatem de his ferendi sententiam; propterea, eidem Cardinalium Collegio facultatem tribuimus interpretandi locos dubios vel in controversiam vocatos, statuentes, ut, si de eiusmodi vel similibus quaestionibus deliberari oporteat, excepto ipso electionis actu, satis sit maiorem congregatorum Cardinalium- partem in eandem sententiam convenire.

6. Pariter, cum negotium est expediendum quod ex voto maioris congregatorum Cardinalium partis in aliud tempus nequeat differri, Cardinalium Collegium secundum maioris partis sententiam agat.

CAPUT II
DE CARDINALIUM CONGREGATIONIBUS AD SUMMI PONTIFICIS APPARANDAM ELECTIONEM

7. Tempore Sedis vacantis agentur Cardinalium Congregationes duplicis generis: altera *generalis,* **seu totius Collegii usque ad ineundam electionem, altera** *particularis.* **Congregationibus generalibus omnes Cardinales legitime non impediti interesse debent, simul atque de vacatione Apostolicae Sedis certiores facti sunt. Cardinalibus qui secundum n. 33 huius Constitutionis eligendi Pontificem munere non fruuntur, facultas datur non participandi Congregationes generales.**

Congregatio particularis constat Cardinale Sanctae Romanae Ecclesiae Camerario et tribus Cardinalibus, uno ex quoque ordine, sorte ductis inter Cardinales electores qui Romae tunc adsunt. Horum trium Cardinalium, qui Assistentes appellantur, officium tertio iam die transacto omnino cessat, in eorumque locum, etiam sortitione, alii succedunt post initam quoque electionem, eodem temporis praestituto fine.

Tempore electionis res gravioris momenti, si casus fert, a conventu Cardinalium electorum decernuntur, negotia vero ordinaria a Congregatione particulari Cardinalium pergunt expe-

diri. Cardinales in Congregationibus generalibus et particularibus, Sede vacante, suetam vestem talarem nigram cum torulo et zona rubri coloris deferant, addito galericulo, cruce pectorali atque anulo.

8. In Congregationibus particularibus levioris tantum momenti negotia, in dies seu passim occurrentia, tractentur. Si quid vero gravioris ponderis et altioris indaginis fuerit, id ad Congregationem generalem deferri debet. Praeterea, quae in una Congregatione particulari decreta, persoluta aut denegata fuerint, nequeunt in alia abrogari, mutari aut concedi; id faciendi ius est tantum penes Congregationem generalem, ac quidem per maiorem partem suffragiorum.

9. Cardinalium Congregationes generales in Aedibus Apostolicis Vaticanis habeantur aut, si rerum adiuncta id postulent, in alio opportuniore loco, iudicio ipsorum Cardinalium. His praeest Decanus Sacri Collegii aut, eo absente vel legitime impedito, Subdecanus. Quodsi alteruter vel uterque amplius non fruatur ad normam n. 33 huius Constitutionis iure eligendi Pontificem, Congregationibus Cardinalium electorum in Conclavi habendis praesidebit Cardinalis elector maximus natu secundum generalem ordinem praecedendi.

10. Suffragia in Cardinalium Congregationibus, cum de rebus maioris momenti agitur, non ore sed secreto ferantur.

11. Congregationes generales quae electionis initium praecedunt, ideoque « praeparatoriae » appellantur, cotidie celebrari debent, ac quidem a die quem Sanctae Romanae Ecclesiae Camerarius atque primus Cardinalis elector cuiusque ordinis statuerint, etiam diebus, quibus exsequiae Pontificis defuncti celebrantur. Quod eo consilio fit, ut Cardinalis Camerarius sententiam Sacri Collegii possit exquirere atque cum eo communicare illa quae necessaria vel opportuna iudicaverit, utque singulis Cardinalibus facultas praebeatur mentem suam circa negotia occurrentia aperiendi, de rebus dubiis explicationes petendi, resque proponendi.

12. Caveatur ut in primis Congregationibus generalibus huius Constitutionis exemplar quisque Cardinalis teneat, cuique pariter facultas praebeatur proponendi, si casus venerit, quaestiones de significatione deque exsecutione normarum, quae in ipsa continentur. Praeterea decet huius Constitutionis legatur pars quae ad Sedis Apostolicae vacationem pertinet. Interea omnes Cardinales, qui adsunt, ius iurandum dare debent de observandis praescriptionibus quae in illa continentur et de secreto servando. Hoc ius iurandum, quod praestandum est etiam a Cardinalibus qui, serius advenientes, eiusmodi Congregationibus postmodum intersunt, legatur ad hanc formulam a Cardinale Decano vel ab alio Collegii praeside, secundum normam statutam ad n. 9 huius Constitutionis, ceteris Cardinalibus astantibus:

Nos Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales ordinis Episcoporum, Presbyterorum et Diaconorum, promittimus, vovemus et iuramus nos universos et singulos ad amussim fideliterque observaturos esse cuncta, quae in Constitutione Apostolica **Universi Dominici Gregis** *Summi Pontificis Ioannis Pauli II continentur atque secreto contecturos esse religiose omnia quae ad electionem Romani Pontificis quomodolibet pertinent, vel ex eorum natura, Sede Apostolica vacante, idem secretum postulent.*

Deinde singuli Cardinales dicent: *Et ego N. Cardinalis N. spondeo, voveo ac iuro.* **Et imponentes manum super Evangelium adiungent:** *Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia, quae manu mea tango.*

13. In una e proxime subsequentibus Congregationibus Cardinales, secundum ordinem rerum agendarum praestitutum, de iis decernere debent, quae ad Conclave inchoandum urgentiora sunt, id est:

a) **constituant diem, horam et modum, quo corpus defuncti Pontificis in Basilicam Vaticanam feratur, ibi obsequio fidelium exponendum;**

b) **omnia paranda curent, quae necessaria sunt ad exsequias Pontificis defuncti, quae per novem dies continuos celebrentur;**

earumque initium praefiniant ita ut sepultura fiat, nisi ex peculiaribus rerum adiunctis aliter visum fuerit, inter quartum sextumque post mortem diem;

c) admoneant Commissionem quae constat ex Cardinale Camerario necnon iis Cardinalibus qui Officium Secretarii Status atque Praesidis Pontificiae Commissionis pro Statu Urbis Vaticanae explebant, ut tempestive tum loca disponant in aedibus *Domus Sanctae Marthae* quo convenienter Cardinales electores recipiantur tum etiam cubilia iis omnibus idonea qui huius Constitutionis n. 46 commemorantur, utque ea omnia simul parentur necessaria in Sacello Sixtino, unde singulae partes electionem attingentes expleri possint modo quidem facili, composito et maxima cum secreti custodia prout haec ipsa Constitutio decernit et edicit;

d) duobus solidae doctrinae, eximiae prudentiae moralisque auctoritatis ecclesiasticis viris munus concredant proferendi ante Cardinales ipsos perpensas meditationes duas de Ecclesiae ea ipsa aetate condicionibus deque novi Pontificis colluminata electione; caveant pariter — ratione habita de iis quae n. 52 huius Constitutionis disponuntur — ut dies et hora significentur qua prior meditatio tradatur;

e) comprobent — Sedis Apostolicae Administratione proponente vel, pro sua quidem dicione, Civitatis Vaticanae Praefectura — expensas incurrentes inde a Pontificis obitu ad successoris electionem;

f) perlegant, si quae sint, documenta a defuncto Pontifice Cardinalium Collegio relicta;

g) Anulum Piscatoris et Sigillum plumbeum, sub quibus Litterae Apostolicae expediuntur, curent delenda;

h) constituant ut datis sortibus cubicula electoribus Cardinalibus adsignentur;

i) constituant diem et horam cum incipient suffragii actus.

CAPUT III

DE NONNULLIS OFFICIIS, SEDE APOSTOLICA VACANTE

14. Ad mentem n. 6 Constitutionis Apostolicae cuius initium est *Pastor bonus,*[13] omnes Dicasteriis Romanae Curiae Praepositi, sive Cardinalis Secretarius Status sive Cardinales Praefecti sive Archiepiscopi Praesides sicut etiam eorundem Dicasteriorum Membra occurrente morte Pontificis, a munere suo cessant, exceptis Sanctae Romanae Ecclesiae Camerario et Paenitentiario Maiore, qui ordinaria negotia pergunt expedire, ea Cardinalium Collegio proponentes quae ad Summum Pontificem essent referenda.

Eodem modo, convenienter cum Constitutione Apostolica *Vicariae potestatis* (n. 2 § 1),[14] Cardinalis Vicarius Generalis dioecesis Romanae a munere suo non cessat Sede Apostolica vacante pariterque pro sua quidem dicione non cessat Basilicae Vaticanae Cardinalis Archipresbyter atque Generalis Vicarius pro Civitate Vaticana.

15. Quodsi munus Sanctae Romanae Ecclesiae Camerarii vel Paenitentiarii Maioris, quo tempore Pontifex diem obiit supremum vel ante Successoris electionem, vacare contingat, Cardinalium Collegium quam primum eligere debet Cardinalem vel, si casus ferat, Cardinales, qui usque ad electionem novi Pontificis eiusmodi officia gerant. In singulis casibus memoratis, electio fit per secreta suffragia omnium Cardinalium electorum qui praesentes adsunt; suffragia feruntur ope schedularum, quas viri ecclesiastici a caeremoniis distribuant et colligant, nec non aperiant coram Sanctae Romanae Ecclesiae Camerario ac tribus Cardinalibus Assistentibus, si eligendus est Paenitentiarius Maior; vel coram praedictis tribus Cardinalibus ac Collegii Cardinalium Secretario, si eligendus est Camerarius. Is autem electus habendus est, et *ipso facto* omnibus facultatibus ad munus

[13] Cfr *AAS* 80 (1988), 860.

[14] Cfr *AAS* 69 (1977), 9-10.

pertinentibus praeditus, in quem maior pars votorum seu suffragiorum convenerit. Quodsi forsitan suffragia paria fuerint, ille deputatus habeatur qui fuerit ordine prior, aut, si eiusdem ordinis, qui prius in Sacrum Collegium adlectus. Donec Camerarius eligatur, eius partes gerit Collegii Decanus vel, eo absente aut legitime impedito, Subdecanus vel Cardinalis senior secundum priorum partium usitatum ordinem congruenter cum n. 9 huius Constitutionis, qui sine mora decernere potest prout rerum adiuncta suadeant.

16. Quodsi Vicarium Generalem dioecesis Romanae, Sede vacante, e vivis decedere contigerit, Vices Gerens tunc hoc in officio constitutus, etiam munus Vicarii Generalis exercebit praeter ordinariam iurisdictionem vicariam quae ad eum pertinet.[15] Si vero etiam Vices Gerens deest, Episcopus Auxiliaris electione primus eiusmodi officia exsequetur.

17. Ad Sanctae Romanae Ecclesiae Camerarium spectat, statim ac nuntium obitus Summi Pontificis acceperit, iure recognoscere Pontificis mortem, astantibus Magistro Pontificiarum Celebrationum Liturgicarum, Praelatis Clericis, Secretario et Cancellario Camerae Apostolicae, qui authenticum mortis actum conficiat. Cardinalis Camerarii pariter erit privatis eiusdem Pontificis aedibus sigilla apponere atque statuere ut ministrantibus ex more commorantibusque in privata habitatione liceat permanere usque ad peractam Papae sepulturam, cum scilicet integrae pontificiae habitationi sigilla imponentur; ipsius obitum Cardinali in Urbe Vicario nuntiare, qui de re populum Romanum singulari edicto edocebit; pariter de eadem certiorem facere Cardinalem Basilicae Vaticanae Archipresbyterum; ad Apostolicum Palatium Vaticanum accedere ut huius possessionem capiat, nec non possessionem, sive per se sive per delegatum, utriusque Palatii ad Lateranum et ad Arcem Gandulfi, eorumque custodiam et regimen exercere; statuere, auditis Cardinalibus qui tribus ordinibus praesunt, ea omnia quae perti-

[15] Cfr Const. Ap. *Vicariae potestatis* (6 Ianuarii 1977), 2 § 4: *AAS* 69 (1977), 10.

nent ad sepulturam Pontificis, nisi forte is, dum vivebat, suam hac de re voluntatem manifestavit; ea omnia, nomine et consensu Collegii, curare quae ad iura Apostolicae Sedis tuenda et ad huius administrationem recte gerendam rerum temporumque adiuncta suadebunt. Etenim Cardinali Sanctae Romanae Ecclesiae Camerario, Sede Apostolica vacante, contingit cura et administratio bonorum et iurium temporalium ipsius Sanctae Sedis, auxiliantibus tribus Cardinalibus qui Assistentes appellantur, praehabita, semel circa leviora ac singulis in casibus circa graviora negotia suffragatione Cardinalium Collegii.

18. Cardinalis Paenitentiarius Maior, eiusque officiales, Sede vacante, ea agere et expedire valent, quae a Pio XI Decessore Nostro definita sunt per Constitutionem Apostolicam *Quae divinitus* **die 25 mensis Martii anno 1935 editam,[16] atque a Nobismet Ipsis per Constitutionem Apostolicam** *Pastor bonus.*[17]

19. Decani autem Cardinalium Collegii erit, ubi primum a Cardinale Camerario vel a Praefecto Domus Pontificiae de Pontificis morte fuerit edoctus, omnibus Cardinalibus hanc nuntiare, eosque convocare ad Congregationes Collegii agendas. Item Pontificis mortem is significabit Nationum Legatis seu Oratoribus ad Apostolicam Sedem publice missis, et iis qui in iisdem Nationibus supremam obtinent auctoritatem.

20. Sede Apostolica vacante Substitutus Secretariae Status sicut et Secretarius de rationibus cum Civitatibus et Secretarii Dicasteriorum Romanae Curiae pergunt in moderando proprio cuiusque Officio, de quo Cardinalium Collegio respondent.

21. Item non cessant Pontificiorum Legatorum munus et potestas.

22. Eleemosynarius quoque Sanctitatis Suae opera caritatis exercere pergit, et quidem eadem ratione qua, vivente Pontifi-

[16] **Cfr n. 12:** ***AAS*** **27 (1935), 112-113.**
[17] **Cfr art. 117:** ***AAS*** **80 (1988), 905.**

ce, solebat; est autem Cardinalium Collegio subiectus usque ad novi Pontificis electionem.

23. Sede Apostolica vacante, universa civilis potestas Summi Pontificis circa regimen Civitatis Vaticanae ad Cardinalium Collegium spectat; quod tamen decreta ferre non poterit, nisi urgente necessitate et pro tempore tantum vacationis Sanctae Sedis, in posterum autem valitura solummodo, si a novo Pontifice erunt confirmata.

CAPUT IV
DE DICASTERIORUM CURIAE ROMANAE FACULTATIBUS SEDE APOSTOLICA VACANTE

24. Curiae Romanae Dicasteria, praeter illa de quibus dicitur n. 26 huius Constitutionis, Sede Apostolica vacante nullam potestatem habent in iis, quae *Sede plena* **facere et expedire non possunt, nisi** *facto verbo cum SS.mo* **vel** *ex Audientia SS.mi,* **vel** *vigore specialium et extraordinariarum facultatum,* **quae a Romano Pontifice eorundem Dicasteriorum Praefectis, Praesidibus vel Secretariis solent concedi.**

25. Facultates vero propriae cuiusque Dicasterii, occurrente morte Pontificis, non cessant; verumtamen statuimus, ut Dicasteria iis facultatibus solum ad gratias concedendas, quae minoris momenti sunt, utantur, negotia vero graviora vel in controversiam vocata, quae in aliud tempus possint differri, futuro Pontifici omnino reserventur; quae si nullam moram admittant (sicut ceterum, cum agitur de dispensationibus *in articulo mortis,* **quas Summus Pontifex concedere solet), a Cardinalium Collegio committi poterunt Cardinali qui usque ad obitum Pontificis fuit Praefectus, vel Archiepiscopo ad id temporis Praesidi ceterisque Cardinalibus eiusdem Dicasterii, cui ea Summus Pontifex defunctus probabiliter examinanda mandavisset. Poterunt illi** *per modum provisionis,* **in eiusmodi rerum adiunctis, donec Pontifex eligatur, decernere ea, quae iuribus et traditio-**

nibus ecclesiasticis custodiendis ac tuendis aptiora magisque consentanea censuerint.

26. Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae et Tribunal Rotae Romanae, Sancta Sede vacante, negotia sua exsequi pergunt secundum leges sibi proprias, servatis tamen iis, quae art. 18, comm. 1 et 3 Constitutionis Apostolicae *Pastor bonus* **praescribuntur.**[18]

CAPUT V

DE EXSEQUIIS ROMANI PONTIFICIS

27. Romano Pontifice demortuo, Cardinales exsequias pro eius anima per novem dies continuos celebrabunt, secundum *Ordinem exsequiarum Romani Pontificis,* **cuius regulis prout etiam normis** *Ordinis rituum Conclavis,* **fideliter obsequentur.**

28. Si tumulationem in Basilica Vaticana fieri contingit, authenticum eius instrumentum a Notario Capituli eiusdem Basilicae vel a Canonico tabularii praefecto conficitur. Postea vero delegatus a Cardinale Camerario atque delegatus a Praefecto Domus Pontificiae separatim documenta perscribant, quae peractae tumulationis fidem faciant; prior coram Camerae Apostolicae membris, alter coram Domus Pontificiae Praefecto.

29. Si Romanus Pontifex extra Urbem supremum obiit diem, Cardinalium Collegii est omnia disponere, quae necessaria sunt ad dignam ac decoram translationem exanimi corporis ad Vaticanam Basilicam Sancti Petri.

30. Non cuiquam capere ullo instrumento licet Summi Pontificis imaginem sive lecto decumbentis sive iam mortui, neque eius voces quovis apparatu percipere unde postea repetantur. Si quis, Pontifice defuncto, eiusmodi imagines probationis vel testimonii causa, photographice efficere cupit, id a Cardinale Sanctae Romanae Ecclesiae Camerario petere debet, qui tamen

[18] Cfr *AAS* 80 (1988), 864.

Summi Pontificis imaginem luce exprimi non sinet, nisi pontificiis vestibus induti.

31. Post Summi Pontificis sepulturam atque dum novi Pontificis electio habeatur, diaetae privatae Summi Pontificis nulla pars habitetur.

32. Si defunctus Summus Pontifex de rebus suis testamentum fecit litterasque ac tabulas privatas reliquit, atque sui testamenti curatorem designavit, huius est, pro potestate sibi a testatore facta, ea statuere et exsequi quae ad privata defuncti Pontificis bona et scripta pertinent. Qui curator de munere a se gesto uni novo Summo Pontifici rationem reddet.

PARS ALTERA

DE ELECTIONE ROMANI PONTIFICIS

CAPUT I

DE ELECTORIBUS ROMANI PONTIFICIS

33. Ius eligendi Romanum Pontificem ad Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales exclusive pertinet, iis exceptis qui ante diem mortis Summi Pontificis vel ante diem quo Sedes Apostolica vaca vit octogesimum aetatis annum iam confecerunt. Maximus autem Cardinalium electorum numerus centum viginti ne excedat. Prorsus ergo excluditur quodlibet electionis activae ius cuiuspiam alterius ecclesiasticae dignitatis aut laicae potestatis cuiusvis gradus et ordinis interventus.

34. Si quando contingit ut Sedes Apostolica vacet dum aliquod Concilium Oecumenicum aut Episcoporum Synodus sive Romae sive in alio quovis orbis terrarum loco celebrantur, electio novi Pontificis a Cardinalibus electoribus, qui supra sunt dicti, solum et exclusive fieri debet, minime vero ab ipsis Concilio aut Synodo Episcoporum. Quapropter acta, quae quomodocumque rationem electionis faciendae vel collegium electorum

temerario consilio immutare audeant, invalida et irrita declaramus. Quin immo perstantibus confirmatis hac in re cann. 340 et 347 § 2 C.I.C. atque can. 53 C.C.E.O, ipsum Concilium aut Synodus Episcoporum, in quovis statu exsistunt, statim *ipso iure* **suspensa ab accepto certo nuntio Sanctae Sedis vacantis intellegi debent. Itaque, nulla prorsus interiecta mora, cessare statim debent a quibuslibet conventibus, congregationibus, sessionibus et a quibusvis decretis seu canonibus vel conficiendis vel apparandis vel etiam promulgandis etsi confirmatis, sub poena nullitatis eorum; neque ulterius Concilio vel Synodo progredi licet quamlibet ob causam, etsi gravissimam et speciali mentione dignam, donec novus Pontifex canonice electus illa iterum assumi et continuari iusserit.**

35. Cardinalis elector nulla ratione vel causa a Summi Pontificis electione activa et passiva excludi potest, vigentibus tamen iis omnibus quae sub n. 40 huius Constitutionis statuuntur.

36. Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis, dummodo creatus renuntiatusque in Consistorio sit, hac ipsa de causa ius eligendi Pontificis possidet secundum huius Constitutionis praescriptum in n. 33, etiamsi nondum ipsi pileus est impositus neque anulus creditus neque ius iurandum is pronuntiavit. Non tamen hoc iure fruuntur Cardinales canonice depositi aut qui, consentiente Romano Pontifice, dignitati cardinalitiae renuntiaverunt. Praeterea non licet Cardinalium Collegio, Sede vacante, eos restituere.

37. Praecipimus praeterea ut, ex quo Apostolica Sedes legitime vacat, Cardinales electores praesentes exspectent absentes quindecim solidos dies, facta tamen Cardinalium Collegio potestate electionis initium adhuc proferendi per aliquot dies, si graves obstant causae; tamen viginti diebus ad summum elapsis ab initio Sedis vacantis, cuncti Cardinales electores praesentes ad electionis negotium procedant.

38. Omnes Cardinales electores, a Decano aut ab alio Cardinale illius nomine agente, ad novi Pontificis electionem advoca-

ti, obligatione tenentur, ex virtute sanctae oboedientiae, convocationis nuntio obtemperandi et ad locum sibi designatum pro electione se conferendi, nisi infirmitate vel alio gravi impedimento, a Cardinalium Collegio agnoscendo, detinentur.

39. Attamen Cardinales electores, si *re integra* **supervenerint, id est antequam de Ecclesiae Pastore eligendo sit provisum, in electionis negotium eodem statu, quo ipsum invenerint, admittantur.**

40. Si quis vero Cardinalis, ius suffragii habens, in Civitatem Vaticanam ingredi noluerit ut electionis negotia participet aut deinde postquam ea initium habuerunt, recusaverit permanere ut munere suo fungatur sine manifesta infirmitatis causa, iure iurando medicorum necnon a maiore parte electorum approbata, ipso minime exspectato neque in eiusdem electionis negotium iterum admisso, per ceteros ad eligendum Summum Pontificem libere procedatur. Quodsi, infirmitate superveniente, aliquis Cardinalis elector e Conclavi exire cogetur, poterit, eius suffragio non requisito, ad electionem procedi; sed si is ad Conclave, post sanitatem sibi restitutam aut etiam ante, redire voluerit, rursus admittatur.

Praeterea si quis Cardinalis quamlibet aliam ob gravem causam, a maiore parte electorum comprobatam, e Civitate Vaticana egressus fuerit, poterit reverti, ut electionem participet.

CAPUT II

DE ELECTIONIS SEDE, OFFICIALIBUS ATQUE MINISTRIS ADMISSIS RATIONE HABITA EORUM MUNERIS

41. Conclave ad Summum Pontificem eligendum fiet in Civitate Vaticana, in partibus et aedibus descriptis, extraneis interdictis, ita ut accommodata collocatio atque permansio praebeantur Cardinalibus electoribus iisque quotquot legitimo iure advocantur ut operam dent ipsi electioni recte atque ordine explicandae.

42. Tempore ineundis negotiis electionis Summi Pontificis statuto oportet acceperint et adiverint omnes Cardinales electores opportunam collocationem in vulgo dictis aedibus *Domus Sanctae Marthae* **recens exstructis in Civitate Vaticana.**

Si infirmae valetudinis rationes, ante a statuta Cardinalium Congregatione comprobatae, suadeant ut aliquis Cardinalis elector adducat etiam electionis tempore aegrorum ministrum, caveatur ut ipsi quoque apta detur habitatio.

43. Ex quo initium negotiorum electionis statutum est ad peractae usque Summi Pontificis electionis publicum nuntium vel, utcumque, hoc iusserit novus Pontifex, aedes *Domus Sanctae Marthae,* **pariterque Sacellum Sixtinum atque loci designati liturgicis celebrationibus obserari debebunt, sub auctoritate Cardinalis Camerarii externaque cooperatione Substituti Secretariae Status, omnibus licentia carentibus, prout statuitur in sequentibus numeris.**

Integra regio Civitatis Vaticanae, atque etiam ordinaria industria Ministeriorum quorum sedes stat intra eius fines, ita moderandae erunt, hoc tempore, ut circumspectio in tuto collocetur nec non expedita explicatio actionum ad Summi Pontificis electionem pertinentium. Provideatur peculiariter ut Cardinales electores a nullo conveniantur, dum ab aedibus *Domus Sanctae Marthae* **ad Palatium Apostolicum Vaticanum transvehuntur.**

44. Cardinales electores, ab initis electionis negotiis ad peractam publiceque nuntiatam electionem, se abstineant ab epistularum commercio, telephonii usu vel ab aliis instrumentis communicationis, cum iis qui extranei sunt explicationi eiusdem electionis, nisi hoc requirit confirmata atque urgens necessitas quam Coetus particularis, de quo diximus n. 7, rite agnoverit. Eidem Coetui tribuitur potestas probandi necessitatem et properantiam quas habent communicandi cum suo officio Cardinalis Paenitentiarius Maior, Cardinalis Vicarius pro dioecesi Romana, vel Cardinalis Archipresbyter Basilicae Vaticanae.

45. Ii omnes, qui subsequenti numero indicantur quique, quamvis in Civitate Vaticana iure sint, quemadmodum huius Constitutionis n. 43 sancit, forte electorem quempiam Cardinalem electionis tempore offenderint, qualibet forma, quovis instrumento atque quavis ratione, cum iisdem Cardinalibus sermocinari vetantur.

46. Ut personarum necessitatibus et officii, quae cum electionis cursu nectuntur, occurratur, praesto esse debent ideoque convenientibus locis recepti intra fines quorum in huius Constitutionis n. 43 fit mentio, Secretarius Cardinalium Collegii, qui conventus electi vi Secretarii fungitur munere, Magister Celebrationum Liturgicarum Pontificiarum cum duobus Caeremoniarii» et duobus Religiosis qui Sacrarium Pontificium curant, atque ecclesiasticus vir a Cardinale Decano electus vel a Cardinale vicem gerente, ut in munere explendo eum iuvet.

Nonnulli deinceps Religiosi in promptu sint variarum linguarum ad confessiones excipiendas necnon duo medici ad res inopinatas expediendas.

Tempestive caveatur ut personarum paratarum congruus numerus adsit ad mensas instruendas et munditias faciendas.

Omnes personae, quae hic recensentur, a Cardinale Camerario tribusque Assistentibus in antecessu comprobentur oportet.

47. Omnes personae quae n. 46 significantur huius Constitutionis, quae quavis ratione ac quovis tempore a quocumque resciscunt ea quae ad recte obliquove proprios electionis actus attinent, potissimum quae peracta ipsius electionis scrutinia contingunt, arto secreto tenentur cum qualibet persona ad Collegium Cardinalium electorum non pertinente; hac de causa, antequam incipiat electio, ius iurandum nuncupare debent, secundum modum et formulam, ut subsequens numerus indicabit.

48. Illi omnes, de quibus dicitur n. 46 huius Constitutionis, rite certiores facti circa significationem amplitudinemque iuris iurandi faciendi ante negotiorum electionis initium coram Cardinale Camerario vel alio Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinale

ab eo delegato et coram duobus Caeremoniariis, tempore opportuno pronuntiabunt et subscribent ius iurandum secundum hanc formulam:

Ego N.N. promitto et iuro me inviolate servaturum esse secretum absolutum cum omnibus quotquot participes non sunt Collegii Cardinalium electorum, hoc quidem in perpetuum, nisi mihi datur expresse peculiaris facultas a novo Pontifice electo eiusve Successoribus, in omnibus quae directe vel indirecte respiciunt suffragia et scrutinia ad novum Pontificem eligendum.

Itemque promitto et iuro me nullo modo in Conclavi usurum esse instrumentis quibuslibet ad vocem transmittendam vel recipiendam aut ad imagines exprimendas quovis modo aptis de iis quae tempore electionis fiunt intra fines Civitatis Vaticanae, atque praecipue de iis quae quolibet modo directe vel indirecte attinent ad negotia coniuncta cum ipsa electione. Declaro me editurum esse ius iurandum utpote qui plane noverim quamlibet eius violationem adducturam esse me in spiritales illas canonicasque sanctiones quas futurus Summus Pontifex (cfr can. 1399 C.I.C.) opportunum duxerit ferre.

Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia, quae manu mea tango.

CAPUT III

DE ELECTIONIS INAUGURANDAE ACTIBUS

49. Exsequiis defuncti Pontificis rite persolutis et apparatis iis quae requiruntur ad legitimam electionem exsequendam, die constituto — decimo quinto id est a Pontificis morte aut non ultra vicesimum diem, prout n. 37 huius Constitutionis decernitur — Cardinales electores convenient in Basilicam Vaticanam Sancti Petri, vel alium in locum pro temporis et loci opportunitate, ad participandam sollemnem Eucharisticam celebrationem cum Missa votiva pro *eligendo Papa.*[19] **Hoc congruenti tempore**

[19] *Missale Romanum,* n. 4, p. 795.

matutino persolvendum est, ita ut horis postmeridianis impleri possit quod praescribitur sequentibus numeris huius Constitutionis.

50. A Sacello Paulino Palatii Apostolici, ubi congruo pomeridiano tempore Cardinales electores adstiterint, chorali vestimento induti sollemni processione, cantu invocantes *Veni, creator* **Spiritus Sancti assistentiam, se conferent in Cappellani Sixtinam Palatii Apostolici, locum et sedem electionis peragendae.**

51. Elementa essentialia Conclavis servantes, mutantes tamen quasdam minoris momenti rationes, quae rerum mutatione nullius ponderis sunt ad illam rem cui antea proderant, per hanc Constitutionem statuimus et iubemus ut omnes electionis Summi Pontificis actus, secundum praescripta sequentium numerorum, persolvantur tantummodo in Palatii Apostolici Vaticani Cappella Sixtina, quae ideo locus manet omnino reservatus usque ad expletam electionem, ut absolutum servetur secretum de omnibus quae ibi explebuntur aut dicentur quacumque sub ratione directe aut indirecte circa electionem Summi Pontificis.

Quapropter Collegium Cardinalium, agens de auctoritate et officio Camerarii, quem adiuvabit Congregatio particularis de qua in numero 7 huius Constitutionis, curabit ut, intra praefatum Sacellum et in locis contiguis, omnia prius disponantur adiuvante quoque foris Substituto Secretariae Status, ita ut regularis electio eiusdemque secreta indoles in tuto ponantur.

Peculiarem in modum accuratae et rigidae recognitiones peragantur, opem quoque adhibentibus personis rectae fidei et probatae peritiae technicae, ne in praedictis locis subdole instrumenta audivisifica collocentur ad negotia exscribenda et foras transmittenda.

52. Cum Cardinales electores ad Sacellum Sixtinum advenerint, secundum praescriptum n. 50, adhuc coram omnibus qui partes habuerunt sollemnis processionis, ius iurandum dabunt secundum formulam quae sequenti numero describitur.

Cardinalis Decanus aut Cardinalis primus ordine et aetate, servato quidem praescripto n. 9 huius Constitutionis statuto, elata voce formulam leget; post conclusionem vero quisque Cardinalium electorum, Sanctum Evangelium tangendo, leget et enuntiabit formulam, prout in sequenti numero praescribitur.

Iure iurando dato ab ultimo Cardinale electore, Magister Pontificiarum Celebrationum Liturgicarum nuntiabit illud *extra omnes* **atque ad Conclave non pertinentes Sacellum Sixtinum relinquere debebunt.**

In ea manebunt tantum idem Magister Pontificiarum Celebrationum Liturgicarum et ecclesiasticus vir, antea electus ad secundam meditationem habendam coram Cardinalibus electoribus, de qua in numero 13/d, circa gravissimum onus illis impendens et ideo circa necessitatem ut recta intentione procedatur ad bonum Ecclesiae universae *solum Deum prae oculis habendo.*

53. Ratione habita eorum quae praescribuntur in superiore numero, Cardinalis Decanus aut Cardinalis ordine et aetate primus, sequentem iuris iurandi formulam recitabit:

Nos omnes et singuli in hac electione Summi Pontificis versantes Cardinales electores promittimus, vovemus et iuramus inviolate et ad unguem Nos esse fideliter et diligenter observaturos omnia quae continentur in Constitutione Apostolica Summi Pontificis Ioannis Pauli II, quae a verbis « Universi Dominici Gregis» incipit, data die xxii mensis Februarii anno MCMXCVI. *Item promittimus, vovemus et iuramus, quicumque nostrum, Deo sic disponente, Romanus Pontifex erit electus, eum munus Petrinum Pastoris Ecclesiae universae fideliter exsecuturum esse atque spiritualia et temporalia iura libertatemque Sanctae Sedis integre ac strenue asserere atque tueri numquam esse destiturum. Praecipue autem promittimus et iuramus Nos religiosissime et quoad cunctos, sive clericos sive laicos, secretum esse servaturos de iis omnibus, quae ad electionem Romani Pontificis quomodolibet pertinent, et de iis, quae in loco electionis aguntur, scrutinium directe vel indirecte respicientibus; neque idem secretum quoquo modo violaturos sive*

perdurante novi Pontificis electione, sive etiam post, nisi expressa facultas ab eodem Pontifice tributa sit; itemque nulli consensioni, dissensioni, aliique cuilibet intercessioni, quibus auctoritates saeculares cuiuslibet ordinis et gradus, vel quivis hominum coetus vel personae singulae voluerint sese Pontificis electioni immiscere, auxilium vel favorem praestaturos.

Deinde singuli Cardinales electores, praecedentiae ordine servato, ius iurandum interponent sequenti formula:

Et ego N. Cardinalis N. spondeo, voveo ac iuro, **et imponendo manum super Evangelium, adiungant:** *Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia, quae manu mea tango.*

54. Peracta autem meditatione, qui eam protulit de Sacello Sixtino cum Pontificiarum Celebrationum Liturgicarum Magistro egreditur. Cardinales autem electores, recitatis precibus secundum *Ordinem* **peculiarem, Cardinalem Decanum audiant (aut illum qui eius vice fungitur) qui Collegio electorum subiciet in primis quaestionem utrum iam nunc procedere liceat ad incohandos actus electionis an adhuc necesse sit dubitationes dissolvere de normis et rationibus in hac Constitutione statutis, quin tamen liceat, non obstante electorum unanimitate, et hoc quidem sub poena nullitatis ipsius deliberationis, ut quaedam ex iis, quae respiciunt naturam actus ipsius electionis, mutari aut substitui possint.**

Quodsi, de sententia maioris partis electorum, nihil obstat quominus incohentur actus electionis, statim ad ipsos procedendum est, servatis tamen normis in hac eadem Constitutione prolatis.

CAPUT IV

DE SECRETO SERVANDO IN OMNIBUS AD ELECTIONEM PERTINENTIBUS

55. Cardinalis Camerarius atque tres Cardinales pro tempore Assistentes obligatione tenentur ut vigilent diligenter, ne de omnibus in Sacello Sixtino peractis silentium ullo pacto vio-

letur, ubi suffragia feruntur, nec non proximorum locorum, ante, inter et post electionis actus.

Peculiariter duorum technicorum fidei dignorum auxilio tale secretum tuebuntur, dum cavebunt ne ullum instrumentum exceptorium vel emissionis televisificae a quolibet in ante dicta loca, potissimum in Sacellum Sixtinum ubi electionis actus explicantur, inferatur.

Si quid tale contra hanc normam admissum fuerit, sciant auctores se gravibus poenis fore puniendos futuri Pontificis arbitrio.

56. Cum electionis actus peraguntur, Cardinales electores ab epistolarum commercio atque a colloquiis etiam per telephonium vel radiophonium se abstineant cum personis quae legitime officiis sibi servatis non destinantur.

Gravissimae dumtaxat et impellentes rationes, quas Cardinalium peculiaris Congregatio iudicabit, sicut in n. 7 decernitur, haec colloquia sinere possunt.

Quapropter videant Cardinales electores, antequam electionis actus incipiant, ut omnia suppeditent quae ipsius officii vel personarum necessitates requirunt, quae quidem differri sic non possunt, ut necesse non sit haec colloquia permittere.

57. Similiter se abstineant Cardinales a quibuslibet nuntiis accipiendis et mittendis extra Civitatem Vaticanam, dum, ut patet, prohibetur ne iidem nuntii per ullam personam ibidem legitime admissam transvehantur. Cardinales electores praesertim tempore ex quo electionis actus peraguntur, acta diurna vel ephemerides cuiuslibet naturae recipere aeque radiophonicas emissiones auscultare vel emissiones televisificas spectare vetantur.

58. Qui electioni quoquo modo, ad normam n. 46 huius Constitutionis, deserviunt, quique directe vel indirecte secretum violare quomodolibet poterunt — sive per verba, sive per scripta, per signa, aliasve per quasvis rationes — omnino violationem huiusmodi vitare debent, sub poena excommunicationis *latae sententiae,* **Sedi Apostolicae reservatae.**

59. Specialiter autem Cardinalibus electoribus interdicitur, ne ministris, quos forte secum adduxerint, aut aliis quibusvis ea pandant, quae scrutinium directe vel indirecte respiciunt, itemque ea, quae de Pontificis electione acta vel decreta sunt in Cardinalium congressionibus sive ante electionem sive inter ipsam habitis. Obligatio haec Cardinales non electores quoque respicit, qui generalibus Congressionibus intersunt, ad huius Constitutionis normam n. 7.

60. Insuper praecipimus Cardinalibus electoribus, graviter onerata ipsorum conscientia, ut secretum huiusmodi servent etiam post peractam novi Pontificis electionem, memores id nullo modo violari licere, nisi ab eodem Pontifice peculiaris et expressa ad hoc facultas concessa fuerit.

61. Denique, ut Cardinales electores cavere possint ab aliorum imprudentia nec non ab insidiis, quas facultati suo ipsorum utendi iudicio et libertati decernendi fortasse parari contingat, omnino interdicimus, ne in illis locis in quibus electio peragitur introducantur, sub quolibet praetextu, nec, si ibi forte iam exstent, adhibeantur quaelibet genera instrumentorum vocibus vel imaginibus vel scriptionibus mechanice imprimendis, reddendis, transmittendis.

CAPUT V

DE ELECTIONIS EXPLICATIONE

62. Modis abrogatis electionis qui per *acclamationem seu inspirationem* et *per compromissum* dicuntur, electionis forma Romani Pontificis futuro de tempore erit tantum *per scrutinium.*

Decernimus igitur ut Summi Pontificis ad validam electionem duae ex tribus partes suffragiorum requirantur omnium electorum praesentium.

Si ideo Cardinalium numerus praesentium in tres aequales partes dividi non potest, ut valida sit electio Summi Pontificis uno plus requiritur suffragium.

63. Electio peragatur continuo post eas expletas res, quas n. 54 huius Constitutionis fieri iubet.

Si id iam accidit vespere primi diei, unum scrutinium erit; subsequentibus autem diebus, si electio primo die facta non erit, duo suffragia erunt ferenda, tum mane tum vespere, atque suffragia dantur illa hora, sive in praeviis Congressionibus ante statuta, sive dum ipsa agitur electio, secundum rationes tamen, quae in nn. 64 et subsequentibus significantur.

64. Tribus gradibus explicatur scrutinium, quorum primus, qui *antescrutinium* **vocari potest, complectitur: 1) schedularum praeparationem et partitionem per Caeremoniarios, qui earundem saltem duas vel tres cuique Cardinali electori dabunt; 2) ex omnibus Cardinalibus electoribus sortitionem trium Scrutatorum, trium ad infirmorum excipienda suffragia qui destinantur, qui brevitatis gratia** *Infirmarii* **appellantur, et trium Recognitorum; sortes has publice iacit novissimus Cardinalis Diaconus, qui subinde novem nomina depromit illorum qui munia haec sustinere debent; 3) si in extractione Scrutatorum,** *Infirmariorum* **et Recognitorum ducta nomina exierint Cardinalium electorum qui, ob infirmitatem vel aliam ob causam impedientur quominus officia haec gerant, eorum loco alia nomina non impeditorum depromantur. Primi tres sorte educti erunt Scrutatores, alteri tres** *Infirmarii,* **ceteri vero Recognitores.**

65. In hac scrutinii actione hae normae prae oculis habeantur: 1) forma schedulae debet esse rectiangula, in medio autem anterioris eius partis haec verba, si fieri potest typis impressa, contineat: *Eligo in Summum Pontificem,* **in parte vero inferiore a medio liberum sit spatium, ubi electi nomen inscribatur; schedula ergo sic disposita est, ut ambae partes complicentur; 2) schedularum inscriptio secreto ab unoquoque Cardinale facienda est, qui perspicue, scribendi ratione utatur, quantum fieri potest, quae non revelet manum exarantem: cavebit pariter ne plura nomina scribat quoniam tum suffragium nullum est: demum plicabit et iterum complicabit schedulam; 3) dum**

suffragia feruntur, Cardinales electores soli in Sacello Sixtino esse debent; quocirca, statim postquam schedulae distributae sunt et antequam electores in iis scribere incipiant, Secretarius Collegii Cardinalium, Magister Pontificiarum Celebrationum Liturgicarum et viri a caeremoniis ex aula exire debent. Quibus egressis, ultimus Cardinalis Diaconus ianuam claudat, quam aperiat iterumque claudat quoties necessarium est, veluti cum *Infirmarii* **ad suffragia infirmorum colligenda exeunt ac deinde in sacellum revertuntur.**

66. Secundus gradus, qui vere proprieque dicitur *scrutinium,* **complectitur: 1) positionem schedularum in urnam; 2) schedularum mixtionem ac numerationem; 3) suffragiorum diribitionem. Unusquique Cardinalis elector, praecedendi ordine servato, schedulam, postquam eam scripsit et complicavit, elevata manu, ita ut videri possit, ad altare deferat, apud quod sunt Scrutatores et in quo est urna disco cooperta ad schedulas recipiendas. Postquam ibi pervenerit, Cardinalis elector elata voce iuret in hanc formam:** *Testor Christum Dominum, qui me iudicaturus est, me eum eligere, quem secundum Deum iudico eligi debere.* **Post haec schedulam in disco ponat et per hunc in urnam ingerat, quo facto ad altare inclinet et ad suum locum revertatur.**

Si vero quis Cardinalis elector ex iis, qui in sacello praesentes adsunt, ad altare ob infirmam valetudinem pergere nequit, ultimus scrutator ad eum accedit; et elector ille, praedicto iure iurando dato, schedulam complicatam eidem scrutatori tradit, qui eam palam ad altare defert neque ullo iuramento pronuntiat in disco deponit, et per eum in urnam mittit.

67. Si autem aliqui Cardinales electores infirmi sunt in cellis suis, quorum in n. 41 et subsequentibus huius Constitutionis fit mentio, tres *Infirmarii* **ad eos accedunt cum capsula, in cuius parte superiore sit foramen, per quod schedula complicata possit in eam immitti; quam capsulam antequam scrutatores** *Infirmariis* **tradant, palam aperiant, ut ceteri electores possint eam vacuam conspicere, deinde claudant et clavem super altare po-**

nant. Hinc *Infirmarii* **cum capsula clausa et congruenti numero schedularum in parvo disco collocatarum, ministris recto modo comitantibus, ad aedes** *Domus Sanctae Marthae* **apud unumquemque infirmum se recipiunt; qui acceptam schedulam secreto scribat, complicet et, dato antea iure iurando praedicto, in capsulam per foramen mittat. Quodsi quis infirmus scribere non valet, unus e tribus** *Infirmariis* **aut alius Cardinalis elector, ab infirmo deputatus, praestito de secreto servando in manibus ipsorum** *Infirmariorum* **iure iurando, praedicta faciat. Quibus peractis,** *Infirmarii* **capsulam in Sacellum reportant, quae a Scrutatoribus aperietur cum Cardinales adstantes suffragium suum deposuerint et schedulas, quae in ea continentur, numeraverint; et tot repertas, quot sunt infirmi, singillatim in disco ponant, et per hunc simul omnes in urnam immittant. Ne autem scrutinii actio nimis protrahatur,** *Infirmarii* **poterunt proprias schedulas statim post Cardinalium primum conficere et in urna ponere, deinde, dum ceteri electores suam schedulam ponunt, ad infirmos pergere ad accipienda eorum vota eo modo, qui supra est dictus.**

68. Postquam omnes Cardinales electores schedulas suas in urnam immiserunt, primus Scrutator hanc semel iterumque agitet ut schedulae permisceantur; quo facto, ultimus Scrutator statim eas numeret, unamquamque schedulam singillatim ex urna palam sumens et in vase vacuo, ad hoc apparato, deponens. Quodsi schedularum numerus non respondet numero electorum, omnes comburendae sunt, et iterum, id est altera vice, ad suffragia ferenda procedatur; si vero schedularum numerus numero electorum respondet, subsequitur publicatio scrutinii, quae hoc modo fit.

69. Scrutatores ad mensam ante altare positam sedent: quorum primus unam schedulam accipit, explicat et, viso in ea electi nomine, eam secundo Scrutatori tradit, qui, pariter electi nomine perspecto, eandem schedulam tradit tertio, qui illam elata et intellegibili voce legit, ut omnes electores praesentes

suffragium annotare possint in folio ad hoc apparato. Notat autem et ipse nomen e schedula recitatum. Quodsi in suffragiorum diribitione Scrutatores inveniant duas schedulas ita complicatasi ut ab uno tantum datas esse appareat, siquidem unus et idem in utraque electus fuerit, schedulae praedictae pro uno suffragio habeantur; si vero diversa ibi inscripta sint nomina, neutrum suffragium est validum; scrutinium tamen ipsum neutro in casu vitiatur.

Peracta schedularum diribitione, suffragia a Scrutatoribus secundum nomina illorum, qui ea obtinuerunt, in unam summam redigantur et in folio separato notentur. Ultimus vero Scrutator singulas schedulas, postquam eas perlegit, eo loco, ubi est verbum *Eligo,* **acu cum filo perforat et in filo includit, quo cautius conserventur. Finita nominum lectione, fili capita nodo iunguntur et schedulae omnes, ita colligatae, in urna vacua vel in mensae parte ponuntur.**

70. Sequitur tertia et postrema actio, quae *post-scrutinium* **appellatur quaeque complectitur: 1) numerationem suffragiorum; 2) eorum recognitionem; 3) schedularum combustionem.**

Scrutatores in unam summam redigunt suffragia, quae quilibet obtinuit, et si nemo ad duas partes suffragiorum pervenit, non est electus Papa in illo scrutinio; si quis vero duas partes ex tribus accepit, habetur electio Romani Pontificis et quidem canonice valida.

Recognitores, in utroque casu, scilicet sive electio secuta est, sive non, inspicere debent tam schedulas, quam suffragiorum annotationes factas per Scrutatores, ut constet an iidem accurate et fideliter muneri suo satisfecerint.

Statim post recognitionem antequam Cardinales electores e sacello discedant, omnes schedulae comburantur a Scrutatoribus dum adiuvant Secretarius Collegii et Viri a caeremoniis, interim arcessiti ab ultimo Cardinale Diacono. Si tamen secundum scrutinium statim est agendum, schedulae primi scrutinii solum in fine, una cum schedulis secundi scrutinii, comburantur.

71. Omnibus et singulis Cardinalibus electoribus praecipimus, ut, ad secretum tutius servandum, omnis generis scripturas, quas de exitu uniuscuiusque scrutinii apud se habent, Cardinali Camerario vel uni e tribus Cardinalibus Assistentibus una cum schedulis comburendas tradant.

Decernimus insuper ut, completa electione, Cardinalis Sanctae Romanae Ecclesiae Camerarius relationem exaret, etiam a tribus Cardinalibus Assistentibus approbandam, quae suffragiorum exitum declaret in singulis sessionibus latorum. Quae relatio Pontifici tradetur, in tabulario asservanda et clausa in involucro obsignato, quod a nullo resignari poterit, nisi Summus Pontifex id nominatim permiserit.

72. Confirmantes ea, quae Decessores Nostri S. Pius X,[20] **Pius XII**[21] **et Paulus VI**[22] **statuerunt, praescribimus ut — excepto ipso tempore postmeridiano ingressionis in Conclave — sive mane sive vespere, post completum scrutinium, si quidem in eo secuta non sit electio, Cardinales electores statim ad novum scrutinium peragendum procedant, in quo denuo suffragia ferant. Hoc in secundo scrutinio omnes ritus serventur sicut in primo, ita tamen ut electores non teneantur obligatione novum dandi ius iurandum neque novos eligendi Scrutatores,** *Infirmarios* **et Recognitores, cum quae in primo scrutinio hac de re praestita sunt sine renovatione valeant etiam pro secundo.**

73. Haec omnia, quae de scrutinii ritibus sunt exposita, servanda erunt diligenter a Cardinalibus electoribus in omnibus scrutiniis, quae singulis diebus peragi debent mane et post meridiem, peractis sacris ritibus seu precationibus, quae memoratus *Ordo rituum Conclavis* **statuit.**

74. Quodsi contingit, ut Cardinales electores cum difficultate de persona eligendi concordia ineant consilia, tunc per tres dies

[20] Cfr Const. Ap. *Vacante Sede Apostolica* (25 Decembris 1904), 76: *Pii X Pontificis Maximi Acta,* III (1908), 280-281.

[21] Cfr Const. Ap. *Vacantis Apostolicae Sedis* (8 Decembris 1945), 88: *AAS* 38 (1946), 93.

[22] Cfr Const. Ap. *Romano Pontifici eligendo* (1 Octobris 1975), 74: *AAS* 67 (1975), 639.

scrutiniis secundum formam supra descriptam, nn. 62 et sequentibus, frustra peractis, scrutinia ipsa tempore summum unius diei intermittuntur, ut preces Deo admoveantur, electores inter se libere colloquantur fiatque per Cardinalem primum ex ordine Diaconorum brevis adhortatio spiritalis. Post quae, scrutinia secundum eandem formam exsequenda resumuntur; quae, si antequam electio interveniat sint septem, rursus intervallum interponitur, ut precationi, colloquio et adhortationi per Cardinalem primum ex ordine Presbyterorum faciendae sit locus. Demum septem, si casus fert, scrutinia secundum praedictam formam peraguntur; quae si ad irritum ceciderint, denuo orationes ad Deum fundantur, colloquia serantur, adhortatio a Cardinale primo ex ordine Episcoporum electoribus adhibeatur. Exinde scrutinia ad eandem formam rursus peragantur, quae, nisi electio interveniet, erunt septem.

75. Si autem scrutinia ad nihilum reciderint, his peractis rebus de quibus supra dictum est, Cardinales electores consulat Camerarius de modo procedendi, atque agetur prout eorum maior absoluta pars decreverit.

Ne recedatur tamen a ratione ut electio valida evadat aut maiore absoluta parte suffragiorum aut duo nomina tantum suffragando, quae in superiore scrutinio maiorem suffragiorum partem obtinuerunt, dum hoc quoque in casu sola maior absoluta pars poscatur.

76. Quodsi electio aliter celebrata fuerit, quam haec Constitutio statuit, aut non servatis condicionibus pariter hic praescriptis, electio eo ipso est nulla et invalida absque ulla declaratione, ideoque electo nullum ius tribuit.

77. Quae de actis electionem praecedentibus et de ipsa Romani Pontificis electione hactenus dicta sunt, ea omnia servanda esse declaramus, etiam si contingat vacationem Sedis Apostolicae per renuntiationem Summi Pontificis occurrere, secundum can. 332, § 2 C.I.C. et can. 44, § 2 C.C.E.O.

CAPUT VI
DE IIS QUAE SERVANDA VEL VITANDA SUNT IN ELECTIONE ROMANI PONTIFICIS

78. Si in electione Romani Pontificis perpetretur — quod Deus avertat — crimen simoniae, deliberamus et declaramus omnes quotquot fuerint in culpa exstantes in excommunicationem *latae sententiae* esse incursos, nullitatem tamen vel eiusdem simoniacae provisionis irritationem tolli, ne hac de causa — prout a Decessoribus Nostris statutum est — validitas electionis Romani Pontificis impugnetur.[23]

79. Item Decessorum praescripta confirmantes, prohibemus, ne quis, quavis Cardinalatus dignitate praeditus, vivente Romano Pontifice eoque inconsulto, deliberare audeat de ipsius Successoris electione, aut aliquod suffragium polliceri, aut hac de causa, privatis conventiculis factis, quidquam decernere.

80. Item ea confirmata volumus, quae Decessores Nostri sanxerunt, ut omnis externus interventus in electionem Summi Pontificis removeretur. Quam ob rem, iterum ex virtute sanctae oboedientiae et sub poena excommunicationis *latae sententiae,* omnibus et singulis Cardinalibus electoribus, praesentibus et futuris, pariterque Secretario Collegii Cardinalium atque ceteris omnibus partem habentibus praeparationis et exsecutionis rerum quae ad electionem requiruntur, interdicimus, ne, quovis praetextu, a quavis civili potestate munus recipiant veto seu *exclusivam,* uti vocant, etiam sub forma simplicis desiderii, proponendi, neve hoc ipsum veto patefaciant sive universo electorum Collegio simul congregato, sive singulis electoribus, sive scripto sive ore, sive directe ac proxime, sive oblique et per alios, sive ante electionis initium sive ipsa perdurante. Quam prohibitionem extendi volumus ad omnes interventus, interces-

[23] Cfr S. Pius PP. X, Const. Ap. *Vacante Sede Apostolica* (25 Decembris 1904), 79: *Pii X Pontificis Maximi Acta,* III (1908), 282; Pius PP. XII, Const. Ap. *Vacantis Apostolicae Sedis* (8 Decembris 1945), 92: *AAS* 38 (1946), 94; Paulus PP. VI, Const. Ap. *Romano Pontifici eligendo* (1 Octobris 1975), 79: *AAS* 67 (1975), 641.

siones, optata, quibus auctoritates saeculares cuiuslibet ordinis et gradus, vel quivis hominum coetus vel personae singulae voluerint sese Pontificis electioni immiscere.

81. Cardinales electores praeterea abstineant ab omnibus pactionibus, conventionibus, promissionibus aliisque quibusvis obligationibus, quibus astringi possint ad suffragium cuidam vel quibusdam dandum aut recusandum. Quae omnia, si reapse intervenerint, etiam iure iurando adiecto, decernimus ea nulla et irrita esse, neque eadem observandi obligatione quemquam teneri; facientes contra iam nunc poena excommunicationis *latae sententiae* **innodamus. Vetari tamen non intellegimus, ne per tempus Sedis vacantis de electione sententiae invicem communicentur.**

82. Pariter Cardinalibus interdicimus, ne ante electionem capitula conficiant seu quaedam communi consensu statuant, ad quorum observantiam se astringant, si unus ex iis ad Pontificatum assumatur. Has item promissiones, si re vera intervenerint, etiam iure iurando adiecto, nullas et irritas declaramus.

83. Iisdem denique, quibus Decessores Nostri, vocibus Cardinales electores vehementer hortamur, ut in eligendo Pontifice, nulla propensione animi vel aversione ducantur, nullius gratia aut obsequio, non interventu personarum auctoritate gravium, vel coetuum impulsione quadam urgentium, vel suasione utentium instrumentis communicationis socialis, non vi vel metu vel aura populari. Sed unice Dei gloriam et Ecclesiae bonum prae oculis habentes, divino auxilio implorato, in eum, etiamsi extra Collegium Cardinalium versetur, suffragia conferant sua, quem universali Ecclesiae fructuose utiliterque regendae prae ceteris idoneum iudicaverint.

84. Tempore Sedis Vacantis at potissimum dum electio Successoris Petri celebratur, Ecclesia singulari prorsus modo cum sacris Pastoribus et praecipue cum Cardinalibus electoribus Summi Pontificis coniungitur, atque a Deo novum Papam ve-

luti donum eius bonitatis et providentiae implorat. Perinde enim ac prima christianorum communitas, de qua in *Actibus Apostolorum* **(cfr 1, 14) agitur, ita universa Ecclesia, spiritualiter congregata cum Maria, Matre Iesu, unanimiter perseveret oportet in oratione; quo fit, ut electio novi Pontificis non sit quiddam disiunctum a populo Dei et ad solum electorum pertinens Collegium, sed quasi quaedam totius Ecclesiae actio. Quapropter statuimus, ut in omnibus urbibus ceterisque locis, saltem insignioribus, ubi primum nuntius vacationis Sedis Apostolicae ac praesertim obitus Pontificis pervenerit et postquam exsequiae sollemniter pro eo celebratae fuerint, humiles assiduaeque preces ad Dominum fundantur (cfr** *Mt* **21, 22;** *Mc* **11, 24), ut ipse electorum animos illuminet et in eorum munere tam concordes efficiat, ut sollicitam, unanimam et frugiferam electionem, prout animarum salus et totius Populi Dei bonum requirit, fieri contingat.**

85. Haec quidem vehementer et imo ex corde commendamus Venerabilibus Patribus Cardinalibus qui, attenta aetate, iure electionem Summi Pontificis participandi non amplius fruuntur. Ob specialissimum cum Apostolica Sede vinculum quod secum fert Cardinalium purpura, sese praebeant uti ductores Populi Dei, praecipue congregati sive in Patriarchalibus Basilicis Urbis sive in sacris etiam aedibus reliquarum particularium Ecclesiarum, ut assidua ferventique prece, maxime dum electio evolvitur, ab Omnipotenti Deo et a Spiritu assistentia obtineantur et lumen, quae Confratribus electoribus sunt necessaria; ita efficienter et vere gravissimum participabunt officium Ecclesiam universam novo donandi Pastore.

86. Eum vero, qui electus fuerit, rogamus, ne muneris gravitate deterritus, ab eodem subeundo se retrahat, sed potius divinae voluntatis consilio se humiliter subiciat. Deus enim, qui onus imponit, manum etiam supponit, ne ei ferendo sit impar; quippe qui sit oneris auctor, ipse est etiam administrationis adiutor; atque ne sub magnitudine muneris succumbat infirmus, virtutem dat, qui contulit dignitatem.

CAPUT VII
DE ACCEPTATIONE, PROCLAMATIONE ET INITIO MINISTERII NOVI PONTIFICIS

87. Post electionem canonice factam, ultimus Cardinalis Diaconus vocat in aulam electionis Secretarium Collegii Cardinalium et Magistrum Pontificiarum Celebrationum Liturgicarum, atque consensus electi per Cardinalem Decanum aut per Cardinalium primum ordine et aetate, nomine totius Collegii electorum, his verbis requiratur: *Acceptasne electionem de te canonice factam in Summum Pontificem?* **Statimque, post consensum declaratum, electus interrogetur:** *Quo nomine vis vocari?* **Tunc per Magistrum Pontificiarum Celebrationum Liturgicarum, munere notarii fungentem, testibus adhibitis duobus Viris a caeremoniis, qui tunc temporis vocabuntur, instrumentum de acceptatione novi Pontificis et de nomine ab eo assumpto conficitur.**

88. Post acceptationem, electus qui episcopali ordinatione iam pollet est ilico Romanae Ecclesiae Episcopus simulque verus Papa, et Caput Collegii Episcopalis; idemque actu plenam et supremam potestatem in universam Ecclesiam acquirit atque exercere potest.

Quodsi electus charactere episcopali careat, statim ordinetur Episcopus.

89. Deinde, actis de more agendis, prout iubet *Ordo rituum Conclavis,* **Cardinales electores, secundum statutas rationes, accedunt ut novo electo Summo Pontifici obsequium et oboedientiam exhibeant. Deinde gratiae Deo persolvuntur, ac demum populo exspectanti a primo Cardinalium Diaconorum, peracta electio novique Pontificis nomen nuntiantur, qui subinde ex podio Vaticanae Basilicae Apostolicam Benedictionem** *Urbi et Orbi* **impertit.**

Si electus charactere episcopali careat, obsequium et oboedientia eidem praebentur et nuntius populo perfertur tantum postquam ipse sollemniter ordinatus est Episcopus.

90. Si autem electus extra Civitatem Vaticanam degit, normae sunt observandae, quas praedictus *Ordo rituum Conclavis* **continet.**

Episcopalis ordinatio Summi Pontificis electi, qui forsitan nondum sit Episcopus, de qua in nn. 88 et 89 huius Constitutionis mentio habetur, fit de Ecclesiae more a Decano Collegii Cardinalium aut, si hic abest, a Subdecano aut, si hic quoque impeditur, ab antiquiore Cardinale Episcopo.

91. Conclave absolvetur simul ac novus electus Summus Pontifex suae electioni consenserit, nisi quid aliter is statuerit. Et tunc temporis novum adire poterunt Pontificem Substitutus Secretariae Status, Secretarius sectionis de rationibus cum Civitatibus, Praefectus Domus Pontificiae atque quilibet alius, cui cum Pontifice electo est agendum de rebus eo temporis momento necessariis.

92. Pontifex, sollemnibus caeremoniis inaugurationis Pontificatus persolutis, intra congruum tempus Patriarchalis Archibasilicae Lateranensis possessionem ritu praescripto capiet.

PROMULGATIO

Has igitur normas, omnibus rebus graviter perpensis atque Decessorum Nostrorum exemplum secuti, statuimus et praescribimus, decernentes ut nemini hanc Constitutionem et quae in ea continentur qualibet de causa impugnare liceat. Ea quidem ab omnibus religiose servetur, contrariis quibusvis nihil obstantibus, etiam specialissima mentione dignis. Quam volumus plenam et integram vim suam sortiri et obtinere, ut subsidio sit omnibus quorum interest.

Item abrogatas declaramus, ut supra statutum est, omnes Constitutiones et Leges hac de re a Romanis Pontificibus editas, ac pariter declaramus omnino irrita esse quae, a quolibet, quacumque auctoritate praedito, scienter vel inscienter contra hanc Constitutionem fuerint excogitata.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xxn mensis Februarii, die festo Cathedrae sancti Petri Apostoli, anno MCMXC vi, Pontificatus Nostri duode vicesimo.

IOANNES PAULUS PP. II

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

DOMINAE NOSTRAE LIBERATIONIS NOVARCENSIS SYRORUM

Eparchia Novarcensis erigitur pro Syris Foederatarum Civitatum Canadae

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Principis Apostolorum sublimi Nos in cathedra ex Dei ipsius voluntate collocati unum nimirum illud summo procuramus studio ut Ecclesiae catholicae vita et opera quam efficientissime regantur provehanturque ubique gentium pro ipsorum christifidelium commodo maiore spiritalique emolumento. Haec inter cotidiana Nostra consilia singularis quidem momenti ac ponderis sine dubitatione illa numerentur oportet quae ad Orientales spectant Ecclesias, quandoquidem ipsae Nobis merito sunt carissimae tam antiquitate quam venustate antiquarum traditionum ac sanctimoniae christianae speciminibus. Cum igitur Venerabilis Frater Noster Achilles S.R.E. Cardinalis Silvestrini Congregationi pro Ecclesiis Orientalibus praefectus, adnuente libenter Beatissimo Ignatio Antonio Hayek Patriarcha Antiocheno Syrorum una cum Synodo Episcoporum eiusdem Patriarchatus et consentientibus Praesidibus Coetus Episcoporum communitatum tum in Foederatis Americae Septentrionalis Civitatibus tum in Canadae natione necnon Pontificiis Legatis quorum interfuit efflagitaverit ut Communitas fidelium ritus Antiocheni Syrorum in utraque memorata orbis provincia degentium ad gradum eveheretur dignitatemque Eparchiae, Nos cunctis diligenter sane rebus ponderatis id respicientibus, admotis hisce precibus adsensi, confisi simul fore ut totum hoc consilium ac propositum maximam in hominum illo-

rum aeternam cedant utilitatem, ex Nostra auctoritate Apostolica decernimus et edicimus posthac ut Eparchia pro christifidelibus in Americae Septentrionalis Civitatibus Foederatis necnon dicione Canadensi Ecclesiae Antiochenae Syrorum exsistat titulo hoc ***Dominae Nostrae Liberationis Novarcensis Syrorum*** nuncupanda, additis pariter iuribus atque obligationibus quae ad hanc attinent dignitatem et condicionem. Haec praeterea reliquaque singula secundum Codicis Orientalis praecepta plane temperentur. Ceterum, hanc tribuentes honestatem illi dilectae Communitati dilectionem similiter Nostram erga eandem palam testari concupiscimus, minime postmodum dubitantes quin omnes novae huius Eparchiae ministri ac fideles ex hac quidem re spiritalis vitae vehementiora percipiant incitamenta.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die sexto mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo quinto, Pontificatus Nostri duodevicesimo.

£8 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

ACHILLES card. SILVESTRINI
Congr. pro Eccles. Oriental. Praef.

Eugenius Sevi, ***Protonot. Apost.***
Franciscus Chiaurri, ***Protonot. Apost.***

Loco ® Plumbi
In Secret. Status tab., n. 384.672

II

REZEKNENSIS-AGLONENSIS

In Lettonia nova conditur dioecesis Rezeknensis-Aglonensis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad aptius consulendum spirituali saluti atque regimini Christifidelium, Venerabilis Frater Ioannes Pujats, Archiepiscopus Metropolita Rigensis, ob incolarum copiam in circumscriptione ecclesiastica sua degentium, ab hac Apostolica Sede petivit ut, quibusdam seiunctis territoriis a memorata circumscriptione, nova conderetur dioecesis. Nos, Qui gravissimo fungimur

munere supremi Pastoris totius gregis Dominici, favente quoque eidem rei Venerabili Fratre Iusto Mullor García, Archiepiscopo titulo Volsiniensi et in Lettonia Apostolico Nuntio, de consilio Secretariae Status admotae postulationi libenter concedendum esse putavimus rati id in animarum bonum esse cessurum. Summa igitur Nostra potestate quae sequuntur decernimus. Ab archidioecesi Rigensi separamus decanatus: Daugavpils, Kräslava, Dagda, Aglona, Preili, Livani, Varak¡ani, Rëzekne, Ludza, Nautrëni (Rogovka), Vilaka; atque ex ita distractis territoriis novam constituimus dioecesim ***Rezeknensem-Aglonensem,*** quae iisdem limitatur finibus, quibus praedicti decanatus, simul sumpti, in praesens terminantur. Sic novae dioecesis sedem in urbe «Rëzekne» ponimus, ibique situm paroeciale templum, Deo in honorem Cordis Iesu dicatum, ad gradum et dignitatem Cathedralis ecclesiae evehimus cuique propria insignia, privilegia honoresque tribuimus simulque decoramus titulo ecclesiae Concathedralis, propriis item factis honoribus et privilegiis, sanctuarium Deo in honorem Beatae Mariae Virginis in Caelum Assumptae dicatum maximo quidem religionis sensu quod in urbe « Aglona» exstat. Praeterea Rezeknensi-Aglonensi pro tempore Episcopo honores, insignia, privilegia iuraque tribuimus, eundemque iisdem oneribus et officiis adstringimus, quibus ceteri Praesules Ordinarii locorum fruuntur et adstringuntur secundum singulas ipsas canonum sacrorum normas atque leges. Novam dioecesim suffraganeam facimus metropolitanae Sedi Rigensi eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi Rigensis subicimus. Mandamus insuper ut quam primum ibi constituatur ad normam iuris communis Collegium Consultorum, qui Episcopo, consilio et opera, valido sint auxilio. Congruae sustentationi Praesulis huiusce dioecesis provideatur Curiae emolumentis, fidelium oblationibus ac portione bonorum, quae ad normam canonis 122 C.I.C. eidem obvenire debent quaeque hactenus ad mensam archiepiscopalem Rigensem pertinuerunt. In iis autem quae respiciunt ad Seminarii dioecesani aedificationem atque sacrorum candidatorum institutionem, serventur praescripta iuris communis, habita praesertim ratione normarum ac regularum a Congregatione de Institutione Catholica statutarum; selecti seminarii alumni, philosophicis ac theologicis disciplinis imbuendi, necnon sacerdotes studia completuri, Romam, si fieri potest, mittantur. Quod quidem attinet ad conditae dioecesis regimen, bonorum ecclesiasticorum administrationem, dioecesani Administratoris « sede vacante » electionem, fidelium iura et onera aliaque id genus, quae sacri canones praescribunt ad amussim serventur. Simul ac dioecesis erectio ad effectum deducta

fuerit, eo ipso sacerdotes illi adscripti censeantur Ecclesiae in cuius territorio ecclesiasticum officium detinent; ceteri vero sacerdotes Seminariique alumni incardinati maneant vel incardinentur Ecclesiae in cuius territorio legitimum habent domicilium. Acta et documenta quae ad noviter constitutam dioecesim eiusque clericos, fideles et forte bona temporalia respiciunt, a Curia Rigensi ad Curiam Rezeknensem-Aglonensem rite transmittantur. Quae decrevimus perficienda committimus memorato Venerabili Fratri Iusto Mullor García, eidem tribuentes necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die altero mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo quinto, Pontificatus Nostri duodevicesimo.

68 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

BERNARDINUS card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*
Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*

Loco © Plumbi
In Secret. Status tab., n. 384.514

III

KERICHOËNSIS

In Kenia nova conditur dioecesis Kerichoënsis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum ad aeternam provehendam salutem gregis Dominici in Kenia eiusque regimini facilius et efficacius consulendum nuper esset petitum ut, divisa Nakurensi dioecesi, nova ibidem circumscriptio ecclesiastica constituere-

tur, Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules, qui Congregationi pro Gentium Evangelizatione sunt praepositi, omnibus mature perpensis habitoque pariter faventi voto Venerabilis Fratris Clementis Faccani, Archiepiscopi titulo Serrensis in Proconsulari et in eadem Natione Pronuntii Apostolici, admotam postulationem censuerunt esse accipiendam. Nos igitur, Qui gravissimo fungimur munere supremi Pastoris universae catholicae Ecclesiae, talem sententiam ratam habentes, summa Nostra potestate haec decernimus. A Nakurensi dioecesi separamus territorium regionis civilis, quae patrio sermone nuncupatur « Kericho »; ex eoque novam constituimus dioecesim ***Kerichoënsem,*** quam metropolitanae Ecclesiae Nairobiensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus, cuius limites iidem erunt ac illi memoratae civilis regionis. Praeterea iubemus Episcopi sedem poni in urbe « Kericho » atque templum Sacri Cordis Iesu ibidem exstans ad dignitatem cathedralis ecclesiae evehimus; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus perducet ad exitum Venerabilis Frater Clemens Faccani, quem diximus, quique, re acta, curabit documenta exaranda sincerisque exemplis ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione cito mittenda. Hanc denique Apostolicam Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die sexto mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo quinto, Pontificatus Nostri duode vicesimo.

83 **ANGELUS** card. **SODANO**
Secretarius Status

IOSEPHUS card. **TOMKO**
Congr., pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, ***Protonot. Apost.***
Angelus Lanzoni, ***Protonot. Apost.***

Loco **£8** Plumbi
In Secret. Status tab., n. 384.817

IV

ISIOLANUS

In Kenia novus conditur Vicariatus Apostolicus Isiolanus.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad aptius consulendum evangelizationis operi in Kenia, Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositi, omnibus mature perpensis habitoque faventi voto Venerabilis Fratris Clementis Faccani, Archiepiscopi titulo Serrensis in Proconsulari atque in eadem Natione Pronuntii Apostolici, censuerunt ibidem novum Vicariatum Apostolicum esse condendum. Nos igitur, Qui gravissimo fungimur munere Pastoris et Patris universi populi Dei, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate sequentia decernimus. In regione patrio sermone «Isiolo» nuncupata novum constituimus Vicariatum Apostolicum ***Isiolanum,*** quem, separatum a dioecesi Meruensi, metropolitanae Ecclesiae Vercellensis curae concredimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus cuiusque Pro-Cathedram episcopalem ponimus in templo Deo in honorem Sancti Eusebii dicato, quod in urbe « Isiolo » exstat. Haec omnia perficienda committimus Venerabili Fratri Clementi Faccani, quem diximus, onere imposito authenticum exemplar actus peractae exsecutionis ad memoratam Congregationem remittendi. Hanc denique Nostram Apostolicam Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus haudquaquam obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die quinto decimo mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo quinto, Pontificatus Nostri duodevicesimo.

£8 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, ***Protonot. Apost.***
Angelus Lanzoni, ***Protonot. Apost.***

Loco ffl Plumbi
In Secret. Status tab., n. 384.943

V

BARENTUANA

In Erythraea nova Eparchia conditur nomine Barentuana.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quia opportunum videtur ut Eparchia Asmarensis in Erythraea, nimis ampla, ita dividatur ut ex ea nova constituatur ad aptius consulendum spirituali saluti atque regimini Christifidelium ritus Alexandrini Aethiopici in ea degentium, Nos, utpote beati Petri Successores de totius Dominici gregis bono solliciti, talem sententiam, a Venerabili Fratre Nostro Achille S.R.E. Cardinale Silvestrini, Praefecto Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus, hoc ipso die Nobis relatam, ratam habentes, summa Apostolica potestate sequentia decernimus: quadam detracta parte territorii ab Eparchia Asmarensi, novam condimus Eparchiam ab urbe Barentu, in qua sedem eparchialem poni iubemus, ***Barentuanam*** appellandam, cunctis factis propriis iuribus atque obligationibus. Quam quidem Eparchiam metropolitanae Ecclesiae Neanthopolitanae suffraganeam facimus, mandantes ut eas complectatur regiones, quae olim Gasc-Setit et Barca nuncupabantur. Haec omnia reliquaque secundum normas Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium temperetur. Insuper de eodem absoluto negotio sueta documenta exarentur et ad memoratam Congregationem mittantur. Hanc denique Apostolicam Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus nihil obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die uno et vicesimo mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo quinto, Pontificatus Nostri duodevicesimo.

68 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

ACHILLES card. SILVESTRINI
Congr. pro Eccles. Oriental. Praef.

Eugenius Sevi, ***Protonot. Apost.***
Franciscus Chiaurri, ***Protonot. Apost.***

Loco 68 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 386.023

VI

KERENSIS

Nova Eparchia in Erythraea constituitur Kerensis appellanda.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Communitates in orbe terrarum ecclesiales multiplices variasque prae se ferunt formas, quas legitimas Nos tueri volumus, atque contendimus et studemus, ut floridiorem statum per proprium ritum illae consequantur. Nunc de Asmarensi Eparchia cogitamus deque eiusdem amplo territorio. Itaque, postquam de hac re Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus Praefectus rettulit, iudicavimus opportunum nonnulla loca ab eadem distrahere et novam Eparchiam condere. Quapropter Apostolica Nostra de auctoritate novam Eparchiam constituimus ab urbe Keren ***Kerensis*** appellanda, ubi eparchialis sedes locatur, quae deinceps regiones quas Sahel et Senhit appellant complectetur, quamque Eparchiae Metropolitanae Neanthopolitanae suffraganeam facimus. Ad haec tandem perficienda, consuetudines iuraque congrua serventur et quae a Codice Orientali praecipiuntur, nihil quibusvis rebus minime officientibus. Novensilem communitatem demum hanc benignis oculis respicientes, exoptamus, ut novum spiritale iter animose ipsa suscipiat, quae per translaticias consuetudines et fervidam pietatem magnum progressum consequatur et fidelibus salutifera largiter afferat beneficia.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesimo primo mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo quinto, Pontificatus Nostri duodevicesimo.

83 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

ACHILLES card. SILVESTRINI
Congr. pro Eccles. Oriental. Praef.

Eugenius Sevi, ***Protonot. Apost.***
Franciscus Chiaurri, ***Protonot. Apost.***

Loco £8 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 386.029

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Ecclesiae cathedrali sancto Iosepho dicatae in dioecesi Sancti Iosephi in California, Basilicae Minoris dignitas tribuitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Sancti Iosephi cultum libentes sane promovimus, « ut erga universae Patronum Ecclesiae pietas in omnibus christifidelibus augescat necnon in Redemptorem ipsum amor cui ille ceteris praefulgens in exemplum deserviit » ***(Redemptoris custos,*** 1).

Laetantes igitur accepimus postulationem Venerabilis Fratris Rolandi Petri DuMaine, primi Episcopi dioecesis Sancti Iosephi in California, qui enixe petiit ut suum templum cathedrale Sancto Iosepho dicatum ab Apostolica Sede titulo Basilicae Minoris honestaretur. Audito quidem consilio Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, certiores facti omnia instituta ad cultum sollemniorem necessaria ibi accommodata esse, Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine statuimus ut ecclesia cathedralis Sancto Iosepho dicata in dioecesi Sancti Iosephi in California in posterum dignitate Basilicae Minoris frui possit, iuribus additis et privilegiis huiusmodi templorum propriis, servatis iis quae servanda sunt secundum Decretum « de titulo Basilicae Minoris » die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX evulgatum. Quae vero concedimus, volumus nunc et semper firma esse, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXII mensis Decembris, anno MCMXCV, Pontificatus Nostri duodevicesimo.

ffi ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco £8 Sigilli
In Secret. Status tab., n. 288.274

II

Omnia tribuuntur iura et liturgicae concessiones, quae Basilicis Minoribus rite competunt, ecclesiae cathedrali archidioecesis Novarcensis in Foederatis Civitatibus Americae Septemtrionalis, quam Summus Pontifex Ioannes Paulus PP. II, per Apostolicam Visitationem in eadem archidioecesi, die IV mensis Octobris anno MCMXCV, titulo ac dignitate Basilicae Minoris « motu proprio » insignivit.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — In Foederatis Civitatibus Americae Septemtrionalis merito sane celebratur ecclesia cathedralis Novarcensis archidioecesis Sacratissimo Cordi Iesu dicata atque magnitudine et artis operibus decora, quae non solum exstat sedes Archiepiscopi Metropolitae ipsius civitatis sed etiam notum est centrum spiritualis vitae operumque evangelizationis et caritatis. Quod templum, ut est cognitum, Nos Ipsi, oblata occasione Nostrae Visitationis in eadem archidioecesi, die iv mensis Octobris hoc anno, titulo ac dignitate Basilicae Minoris « motu proprio » decoravimus. Nunc quidem, instante Venerabili Fratre Theodoro Edgario McCarrick, sacrorum Antistite memoratae archidioecesis, per litteras die xin praeteriti mensis Octobris datas, ratis plane habitis iis, quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, tributis a Nobis facultatitbus, hac in re egit, summa Apostolica potestate cathedrali ecclesiae, quam diximus, perquam libenter concedimus omnia iura ac liturgicas concessiones, quae templis hoc nomine insignitis rite competunt, iis tamen servatis, quae secundum Decretum « de titulo Basilicae Minoris » die ix mensis Novembris anno MCMLXXXIX editum, servanda sunt. Has denique Litteras nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxn mensis Decembris, anno MCMXCV, Pontificatus Nostri duodevicesimo.

& ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ffi Sigilli
In Secret. Status tab., n. 384.842

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO PRO ECCLESIIS ORIENTALIBUS

PROVISIO ECCLESIARUM

I

Latis decretis a Congregatione pro Ecclesiis Orientalibus, Sanctissimus Dominus Ioannes Paulus Pp. II per Apostolicas sub plumbo litteras iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit Praesules:

die 5 Ianuarii 1995. — Cathedrali Ecclesiae Neo-Vestmonasteriensi Ucrainorum R. P. Severianum Yakymyshyn ex Ordine Basiliano S. Iosaphat.

— Titulari episcopali Ecclesiae Trapezuntinae Armenorum R. P. Ioannem Tertsakian ex Ordine Mechitaristarum Venetiarum eumque constituit Exarchum Apostolicum Exarchiae Armenae Foederatarum Civitatum Americae Septemtrionalis et Canadae.

die IS Maii. — Ecclesiae Tellicherriensi nuper elevatae ad gradum metropolitanum Exc.mum P. D. Georgium Valiamattam hucusque ibidem Episcopum.

— Ecclesiae Trichuriensi pariter elevatae ad gradum metropolitanum Exc.mum P. D. Iosephum Kundukulam hucusque ibidem Episcopum.

— Cathedrali Ecclesiae Thamarasserrensi Exc.mum P. D. Iacobum Thoomkuzhy hucusque Episcopum Manantodiensem.

die 12 Octobris. — Titulari Ecclesiae Abilenae Lysaniae R. P. Georgium Kahhale (Zouhairaty) ex Ordine Basiliano Aleppensi Melkitarum eumque constituit Exarchum Apostolicum Caracensis Graecorum Melkitarum atque Visitatorem Apostolicum fidelium Melkitarum in Argentina degentium.

die 6 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae nuper erectae Dominae Nostrae Martyrum Libanensium in Civitate Mexicana Maronitarum R. D. Wadih Tayah e clero Ecclesiae Metropolitanae Anteliensis Maronitarum.

die 6 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae nuper erectae Dominae Nostrae Liberationis Novarcensis Syrorum R. D. Iosephum Younan e clero Ecclesiae Metropolitanae Kassakensis et Nisibenae.

— Cathedrali Ecclesiae Passaicensi Ruthenorum Exc.mum P. D. Andream Pataki hucusque Episcopum Parmensem Ruthenorum.

— Cathedrali Ecclesiae Saskatoonensi Ucrainorum R. P. Cornelium Pasichny ex Ordine Basiliano S. Iosaphat.

die 21 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae nuper erectae Barentuanae R. P. Lucam Milesi ex Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum, hucusque Administratorem Apostolicum Vicariatus Apostolici Asmarensis Latinorum, recenter suppressi.

— Cathedrali Ecclesiae nuper erectae Kerensi R. D. Tesfamariam Bedho hucusque Protosyncellum Asmarensem.

die 11 Ianuarii 1996. — Cathedrali Ecclesiae Lugosiensi Ex.mum P. D. Alexandru Mesian, hactenus Coadiutorem eiusdem sedis episcopalis.

die 14 Martii. — Titulari episcopali Ecclesiae Acalissensi R. D. Ivan Ljavinec, hactenus Syncellum Episcopi Presoviensis, quem constituit Exarchum Apostolicum pro christifidelibus catholicis ritus byzantini slavorum noviter erectae Exarchiae in Republica Cecha.

II

Sanctissimus Dominus Ioannes Paulus Pp. II assensum ad normam cann. 182 §§ 3-4 et 185 CCEO sequentibus provisionibus episcopalibus, rite peractis, dedit, nempe:

in synodo Episcoporum Ecclesiae Syrae

die 24 Iunii 1995. — Cathedrali Ecclesiae Cahirensi Syrorum R. D. Iosephi Hannouche e clero eiusdem Ecclesiae.

— Titulari Ecclesiae Arethusiae Syrorum R. D. Iosephi Melki e clero Ecclesiae Metropolitanae Hassakensis et Nisibensis Syrorum.

— Titulari Ecclesiae Bathnensi Syrorum R. D. Eliae Tabe e clero Ecclesiae Metropolitanae Hassakensis et Nisibensis Syrorum.

in Synodo Episcoporum Ecclesiae Graeco-Melkitae

die 31 Iulii 1995. — Metropolitanae Ecclesiae Laodicenae Graecorum Melkitarum R. P. Fares Macaron e Missionariis Sancti Pauli.

die 2 Augusti. — Metropolitanae Ecclesiae Aleppensi Graecorum Melkitarum R. D. Ioannis Clementis Ieanbart e clero eiusdem Ecclesiae.

in synodo Episcoporum Ecclesiae Maronitae

die 10 Iunii 1995. — Cathedrali Ecclesiae Heliopolitanae-Rubrimonasteriensi Maronitarum R. D. Mounged El-Hachem e clero Ecclesiae Gibailensis.

in synodo Episcoporum Ecclesiae Chaldaeae

die 5 Maii 1995. — Metropolitanae Ecclesiae Sehnaënsi tamquam Coadiutoris R. D. Ramzi Garmou ibidem hucusque Protosyncelli.

in synodo Episcoporum Ecclesiae Armenae

die 11 Novembris 1994. — Titulari Ecclesiae Caesariensi in Cappadocia Armenorum R. D. Emmanuelis Batakian e clero patriarchali.

in synodo Episcoporum Ecclesiae Ucrainae

die 3 Februarii 1996. — Cathedrali Ecclesiae Stanislaopolitanae tamquam Coadiutorem R. P. Sofron Mudry, ex Ordine S. Basilii Magni.

III

Sanctissimus Dominus Ioannes Paulus Pp. II benedixit sequentes translationes synodaliter peractas ad normam can. 85 § 2 n. 2:

in synodo Episcoporum Ecclesiae Graeco-M elkitae

die 28 Iulii 1995. — Exc.mi P. D. Georgii Riashi B.C. ab Ecclesia Cathedrali Sancti Michaelis Sydneyensi ad Ecclesiam Metropolitanam Tripolitanam Graeco-Melkitarum.

in synodo Episcoporum Ecclesiae Chaldaeae

die 24 Octobris 1995. — Exc.mi P. D. Yousif Thomas ab Ecclesia Metropolitana Basrensi ad Ecclesiam Cathedralem Berytensem retinentis titulum personalem archiepiscopi.

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus Pp. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet:

die 10 Februarii 1996. — Cathedrali Ecclesiae Diacovensi, seu Bosnensi et Sirmiensi, Episcopum Coadiutorem Exc.mum P. D. Marinum Srakic, hactenus Episcopum titularem Cercinitanum et Auxiliarem eiusdem dioecesis.

die 28 Februarii. — Metropolitanae Ecclesiae Uberabensi Exc.mum P. D. Aloisium Rochum Oppermann, hactenus Episcopum Campaniensem in Brasilia.

die 2 Martii — Metropolitanae Ecclesiae Arequipensi Exc.mum P. D. Aloisium Sánchez-Moreno Lira, hactenus Episcopum Praelatum Yauyosensem.

die 6 Martii. — Titulari episcopali Ecclesiae Novensi R. D. Aloisium De Magistris, e clero archidioecesis Calaritanae, Paenitentiariae Apostolicae Regentem.

die 7 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Saskatoonensi, R. D. Iacobum Weisgerber, e clero archidioecesis Reginatensis, a secretis Conferentiae Episcoporum Canadae.

die 8 Martii. — Titulari episcopali Ecclesiae Forconiensi R. D. Ansgarium Urbina Ortega, Vicarium episcopalem archidioecesis Bogotensis, quem constituit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Mutecitanae R. D. Ferdinandum Sabogal Viana, e clero dioecesis Zipaquirensis, a secretis adiutorem Conferentiae Episcoporum Columbiae, quem constituit Auxiliarem archidioecesis Bogotensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Troyniensi R. D. Octavium Ruiz Arenas, e clero archidioecesis Bogotensis, Congregationis pro Doctrina Fidei officialem, quem constituit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 11 Martii 1996. — Cathedrali Ecclesiae Catharensi R. D. Eliam Janjic, curionem et decanum paroeciae in urbe vulgo Herceg Novi.

die 15 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Cordubensi Exc.mum P. D. Franciscum Xaverium Martínez Fernández, hactenus Episcopum titularem Volitanum et Auxiliarem Matritensem.

die 16 Martii. — Archiepiscopum Coadiutorem Aquilanum Exc.mum P. D. Iosephum Molinari, hactenus Episcopum Reatinum.

die 25 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Siedlecensi Exc.mum P. D. Ioannem Nowak, hactenus Episcopum titularem Gemellensem in Byzacena et Auxiliarem Gnesnensem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Letaeae R. D. Iesum Murgui Soriano, episcopalem in archidioecesi Valentina Delegatum, quem constituit eiusdem Ecclesiae Auxiliarem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Urusitanae R. D. Iesum Stephanum Cátala Ibáñez, Synodi Episcoporum Officialem, quem constituit archidioecesis Valentinae Auxiliarem.

die 27 Martii. — Metropolitanae Ecclesiae Palmensi in Brasilia, noviter erectae, Exc.mum P. D. Albertum Taveira Correa, hactenus Episcopum titulo Sinnipsensem et archidioecesis Brasiliapolitanae Auxiliarem.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza:

Sabato, 2 Marzo 1996, S. E. il Signor JOSÉ MARÍA FIGUERES OLSEN, **Presidente della Repubblica di Costa Rica.**

Giovedì, 7 Marzo 1996, S. E. il Signor ANDREJ STER, **Ministro degli Affari Interni della Repubblica di Slovenia.**

Martedì, 12 Marzo 1996, S. E. il Signor DON MCKINNON, **Ministro degli Affari Esteri della Nuova Zelanda.**

Giovedì, 28 Marzo 1996, S. E. il Signor ANTONIO GUTERRES, **Primo Ministro del Portogallo**

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Breve Apostolico il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

4 marzo 1996. Il sac. Hanna Alwan, dei Missionari Libanesi Maroniti, ***Prelato Uditore del Tribunale della Rota Romana.***

6 » » S. E. mons. Lajos Kada, Arcivescovo tit. di Tibica, Nunzio Apostolico in Spagna, ***Nunzio Apostolico nel Principato di Andorra.***

9 » » S. E. mons. Giovanni Tonucci, Arcivescovo tit. di Torcello, ***Nunzio Apostolico nella Repubblica del Kenya.***

18 » » S. E. mons. Rino Passigato, Arcivescovo tit. di Nova di Cesare, ***Nunzio Apostolico in Bolivia.***

» » » S. E. mons. Ambrose B. De Paoli, Arcivescovo tit. di Lares, Nunzio Apostolico in Sud Africa, ***Nunzio Apostolico nella Repubblica di Namibia.***

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

18 gennaio 1996. S. E. mons. Alphonsus Mathias, Arcivescovo di Bangalore; S. E. mons. Bernard **Agre,** Arcivescovo di Abidjan; il rev.do Germain Rasoelison; il dr. Mañana Setiadharma; fratel Anthony Rogers, F.S.C.; il sig. Carlos Custer; la sig.ra Janna Matlary; il prof. Stanley Muschett Ibarra; la sig.ra Nancy E. Wisdo; il sig. Jerome Vignon; la sig.ra Marie-Claire Beccalossi, ***Membri del Pontificio Consiglio della Giustizia e della Pace « ad quinquennium ».***

9. In occidentali orbe aliae complures vitae religiosae institutiones aetatum decursu effloruerunt, in quibus innumerabiles homines, saeculum respuentes, per publicam consiliorum evangelicorum professionem Deo sese tradiderunt, pro peculiari charismate et in stabili quadam vitae communis forma [17] ***ad multiplex populi Dei apostolicum ministerium.*** Eiusmodi sunt variae familiae Canonicorum Regularium, Ordines mendicantes, Clerici Regulares atque generatim virorum ac mulierum religiosae Congregationes apostolicae operae missionalique destinatae et operibus multiplicibus quae excitare potuit christiana caritas.

Mirabiliter varia est testificatio, in qua quasi in speculo referuntur multiplicia dona fundatoribus ac conditricibus a Deo distributa, qui, Spiritus Sancti impulsui oboedientes, interpretari temporum signa scierunt ac illuminata mente necessitatibus respondere paulatim exorientibus. Eorum ingredientes vestigiis tot alii sermone et opere studuerunt Evangelium sua in vita quasi corpore induere, ut sua quisque aetate revocarent vivam Iesu praesentiam qui insigniter est Consecratus et Apostolus Patris. Ideo religiosi religiosaeque necesse est quoque saeculo se ipsi in Christo Domino tamquam in speculo contueantur suaque in precatione altam cum Eo sensuum communionem alant (cfr ***Philp*** 2, 5-11), unde omnis eorum vita penetretur animo apostolico et omnis pariter industria apostolica contemplatione pervadatur.[18]

[15] **Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae caritatis,* 7; Decr. de activitate missionali Ecclesiae *Ad gentes,* 40.**

[16] **Cfr *Propositio* 6.**

[17] **Cfr *Propositio* 4.**

[18] **Cfr *Propositio 1.***

Instituta saecularia

10. Spiritus Sanctus mirabilis ipse artifex donorum diversitatis, nostris quidem diebus ***nova consecratae vitae genera*** evocavit, veluti si, ad consilium quoddam providentiae, novis respondere velit postulatis quibus hodie occurrit Ecclesia suum inter homines exsequens munus.

In ***saecularia Instituta*** praeprimis intenditur animus, quorum contendunt sodales ***consecrationem Deo factam complere in terris vivendo*** per evangelicorum consiliorum professionem intra temporalis societatis adiuncta, ut ita quasi fermentum sapientiae sint gratiaeque testes media in ipsa culturali vita oeconomica et politica. Per coniunctionem, quae eorum est praecipua, condicionis saecularis cum religiosa consecratione ipsi ***recentes Regni Christi vires in societatem inicere*** cupiunt ea mente ut intrinsecus terrarum orbem immutent ipsa Beatitudinum virtute. Hoc pacto, dum plena eorum condicio pertinendi ad Deum eos plane servituti Dei devovet, eorum industria communibus in laicorum condicionibus, Spiritu instigante, aliquid imbuendis affectu evangelico saecularibus rebus confert. Adiuvant ita saecularia Instituta ut, secundum cuiusque peculiare charisma, efficax in societate Ecclesiae confirmetur praesentia.[19]

Magni etiam pretii partes sustinent ***saecularia Instituta clericalia,*** in quibus sacerdotes ad presbyterium dioecesanum pertinentes, etiam cum eorum quibusdam tribuitur Instituto in suo incardinatio, Christo consecrantur consilia evangelica perficientes proprio ex charismate. Reperiunt ipsi in sui Instituti spiritalibus divitiis validum adiumentum ut ardenter agant spiritalitatem sacerdotii peculiarem atque sic communionis magnanimaeque apostolicae operae fermento sint inter confratres.

Vitae apostolicae Societates

11. Peculiari deinde dignae sunt commemoratione ***vitae apostolicae Societates*** seu communis vitae, virorum et mulierum, quae suo quaeque genere proprium apostolicum vel missionale persequuntur propositum. Earum in multis, quarum sacra vincula ab Ecclesia publice agnoscuntur, evangelica consilia expresse suscipiuntur. Verumtamen etiam haec earum consecrationis proprietas ab Institutis religiosis et saecularibus Institutis illas distinguit. In tuto est collocanda ac provehenda huius vivendi formae proprietas, quae recentiora per saecula tot tantosque peperit sanctitatis et apostolatus

Cfr *Propositio* **11**

fructus, praesertim in caritatis provincia ac in missionali Evangelii propagatione.[20]

Nova consecratae vitae genera

12. Perennis Ecclesiae iuventus etiam hodie sese ostentare pergit: proximis enim decenniis, post nempe Concilium Vaticanum II, ***novae sive renovatae formae exstiterunt ipsius consecratae vitae.*** Saepenumero de Institutis agitur quae prioribus iam exstantibus similia sunt, verum ex novis spiritalibus et apostolicis impulsionibus enata. Vitalis eorum vigor oportet ab Ecclesiae auctoritate excutiatur, cuius est necessarias experiri probationes quibus et finis concitantis veritas confirmetur simulque nimia institutionum inter se consimilium multitudo vitetur, imminente scilicet periculo ne magno cum detrimento in parvulos manipulos diffringantur. Alias vero de experimentis agitur primis quae propriam quandam in Ecclesia identitatem quaerunt atque praestolantur donec a Sede Apostolica publice agnoscantur, cuius solius est ultimum ferre iudicium.[21]

Testificantur novae hae vitae consecratae formae, quae antiquis subiunguntur, constans illud invitamentum quod plena sui donatio Domino facta, communitatis apostolicae species, ipsius fundationis charismata non cessant exserere in hanc nostram aetatem, et pariter indicium sunt donorum Spiritus Sancti inter se complentium.

Attamen in novitate ipsa non Spiritus sibi contradicit. Hoc inde comprobatur quod nova genera consecratae vitae non dimoverunt praecedentia. Intra sic multiplicem varietatem adservari potuit fundamentalis unitas eandem propter vocationem ut quis perfectam conquirens caritatem Iesum sectetur castum, pauperem atque oboedientem. Quemadmodum in formis iam vigentibus reperitur, haec vocatio etiam ita in illis poscitur quae ut novas se praebent.

Adhortationis Apostolicae finis

13. Operum synodalium uberem Nos colligentes proventum, universam convertimur ad Ecclesiam hac ipsa Apostolica Adhortatione ut non unis consecratis hominibus, verum etiam pastoribus fidelibusque ***fructus compa-***

[20] Cfr *Propositio* 14.

[21] Cfr *Codex Iuris Canonici,* can. 605; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium,* can. 571; *Propositio* 13.

rationis alicuius stimulantis off eramus, cuius progressionibus invigilare non destitit Sanctus Spiritus sua per veritatis amorisque munera.

His renovationis annis obiit difficile laboriosumque tempus consecrata vita perinde ac ceterum reliquae vivendi viae in Ecclesia. Abundavit eadem haec aetas exspectationibus, conatibus et renovationis propositionibus eo nimirum spectantibus ut consiliorum evangelicorum professio corroboraretur. Verum haud contentionibus laboribusque caruit idem temporis spatium, quo videlicet experientiae vel beneficae non semper secundis consummatae sunt effectibus.

Difficultates tamen ad animi debilitatem minime adducere debent. Oportet potius nova alacritate vires recipere, quia consecratae renovatae vitae ac roboratae Ecclesia eget spiritali apostolicoque auxilio. Hac ideo postsynodali Adhortatione appellare volumus religiosas communitates nec non ipsas consecratas personas eodem quidem animo quo epistula christianis Antiochenis ex Concilio Hierosolymitano data respirabat, dum simul idem illud experiri confidimus liciturum quod tunc descriptum fuit: « Quam cum legissent, gavisi sunt super consolatione» ***(Act*** 15, 31). Nec id solum: speramus enim etiam augescere posse laetitiam totius Dei populi, qui melius vitam consecratam perspiciens, magis conscia mente gratias reddere omnipotenti Deo hoc pro insigni dono poterit.

Animum nostrum benigne quidem Synodi sodalibus aperientes, fructuose utiliterque usi sumus sententiis praestantibus quae per actuosas Synodi sessiones prodierunt, quibus assidue interesse voluimus. Eodem aequabiliter tempore universo Dei Populo ministrare studuimus catechesis institutiones quasdam ordinatas de consecrata vita in Ecclesia. In iis praecepta revocavimus quae iam in documentis insunt Concilii Vaticani II, quod quidem clarum exstitit destinatum subsequentium doctrinalium enucleationum ipsiusque considerationis a Synodo effectae dum eius peragebantur ardentes elaborationes.[22]

Dum sane optamus ut Ecclesiae filii, praesertim vero consecratae personae amanti animo hanc etiam accipiant Adhortationem, vota facimus ut progrediatur pervestigatio ad altius eximium vitae consecratae donum excutiendum triplici illo modo consecrationis communionis et missionis, utque consecratae personae, arte cum Ecclesia cumque eius Magisterio coniunctae nova detegant incitamenta unde spiritali et apostolica ratione nascentibus obviam procedant provocationibus.

[22] **Cfr *Propositiones* 3. 4. 6. 7. 8. 10. 13.. 28. 29. 30. 35. 48.**

CAPUT I
CONFESSIO TRINITATIS
Ad christologicas trinitariasque origines consecratae vitae

Transformati Christi effigies

14. Evangelicum vitae consecratae fundamentum conquirendum est peculiari in illa necessitudine quam Iesus cum quibusdam suis iniit discipulis, quos nempe non solum ut Regnum Dei suam acciperent in vitam est hortatus, verum etiam ut eandem omnem vitam in huius Evangelicae causae ministerium destinarent, omnibus posthabitis rebus et ipsi illius ***vitae formam*** proxime imitantes.

Talis quidem « Christiformis » exsistentia, decursu saeculorum tot baptizatis proposita, duci tantummodo potest singulari ex vocatione et pro spiritus dono proprio. Etenim in illa perducitur baptismalis consecratio ad fundamentalem quandam in Christi sequela responsionem, per consiliorum evangelicorum susceptionem quorum primum necessariumque est castitatis propter Regnum Caelorum sacrum vinculum.[23] Haec autem unica Christi sequela suis in fontibus semper denotat consilium Patris proptereaque fundamentum suapte natura christologicam et pneumatologicam notam praebet, dum trinitariam vitae christianae maxime vividam declarat indolem, cuius iam quodammodo adimpletionem antecedit ***eschatologicam*** ad quam Ecclesia contendit.[24]

Complures inveniuntur in Evangelio Christi voces atque gestus quibus peculiaris huius vocationis collustratur sensus. Ut tamen uno veluti conspectu simul necessariae eius percipiantur notae, utilissimum videtur oculos in splendescentem Christi vultum intendere intra Transfigurationis mysterium. Hanc enim ad « iconem » omnis antiqua refertur spiritalis traditio, quotiens contemplativam vitam coniungit cum Iesu « in monte » oratione.[25] Ad eam praeterea ipsae « actuosae » rationes vitae consecratae quadamtenus

[23] Cfr *Propositio* 3, A et B.

[24] Cfr *Propositio* 3, C.

[25] Cfr S. CASSIANUS: «Secessit tamen solus in monte orare, per hoc scilicet nos instruens suae secessionis exemplo... ut similiter secedamus» *(Conlat.* 10, 6: *PL* 49, 827); S. HIERONYMUS: « Et Christum quaeras in solitudine et ores solus in monte cum Iesu » *(Ep. ad Paulinum* 58, 4, 2: *PL* 22, 582); VILLELMUS ABBAS S. THEODORICI: « (Vita solitaria) ab ipso Domino familiarissime celebrata, ab eius discipulis ipso praesente concupita: cuius transfigurationis gloriam cum vidissent qui cum eo in monte sancto erant, continuo Petrus... optimum sibi iudicavit in hoc semper esse » *{Ad fratres de Monte Dei* I, 1: *PL* 184, 310).

redigi possunt, quandoquidem non una gloriae Christi revelatio est Transfiguratio, verum etiam praeparatio ad eius amplectendam crucem. Prae se enim fert motum quendam « ascendentium in montem » atque « de monte descendentium »: discipuli qui intima Magistri familiaritate usi sunt, aliquantisper trinitariae vitae sanctorumque communionis circumdati fulgore, paene ad aeterni aevi orbem abrepti, repente ad cotidianam reducuntur vitam ubi non cernunt nisi « Iesum solum » in naturae humanae humilitate, atque monentur ut in vallem revertantur ubi cum ipso laborem persolvant ipsius Dei consilii crucisque fortiter suscipiant viam.

« Et transfiguratus est ante eos... »

15. ***Et post dies sex assumit Iesus Petrum et Iacobum et Ioannem fratrem eius et ducit illos in montem excelsum seorsum. Et transfiguratus est ante eos; et resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut lux. Et ecce apparuit illis Moyses et Elias cum eo loquentes.***

Respondens autem Petrus dixit ad Iesum:

« Domine, bonum est nos hic esse. Si vis, faciam hic tria tabernacula: tibi unum et Moysi unum et Eliae unum ».

Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos; et ecce vox de nube dicens:

« Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipsum audite ».

Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam et timuerunt valde.

Et accessit Iesus et tetigit eos dixitque eis: « Surgite et nolite timere ».

Levantes autem oculos suos, neminem viderunt nisi solum Iesum.

Et descendentibus illis de monte, praecepit eis Iesus dicens:

« Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat » (Mt 17, 1-9).

Transfigurationis eventus ***decretorium momentum in Iesu ministerio*** designat. Revelationis est eventus quae in discipulorum animis fidem corroborat eosque ad Crucis praeparat tragoediam atque resurrectionis antecapit gloriam. Perpetuo hoc mysterium repetit vivendo Ecclesia utpote populus in itinere ad occursum eschatologicum suo cum Domino. Quemadmodum tres praeoptati Apostoli, transformatum Christi vultum contemplatur Ecclesia ut se in fide confirmet et periculum declinet ne ante deformatum ipsius vultum in Cruce perturbetur. Hic et illic illa Sponsa coram Sponso consistit, eius particeps mysterii eiusque luce circumfusa.

Eadem hac luce omnes illius attinguntur filii et filiae, ***cuncti similiter ad Christi sequelam vocati*** in eo supremum propriae vitae sensum reponentes ut cum Apostolo dicere possint: «Mihi vivere Christus est» ***(Philp*** 1, 21). Verumtamen singulariter ***lucem experiuntur ex Verbo incarnato profluentem*** sine dubio homines ad vitam consecratam arcessiti. Evangelicorum enim consiliorum professio ***tamquam signum vaticiniumque*** illos ostendit fratrum communitati ipsique mundo. In iis ideo fieri non potest quin imaginem quandam vocis habeant verba Petri quasi in ecstasi prolata: « Bonum est nos hic esse» ***(Mt*** 17, 4). Quae verba patefaciunt quidem totius christianae vitae christocentricam contentionem. Sed singulari etiam eloquentia ***absolutum*** exprimunt characterem in quo vocationis ad consecratam vitam densatur alta alacritas: « Quam pulchrum est Tecum commorari, Tibi nos dedicare, in Te unum omnem nostram dirigere vitam ». Re vera, qui specialis huius communionis amoris cum Christo recepit donum, eius splendore ut raptum se percipit: Ipse enim est « speciosus forma ... prae filiis hominum» ***(Ps*** 45 [44], 3), Incomparabilis ille.

« Hic est Filius meus dilectus: ipsum audite! »

16. Patris appellatio tres hortatur discipulos in ecstasim captos ut in Eo omnem reponant fiduciam Eumque vitae suae centrum constituant. Novam sane altitudinem a voce e caelo edita comparat invitatio qua Iesus in ipso vitae publicae limine eos ad suam vocaverat sequelam eosque ab usitatis eripuerat negotiis ut in suam admitteret consuetudinem. Ex hac praecipue singulari gratia intimae familiaritatis profluit in vita religiosa et facultas et necessitas donationis plenae sui ipsius in consiliorum evangelicorum professione. Prius et plus quam renuntiatio haec sunt ***propria mysterii Christi receptio,*** in media Ecclesia completa.

Intra enim vitae christianae unitatem diversae vocationes velut radii sunt unici luminis Christi « super faciem Ecclesiae resplendentis ».[26] Pro suae vocationis saeculari natura eatenus ***laici*** referunt Verbi incarnati mysterium quatenus id totius mundi Alpha et Omega exsistit, fundamentum et regula virtutis omnium rerum creatarum. Christi vicissim capitis pastorisque imagines vivae sunt ***ministri sacri,*** qui suum populum hoc tempore illius « iam et nondum » regit, praestolantes eius cum gloria reditum. Concreditur ***consecratae vitae*** officium indicandi Filium Dei hominem factum sicut ***eschatologi-***

[26] **CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 1.**

eam metam ad quam omnia tendunt, splendorem coram quo reliquae omnes expallescunt luces, pulchritudinem infinitam quae sola hominis cordi penitus satisfacere potest. Consecrata igitur vita non tantum illud postulat ut aliquis Christum sequatur toto corde, Eum amando super patrem et matrem, super filium et filiam (cfr ***Mt*** 10, 37), sicut a quolibet exposcitur discípulo, sed ut ea vivatur ratione qua totius exsistentiae assensio Christo accommodata significetur quae universam contentionem prodat praecapientem, prout semper sinunt atque ad charismata propria, eschatologicam perfectionem.

Per consiliorum namque professionem non modo de Christo haurit homo consecratus vitae suae significationem, verum in se redintegrare, quantum fieri potest, nititur « formam quoque vitae, quam Filius Dei accepit mundum ingrediens ».[27] ***Virginitatem*** amplectens suum efficit virginalem Christi amorem quem hominibus confitetur uti unigenitum Filium, unum cum Patre (cfr ***Io*** 10, 30; 14, 11); eius dein ***paupertatem*** imitans, Filium eum profitetur, qui a Patre omnia recipit eique omnia in amore restituit (cfr ***Io*** 17, 7.10); suae libertatis sacrificio adhaerescens ad filialis eius ***oboedientiae*** mysterium, infinito modo et amatum et amantem eum profitetur, qui sola Patris voluntate gaudet (cfr ***Io*** 4,34), quocum coniungitur perfecte et a quo in omnibus dependet.

Hanc « conformati vam » inducens mysterii Christi assimilationem, consecrata vita peculiari titulo implet illam ***« Trinitatis confessionem »*** qua cuncta signatur christiana vita, dum sublimem Dei Patris, Filii et Spiritus Sancti admiratam venustatem agnoscit et cum laetitia testificatur benevolam ipsius dignationem erga omnem hominem.

I. AD TRINITATIS LAUDEM

A Patre ad Patrem: Dei inceptum

17. « Hic est Filius meus dilectus: ipsum audite! » ***(Mt*** 17, 5). Gloriae Domini Iesu contemplatio in Transfigurationis icone ante omnia detegit personis consecratis Patrem omnium bonorum conditorem ac largitorem, qui ad se creaturam quandam suam allicit (cfr ***Io*** 6, 44) singulari quodam amore et ad peculiare quoddam munus. Huic obtemperans invitationi intima cum attractiva virtute coniunctae, vocata persona Dei amori se tradit

[27] ***Ibid.,*** 44.

qui ad suum solius ministerium eam vocat, totamque se Ipsi devovet et eius salutis consilio (cfr ***1 Cor*** 7, 32-34).

Hic vocationis ad vitam consecratam significatio tota consistit: totum Patris ipsius inceptum est (cfr ***Io*** 15, 16), quod ab iis qui electi sunt postulat responsionem.[28] Huius gratuiti Dei amoris experimentum adeo intimum vehemensque est ut eadem persona sibi respondendum esse sentiat absoluta vitae suae donatione, omnia tam praesentia quam futura illius manibus commendans. Hac prorsus de causa, ad sancti Thomae Aquinatis mentem, intellegi potest personae consecratae identitas, initio ducto ab ipsa universitate eius doni, quod holocausto vero par iudicari potest.[29]

Per Filium: in Christi vestigiis

18. Filius, qui ut via ad Patrem ducit (cfr ***Io*** 14, 6), omnes vocat quos dedit ei Pater (cfr ***Io*** 17, 9) eam ad sequelam qua tota ordinatur vita. Ab aliquibus tamen — vitae nempe consecratae sodalibus — deditionem universalem flagitat, quae secum infert omnium rerum abdicationem (cfr ***Mt*** 19, 27) ut intime cum Eo vivant[30] eumque sequantur quocumque ierit (cfr ***Apc*** 14, 4).

In Iesu vultu (cfr ***Me*** 10, 21), qui est «imago Dei invisibilis» ***(Col*** 1, 15), splendor gloriae Patris (cfr ***Heb*** 1, 3), excelsitas percipitur aeterni infinitique amoris qui radices ipsius exsistentiae tangit.[31] Qui eo se sinit capi homo, non potest quin omnia deserat eumque sequatur (cfr ***Me*** 1, 16-20; 2, 14; 10, 21.28). Haud secus ac Paulus arbitratur omnia «detrimentum esse propter eminentiam scientiae Christi Iesu», cuius in comparatione non dubitat affirmare: «Omnia ... arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam » ***(Philp***'3, 8). Magnopere cupit unum idem cum Illo fieri, eiusque affectus vivendique mores sibi asciscere. Hoc consilium omnia relinquendi ac Dominum sequendi (cfr ***Lc*** 18, 28) rationem efficit omnibus vocatis hominibus valentem omnibusque aetatibus.

Evangelica consilia, quibus nonnullos Christus appellat ut suam virginis vitam secum partiantur et pauperis et oboedientis, poscunt et ostendunt,

[28] Cfr CONGREGATIO PRO RELIGIOSIS ET INSTITUTIS SAECULARIBUS, Instr. *Essentia! éléments in the Church's teaching on Religious Life as applied to Institutes dedicated to works of the apostolate* (31 Maii 1983), 5: *Ench. Vat.,* 9, 184.

[29] Cfr *Summa Theologiae,* II-II, q. 186, a. 1.

[30] Cfr *Propositio* 16.

[31] Cfr IOANNES PAULUS PP. II, Adhort. Ap. *Redemptionis donum* (25 Martii 1984), 3: *AAS* 76 (1984), 515-517.

in iis quotquot ea complectuntur, ***expressam cupiditatem se Illi penitus conformandi.*** « Vivendo in oboedientia, sine proprio et in castitate »,[32] testificantur consecrati homines Exemplar esse Iesum in quo consummationem suam omnis assequitur virtus. Etenim eius species vitae castae, pauperis et oboedientis elucet ut severissimus modus Evangelii vivendi his in terris, modus qui dici potest ***divinus,*** quoniam receptus est ab Ipso Homine-Deo tamquam significatio eius coniunctionis Filii unigeniti cum Patre et cum Spiritu Sancto. Haec causa est cur in christiana traditione semper factus sit sermo de ***concreta vitae consecratae praestantia.***

Nec vero negari licet consiliorum evangelicorum observationem secum importare viam insigniter intimam ac fecundam communicandi ipsius ***operis Christi*** ad Mariae Nazarethanae exemplum, primae scilicet discipulae, quae in divini consilii ministerium per integram sui ipsius donationem tradere consensit. Omne enim munus eodem incipit animi habitu quem Maria in annuntiatione prodidit: « Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum » ***(Lc*** 1, 38).

In Spiritu: a Spiritu Sancto consecrati

19. «Nubes lucida obumbravit eos» ***(Mt*** 17, 5). Transfigurationis insignita spiritualis explanatio Spiritus Sancti imaginem hac in nube detegit.[33]

Perinde ac omnis christiana vita, etiam ad consecratam vitam vocatio arte cum Spiritus Sancti coniungitur opere. Ipse enim per saecula novos semper allicit homines ut electionis ita obligantis fascinationem percipiant. Eo scilicet agente quadamtenus iterum experiuntur illi prophetae Ieremiae adfectum: « Seduxisti me, Domine, et seductus sum» (20, 7). Spiritus enim responsionis plenae cupiditatem excitat; ipse praeterea facit ut eadem voluntas crescat cum ad maturationem perducit affirmantem responsionem eiusque fidelem sustinet exsecutionem; ille vocatorum animum fingit et conformat Christo casto pauperi et oboedienti eos aptans eosque impellens ut eius munus suum faciant. Cum a Spiritu se duci patiuntur in perpetuo purificationis itinere, fiunt singulos in dies ***homines Christiformes,*** continuatio in historia singularis praesentiae Domini resuscitati.

Intuitu quodam acerrimo Ecclesiae Patres hoc spiritale iter ***phylocaliam*** appellaverunt, sive ***divinae pulchritudinis amorem,*** quae bonitatis divinae

[32] S. FRANCISCUS ASSISIENSIS, *Regula buttata,* I, 1.

[33] « Tota Trinitas apparuit: Pater in voce, Filius in homine, Spiritus in nube clara »: S. THOMAS AQUINAS, *Summa Theologiae,* III, 45, a. 4, ad 2.

est fulgor. Qui Spiritus Sancti virtute ducitur paulatim ad plenam cum Christo conformationem, in se lucis inaccessibilis radium refert suaque in peregrinatione terrestri procedit ad inexhaustum usque lucis Fontem. Hoc modo consecrata vita significatio evadit singulariter profunda Ecclesiae Sponsae, quae a Spiritu instructa ut Sponsi in se repetat lineamenta, se Illi exhibet «gloriosam ... non habentem maculam aut rugam aut aliquid eiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata» ***(Eph*** 5, 27).

Idem proinde Spiritus non de hominum historia vocatos a Patre subtrahit, verum eos ad fratrum et sororum servitutem destinat proprias secundum eorum vitae condiciones, eosque dirigit ut munia peculiaria compleant secundum Ecclesiae hominumque necessitates per diversorum Institutorum propria charismata. Hinc quidem multiplices vitae consecratae enascuntur formae, quibus Ecclesia est « variis donis filiorum suorum decorata ... sicut sponsa ornata viro suo (cfr ***Apc*** 21, 2) »[34] et omnibus opibus locupletatur suum in mundo ut officium exsequatur.

Evangelica consilia, Trinitatis donum

20. Ante omnia ideo sunt evangelica consilia ***sanctissimae Trinitatis donum.*** Annuntiatio est vita consecrata earum rerum quas suo amore Deus efficit, sua bonitate et pulchritudine. Nam «status religiosus ... Regni Dei super omnia terrestria elevationem eiusque summas necessitudines peculiari modo patefacit; supereminentem quoque magnitudinem virtutis Christi regnantis atque infinitam Spiritus Sancti potentiam, in Ecclesia mirabiliter operantem, demonstrat ».[35]

Primum illud est vitae consecratae officium ut ***adspectabilia reddat*** mirabilia quae in hominum vocatorum fragili natura operatur Deus. Non verbis, sed transfiguratae vitae suadenti eloquio testantur ipsi haec mirabilia gratiae portenta, quae Dominus exsequitur in iis quos Ille amat, nuntiando hominum stupori respondent illi. Quatenus consecrata persona a Spiritu sinit se perduci ad perfectionis culmen, eatenus exclamare valet: « Pulchritudinem video et considero claritudinem, gratiae fulgorem tuae refero et attonitus hunc contemplor ineffabilem splendorem; de mentis potestate exeo, dum de me ipse cogito; qualis fuerim et quid sim factus video. O rem miram! a me caveo, verecundia reverentia metu abstractus, ut ante te posi-

[34] CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae caritatis,* 1.

[35] CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 44.

tus; nescio quid faciam timidus effectus, ubi eonsistam, ad quid appropinquent ubi haec membra locem quae ad te pertinent, ad quae opera, ad quas actiones eadem destinem, haec divina mirabilia me obstupefacientia ».[36] Fit hoc modo consecrata vita unum quoddam vestigium eorum quae in historia Trinitas relinquit, ut vim rapientem atque cupidinem divinae venustatis homines animadvertere possint.

In consiliis Trinitatis vitae reverberata imago

21. Cum ad sanctam sanctificantemque Trinitatem referuntur evangelica consilia, eorum patescit altior significatio. Declarant enim amorem quem adversus Patrem in Spiritus Sancti unitate habet Filius. Iis in exsequendis vivit consecrata persona vehementiore quadam vi trinitariam et christologicam naturam qua universa signatur christiana vita.

Caelibum virginumque ***castitas,*** quatenus significatio est donationis Deo factae ***indiviso corde*** (cfr ***1 Cor*** 7, 32-34), effectum praebet ***infiniti amoris*** quo in vitae trinitariae secreta altitudine tres iunguntur divinae Personae; amorem hunc Verbum incarnatum usque ad vitae suae effusionem est testificatum; amor hic « in cordibus nostris per Spiritum Sanctum » diffusus est ***(Rom*** 5, 5) atque ad caritatis plenae responsionem incitat erga Deum et fratres.

Deum unicum esse verum hominis thesaurum confitetur ***paupertas.*** Ad Christi specimen, qui « propter nos egenus factus est, cum esset dives » ***(2 Cor*** 8, 9), impleta eadem paupertas declaratio evadit ***integrae donationis sui*** quam mutuo inter se tres divinae Personae efficiunt. Donum est quod in creatione redundat seque plene in Verbi Incarnatione eiusque morte rédemptrice aperit.

Secundum Christi imitationem observata ***oboedientia,*** cuius erat cibus Patris voluntatis procuratio (cfr ***Io*** 4, 34), pulchritudinem liberantem patefacit ***filialis et haud servitis famulatus,*** ubi conscientia propriorum officiorum viget et mutua valet fiducia, quae in historia ***amorosae congruentiae*** inter divinas tres Personas est repercussio.

Quapropter destinatur consecrata vita ad perpetuo perscrutandum evangelicorum consiliorum donum veriore semper maioreque amore ad rationem ***trinitariam:*** erga ***Christum*** amore, qui ad sui ipsius compellat familiaritatem; erga ***Spiritum Sanctum*** a quo ad percipiendos eius impulsus animus

[36] SIMEON NOVUS THEOLOGUS, *Hymni,* II, w . 19-27: *SCh* 156, 178-179.

aptatur; erga ***Patrem,*** qui prima est scaturigo extremaque vitae consecratae meta.[37] Fit igitur confessio simul et Trinitatis declaratio, cuius mysterium Ecclesiae indicatur veluti exemplar atque omnis vitae christianae formae origo.

Ipsa quoque ***fraterna vita,*** cuius auxilio consecratae personae contendunt ut in Christo tales vivant quibus sit « cor et anima una » *(**Act*** 4, 32), sicut eloquens exhibetur Trinitatis confessio. ***Patrem*** enim illa profitetur, qui unam solam omnium hominum fieri vult familiam; ***incarnatum Filium*** fatetur, a quo in unitate colliguntur redempti quibus viam commonstrat exemplo suo, precatione, verbis suis et in primis morte sua, quae fons reconciliationis divisis dispersisque hominibus exsistit; ***Spiritum Sanctum*** confitetur uti Ecclesiae unitatis principium, ubi Ille haud spiritales coetus fraternasque generare desinit communitates.

Ut Christus pro Dei Regno consecrati

22. Sancto impellente Spiritu consecrata vita « pressius imitatur atque in Ecclesia perpetuo repraesentat »[38] speciem vitae quam Iesus, maximus ipse consecratus atque Patris missionarius pro illius Regno, amplexatus est discipulisque sese sequentibus proposuit (cfr ***Mt*** 4, 18-22; ***Me*** 1, 16-20; ***Lc*** 5, 10-11; ***Io*** 15, 16). Sub Iesu consecrationis lumine, detegi potest in Patris incepto omnis sanctitatis originis primarius fons consecratae vitae. Ipse enim Iesus est quem «unxit ... Deus Spiritu Sancto et virtute» *(**Act*** 10, 38), « quem Pater sanctificavit et misit in mundum » *(**Io*** 10, 36). Patris complectens consecrationem, se vicissim Filius Illi devovet propter homines (cfr ***Io*** 17, 19): virginitatis eius vita et oboeditionis et paupertatis filialem eius aperit animum totum Patris consilio deditum (cfr ***Io*** 10, 30; 14, 11). Quandam consecrationis vim omnibus terrestris eventibus vitae illius confert eius absoluta oblatio.

Insignite oboediens Ille est, qui descendit de caelis non suam ut faceret voluntatem verum eius qui misit eum (cfr ***Io*** 6, 38; ***Heb*** 10, 5.7). Suum reponit in Patris manibus vivendi agendique modum (cfr ***Lc*** 2, 49). Filii affectu oboediens, speciem induit famuli: « Semetipsum exinanivit formam servi accipiens, ... factus oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis » *(**Philp*** 2, 7-8). Hac in docilitatis affectione erga Patrem Christus, licet vitae coniugalis dignitatem sanctitatemque et sanciat et defendat, virginalis

[37] Cfr IOANNES PAULUS PP. II, Allocutio in Audientia generali (9 Novembris 1994), 4: *L'Osservatore Romano,* 10 Novembris 1994, p. 4.

[38] CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 44.

tamen vitae figuram suscipit atque revelat ita ***excelsam praestantiam et arcanum spiritalem virginitatis fecunditatem.*** Ipsius animus deditus omnino Patris consilio proditur etiam seiunctione a bonis terrestribus: « Propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis » *(2 Cor* 8, 9). ***Paupertatis eius magnitudo*** perfecta ostenditur in omnium quae eius sunt rerum donatione Patri facta.

Viventem memoriam exsistendi et modi agendi Iesu ut incarnati Verbi coram Patre fratribusque constituit revera consecrata vita. Ipsa enim vitae ac nuntii Salvatoris viva exstat traditio.

II. INTER PASCHA ET CONSUMMATIONEM

A monte Thabor ad Calvariam usque

23. Coruscans Transfigurationis eventus tragoediam haud minus gloriosam Calvariae praeparat. Una cum Moyse et Elia intuentur Dominum Iesum Petrus, Iacobus et Ioannes — prout refert evangelista Lucas — quibuscum Ille tractat suum « exodum ... quem completurus erat in Ierusalem» (9, 31). Intenduntur ergo apostolorum oculi in Iesum qui de Cruce cogitat (cfr ***Lc*** 9, 43-45). Virginalis eius erga Patrem amor nec non in omnes homines maxime illic declarabitur; ad omnium rerum destitutionem eius perveniet paupertas; oboedientia eius usque ad vitae donum.

Invitantur discipuli ac discipulae ut exaltatum contemplentur Iesum in Cruce, unde « Verbum a silentio progrediens »,[39] suo in silentio ac solitudine more prophetico perfectam Dei transcendentiam affirmat super cuncta creata, sua praeterea in carne peccatum nostrum vincit atque ad se omnem allicit virum ac feminam, novam resurrectionis vitam singulis largitus (cfr ***Io*** 12, 32; 19, 34.37). In Christi crucifixi contemplatione suum impulsum universae reperiunt vocationes: ex ea, per principale Spiritus donum, dona omnia suam ducunt originem ac praesertim consecratae vitae donum.

Post Mariam Iesu Matrem percipit Ioannes hoc munus, discipulus quem Iesus amabat, testis qui simul cum Maria sub Cruce adstabat (cfr ***Io*** 19, 26-27). Illius consilium totum sese devovendi amoris divini est effectus eum circumdantis, sustentantis eiusque replentis animum. Iuxta Mariam, inter primos Ioannes est magnae multitudinis virorum ac mulierum qui a pri-

[39] S. **IGNATIUS ANTIOCHENUS,** ***Epistula ad Magnesios*** **8, 2:** ***Patres Apostolici,*** ed. F.X. **Funk, II, 237.**

mordiis Ecclesiae usque ad eiusdem finem, amore Dei permoti, se vocari sentiunt ut Agnum immolatum ac viventem, quocumque ierit, sequantur (cfr ***Apc*** 14, 1-5).[40]

Paschalis indoles consecratae vitae

24. Variis sub vitae formis a Spiritu saeculorum decursu excitatis, experitur consecrata persona veritatem Dei-Amoris eo propius et altius quo magis sub Christi Cruce ponitur. Qui hominum oculis sua in morte deformatus videtur omnique venustate ita destitutus ut adstantes suos vultus operiant (cfr ***Is*** 53, 2-3), omnino in Cruce pulchritudinem potentiamque Dei amoris plene aperit. Sic nempe id celebrat sanctus Augustinus: « Pulcher Deus, Verbum apud Patrem. Pulcher ergo in caelo, pulcher in terra; pulcher in utero, pulcher in manibus parentum; pulcher in miraculis, pulcher in flagellis; pulcher invitans ad vitam, pulcher non curans mortem; pulcher deponens animam, pulcher recipiens; pulcher in ligno, pulcher in sepulcro, pulcher in caelo. In intellectum audite Canticum, neque oculos vestros a splendore pulchritudinis illius avertat carnis infirmitas ».[41]

Hunc amoris splendorem refert consecrata vita quia sua fidelitate erga Crucis mysterium se credere confitetur in Patrisque amore vivere et Filii et Spiritus Sancti. Hoc pacto conducit illa ut viva asservetur in Ecclesia conscientia: ***Crucem videlicet amoris Dei esse summam abundantiam super homines effluentis,*** documentum esse magnum salvificae Christi praesentiae. Id vero praesertim in difficultatibus atque tentationibus. Hoc continenter fortiterque usque ad altam admirationem testantur plurimi homines consecrati saepius in adiunctis versantes difficilibus, immo in vexationis ac martyrii condicionibus. Eorum uni Amori fidelitas demonstratur et roboratur in absconditae vitae humilitate, in dolorum receptione ut « ea quae desunt passionum Christi» in carne propria adimpleantur ***(Col*** 1, 24), in tacita abnegatione, in sui commendatione sanctae Dei voluntati, in tranquilla perseverantia etiam deficientibus viribus et propria auctoritate. Proficiscitur ex fidelitate erga Deum etiam donatio sui erga proximum, quam non sine incommodo vivunt consecratae personae continenter pro fratrum necessitatibus precantes, magnanimiter pauperibus et aegrotis f amulantes, aliorum angustias communicantes, sollicito animo angores Ecclesiaeque dolores participantes.

[40] **Cfr *Propositio* 3.**

[41] **S. AUGUSTINUS, *Enarr. in Psal. 44,* 3: *PL* 36, 495-496.**

Christi testes in orbe

25. E paschali pariter mysterio profluit ***missionalis opera*** quae quidem ratio universam Ecclesiae vitam vehementer signat. Praecipue vero in consecrata vita ipsa completur. Namque, praeter etiam omnia charismata propria illorum Institutorum quae sese missioni ***ad gentes*** dedunt aut quae in opera generis proprie apostolici incumbunt, dici potest ***missionalis indoles intrinsecus insidere cuivis vitae consecratae figurae.*** Quatenus vitam uni Patri devotam (cfr ***Lc*** 2, 49; ***Io*** 4, 34), a Christo assumptam (cfr ***Io*** 15, 16; ***Gal*** 1, 15-16), a Spiritu animatam (cfr ***Lc*** 24, 49; ***Act*** 1, 8; 2, 4), vivit consecratus homo, eatenus etiam efficaciter Domini Iesu operi adlaborat (cfr ***Io*** 20, 21) suasque admodum alta ratione partes ad orbem renovandum confert.

Primum vero missionale officium gerunt consecratae personae erga se ipsae, idque animos suos Spiritus Christi motibus aperientes exsequuntur. Eorum enim testimonium adiuvat cunctam Ecclesiam ut reminiscatur primo loco reponi gratuitum Dei famulatum, qui quidem effici potest Christi gratia interveniente per Spiritus donum credentibus communicata. Pax ita a Patre descendens hominibus nuntiatur, devotio quam Filius testificatur, ac laetitia quae Sancti Spiritus est fructus.

Erunt consecrati homines et ipsi missionarii, illam cumprimis conscientiam altius perscrutati a Deo se vocatos electosque esse, ad quem idcirco universam suam dirigere debent vitam et quodcumque sunt vel possident deferre, ab impedimentis se expedientes quae amoris responsionis summam praepedire possint. Hoc quidem modo ***verum Christi inter homines signum*** evadere possunt. Efficere debet etiam eorum vivendi genus ut optima illa species effulgeat quam profitentur, quandoquidem vivum Dei signum se praebent atque eloquentem, licet interdum tacitam, Evangelii praedicationem.

Nullo non tempore, hodierna verum nominatim in societate quae tam saepe adeo saeculari affectu penetratur et tamen signorum percipit sermonem, opera est Ecclesiae danda ut ***quotidianae vitae in adiunctis se adspectabilem praesentemque exhibeat.*** In hanc partem licet Ecclesiae ab hominibus consecratis praecipuum exspectare adiumentum, quippe qui in omnibus vitae condicionibus destinentur ad solidam testificationem reddendam suae ad Christum pertinendi condicionis.

Cum consecrationis plane sit indicium habitus sacer et paupertatis et cum certa quadam religiosa Familia coniunctionis, una cum Synodi Patribus sodalibus religiosis viris ac mulieribus studiose Nos persuademus ut proprium induant habitum, temporum locorumque condicionibus apte ac-

commodatum.[42] Quotiens vero valida id postulant apostolica adiuncta, licebit eis secundum Instituti sui mores regulasque etiam simplex et decorum gestare vestimentum, addito tamen congruo insigni unde eorum agnosci valeat consecratio.

Instituta vero quae a propria origine aut legum suarum vi peculiarem non postulant habitum, curent tamen ut membrorum vestitus sua dignitate et simplicitate vocationis illorum indoli respondeat.[43]

Eschatologica vitae consecratae ratio

26. Cum urgentiores usque appareant hodie apostolicae sollicitudines atque periculum sit ne curatio rerum huius mundi homines magis magisque implicet, consentaneum maxime est oculos et animos in ***eschatologicam vitae consecratae naturam*** convertere.

«Ubi ... est thesaurus tuus, ibi erit et cor tuum» ***(Mt*** 6, 21): unicus Regni thesaurus cupidinem excitat, exspectationem, studium et testificationem. Apud Ecclesiam priscam exspectatum Domini reditum ardentius experiebantur. Hunc spei affectum numquam excolere per saecula desiit Ecclesia: fideles incitare perrexit ut salutem iamiam revelandam respicerent, quandoquidem huius mundi transit figura (cfr ***1 Cor*** 7, 31; ***1 Pe*** 1, 3-Ô;).[44]

Melius hoc in prospectu intellegitur ***momentum eschatologici signi*** vitae consecratae proprii. Revera doctrina persistit qua ipsa veluti Regni venturi anticipatio exhibetur. Repetit hanc doctrinam Concilium Vaticanum II ita asseverans: «Status religiosus ... magis ... resurrectionem futuram et gloriam Regni caelestis praenuntiat ».[45] Hoc praecipue efficit ***virginalis electio,*** a maioribus semper tamquam ***ultimi mundi praegustatio*** percepta, quae iam nunc operatur hominemque integrum transfigurât.

Suam qui Christo dedicant vitam facere non possunt quin viventes convenire Illum cupiant ut cum Eo tandem aliquando in perpetuumque iungantur. Ardens hinc nascitur exspectatio, hinc illa cupiditas « ut in illius amoris focum intus ardentem se mergant quique alius non est nisi Spiritus

[42] **Cfr *Propositio* 25; CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae caritatis,* 17.**

[43] **Cfr *Propositio* 25.**

[44] **Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 42.**

[45] ***Ibid.,* 44.**

Sanctus ipse »,[46] exspectatio atque cupiditas quae nutriunt dona a Domino largiter tributa iis quotquot quae sursum sunt quaerunt (cfr ***Col*** 3, 1).

Res Domini contuitus reminiscitur consecratus homo: «Non ... habemus hic manentem civitatem» ***(Heb*** 13, 14), quia «noster ... municipatus in caelis est» ***(Philp*** 3, 20). Id necessarium unum quaerere: «Regnum Dei et iustitiam eius » ***(Mt*** 6, 33), sine intermissione invocato Domini adventu.

Actuosa exspectatio: officium et vigilantia

27. « Veni, Domine Iesu! » ***(Apc*** 22, 20). Haec exspectatio ***minime quid iners est:*** quantumvis ad Regnum futurum dirigatur, in operam convertitur et industriam, ut etiamnum praesens adsit Regnum per Beatitudinum spiritus restitutionem qui etiam in hominum societate efficaces valeat excitare iustitiae, pacis, solidarietatis et veniae postulationes.

Affatim hoc ex ipsa vitae consecratae historia demonstratur, quae uberrimos semper edidit fructuum proventus pro mundi salute. Suis donis fiunt consecratae personae Spiritus indicium versus novum quoddam venturum tempus, quod fide illustratur atque spe christiana. ***Transit eschatologica intentio in munus,*** ut hic et nunc magis magisque affirmetur Regnum. Petitioni illi: «Veni, Domine Iesu! » altera accedit invocatio: « Adveniat Regnum tuum! » ***(Mt*** 6,10).

Qui vigilans exspectat dum Christi impleantur promissa, spem suis fratribus infundere valet et sororibus, qui de tempore futuro saepius diffidunt et res in pessimam accipiunt partem. Eius spes innititur Dei promissioni quam continet Verbum revelatum: progreditur hominum historia ad « caelum novum et terram novam» ***(Apc*** 21, 1), cum Dominus « absterget omnem lacrimam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus neque clamor neque dolor erit ultra, quia prima abierunt» ***(Apc*** 21, 4).

Vita consecrata huic extremae divinae gloriae illuminationi deservit, cum salutare Dei omnis caro videbit (cfr ***Lc*** 3, 6; ***Is*** 40, 5). Hanc rationem Oriens christianus extollit cum monachos tamquam ***Dei in terris angelos*** iudicat a quibus mundi in Christo renovatio nuntiatur. In Occidente monachismus est memoriae celebratio et vigiliae: ***memoria*** est miraculorum a Deo effectorum, ***vigilia*** novissimae spei impletionis. Monachismi vitaeque contemplativae nuntius continenter inculcat hominibus Dei principatum esse

[46] **B. ELISABETHA A TRINITATE,** ***Le ciel dans la foi. Traité Spirituel,*** **I, 14:** ***Œuvres complètes,*** **Paris 1991, p. 106.**

pro hominum exsistentia ubertatem significationis ac laetitiae, cum sit homo ad Deum factus inquietusque donec in Ipso quiescat.[47]

Virgo Maria, consecrationis ac sequelae exemplar

28. Ipsa Maria est quae, sine labe originali concepta, pulchritudinem divinam perfectius in se refert. « Tota pulchra » titulus est quo eam invocat Ecclesia. « Coniunctionis necessitudo cum Maria sanctissima, quam suam ob consociationem cum Christo quisque fidelis possidet, magis etiam in vita hominum consecratorum augetur.... Singulis in vitae consecratae Institutis persuasum est primarium quoddam pondus habere Mariae praesentiam tum ad spiritalem cuiusque hominis consecrati vitam tum ad firmitudinem unitatem totiusque communitatis progressionem ».[48]

Maria namque ***perfectae consecrationis excelsum exemplar*** est, tota in sua ad Deum pertinendi condicione atque deditione. A Domino electa, qui in Illa Incarnationis mysterium perficere voluit, commonefacit consecratas personas ***principatus ipsius Dei incepti.*** Eodem autem tempore, cum divino Verbo ipsa consenserit, quod in ea est caro factum, se praestat Maria tamquam ***exemplum receptae gratiae*** ab homine creato.

Cum Iosepho iuxta Christum in abdita Nazarethana vita, adstans Filio decretoriis in publicae eius vitae eventibus, magistra eminet Virgo Maria sequelae sedulaeque servitutis sine ulla condicione. Intra illam, « sacrarium Spiritus Sancti »,[49] sic novae creaturae splendor omnis emicat. Ad Eam respicit consecrata vita velut praecelsum specimen consecrationis Patri factae, coniunctionis cum Filio atque erga Spiritum docilitatis, sibi plane conscia: pertinere « ad genus vitae virginalis ac pauperis »[50] Christi idem prorsus valere ac vitae modum Mariae suum facere.

Praeterea deprehendit in Virgine consecrata persona ***Matrem sub peculiari omnino titulo.*** Nam si nova illa maternitas Mariae in Calvariae loco tributa donum habetur singulis datum christianis, pondus proprium illa adfert iis qui suam Christo vitam plene dedicaverant. «Ecce mater tua» ***(Io*** 19, 27): Iesu verba ad discipulum «quem diligebat» ***(Io*** 19, 26) in consecrati hominis vita vim accipiunt singularem. Vocatur namque ille una cum Ioan-

[47] Cfr S. AUGUSTINUS, *Confessiones,* 1,1: *PL* 32, 661.

[48] IOANNES PAULUS PP. II, Allocutio in Audientia generali (29 Martii 1995): *L'Osservatore Romano,* 30 Martii 1995, p. 4.

[49] CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 53.

[50] *Ibid.,* 46.

ne ut Mariam sanctissimam in sua accipiat (cfr ***Io*** 19, 27), amans videlicet eam imitansque ex vocationis suae extrema altitudine et vicissim unicam quandam experiens matris teneritatem. Illum ei amorem largitur Virgo qui vitam quotidie Christo offerre eum sinit, cum Ipso ad hominum salutem cooperans. Quapropter filialis cum Maria necessitudo viam principalem efficit fidelitatis ipsi vocationi iam receptae et auxilium efficacissimum adfert ut quis in ea procedat eamque plenissime viyat.[51]

III. IN ECCLESIA ET PRO ECCLESIA

« Bonum est nos hic esse »: ad ipsum Ecclesiae mysterium pertinens consecrata vita

29. In Transfigurationis scaena nomine apostolorum loquitur Petrus: «Bonum est nos hic esse» ***(Mt*** 17, 4). Christi gloria, quam percepit, extulit quidem eius animum et praecordia, eum tamen non segrega vit, immo contra altius coniunxit cum illo «nos» discipulorum. Haec illius «nos» ratio nos adducit ut partes consideremus quas in Ecclesiae mysterio consecrata occupat vita. De vitae consecratae indole consideratio theologica proximis hisce annis novas vias pervestigavit ex Concilii Vaticani II magisterio profecías. Eius sub lumine intellegi potuit professionem evangelicorum consiliorum ***sine ulla controversia ad vitam attinere sanctimoniamque Ecclesiae.***[52] Declarat hoc vitam consecratam, ab initio iam praesentem, numquam Ecclesiae deesse posse: est enim veluti pars cui renuntiari non licet et quae eam designat quatenus propriam ipsius exprimit naturam.

Manifesto illud ex eo elucet quod consiliorum evangelicorum professio cum Christi mysterio intrinsecus coniungitur, cum eius sit munus aliquo modo vitae formam ab Eo electam reddere praesentem eamque uti bonum absolutum et eschatologicum indicare. Ipse Iesus, cum quosdam vocavit ut universa desererent eumque sectarentur, hoc induxit vivendi genus quod, impellente Spiritu ipso, paulatim per saecula in multiplices consecratae vitae transiturum erat formas.

Ecclesiae notio ex sacris dumtaxat laicisque ministris consistentis non congruit divini eius Conditoris consiliis quae nobis Evangelia ipsa atque Novi Testamenti libri referunt.

[51] **Cfr *Propositio* 55.**
[52] **Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 44.**

Nova ac peculiaris consecratio

30. In Ecclesiae traditione religiosa professio existimatur tamquam ***unica fertilisque baptismalis consecrationis explicatio*** quatenus eius auxilio arta cum Christo coniunctio, iam Baptismate incohata, per donum enucleatur plenius declaratae atque impletae conformationis per evangelicorum consiliorum professionem.[53]

Ulterior haec consecratio propriam induit qualitatem ad priorem quod attinet, cum qua non simplex est consociatio neque necessarius quidam effectus.[54] Revera omnis in Christo regeneratus vocatur ut, virtute ex Spiritus dono profecta, castitatem vivat quae suo vitae statui respondeat, oboedientiam praeterea erga Deum et Ecclesiam, rationabilem a corporeis rebus separationem, quandoquidem ad sanctitatem omnes vocantur illam quae caritatis perfectione consistit.[55] Verumtamen ex se non importat baptismus ad caelibatum virginitatemve vocationem, neque possessionis bonorum abdicationem nec cuidam superiori oboeditionem, ea in propria evangelicorum consiliorum ratione. Professio igitur horum consiliorum donum Dei praeponit peculiare non universis concessum, quemadmodum de caelibatu voluntario Iesus ipse adfirmavit (cfr *Mt* 19, 10-12).

Huic itaque vocationi ***proprium Sancti Spiritus munus*** respondet, ut suae vocationi operaeque consecrata persona respondere valeat. Hac de causa, sicut tum Orientis tum Occidentis liturgici testificantur ritus, in professionis monasticae aut religiosae actu nec non in virginum consecratione, in electas personas Spiritus Sancti donum devocat Ecclesia, eorumque oblationem cum Christi sacrificio consociat.[56]

Professio evangelicorum consiliorum ***pariter est progressio gratiae in Confirmationis sacramento perceptae,*** sed communia excedit postulata chrismalis consecrationis proprium ob Spiritus donum, quod ad novos

[53] Cfr IOANNES PAULUS PP. II, Adhort. Ap. *Redemptionis donum* (25 Martii 1984), 7: *AAS* 76 (1984), 522-524.

[54] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 44; IOANNES PAULUS PP. II, Allocutio in Audientia generali (26 Octobris 1994), 5: *L'Osservatore Romano,* 27 Octobris 1994, p. 4.

[55] Cfr CONC. OECUM. VAT II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 42.

[56] Cfr RITUALE ROMANUM, *Ritus Professionis religiosae:* sollemnis benedictio vel consecratio profesjsorum, n. 67, et professarum, n. 72; PONTIFICALE ROMANUM, *Ritus consecrationis Virginum,* n. 38: sollemnis oratio consecrationis; EUCOLOGION sive RITUALE GRAECORUM, *Officium parvi habitum id est Mandiae,* pp. 384-385; PONTIFICALE IUXTA RITUM ECCLESIAE SYRORUM OCCIDENTALIUM ID EST ANTIOCHIAE, *Ordo rituum monasticorum,* Typis Polyglottis Vaticanis 1942, pp. 307-309.

modos adque sanctitatis et apostolatus fructus viam sternit prout vitae consecratae comprobat historia.

Ad presbyteros vero quod spectat evangelica consilia professos, experti ipsi persuadent ***Ordinis sacramentum singularem in hac consecratione invenire fecunditatem,*** cum ponat illa foveatque alicuius interioris cum Domino coniunctionis necessitatem. Sacerdos qui evangelica consilia profitetur praecipue adiuvatur ut mysterii Christi plenitudinem in se denuo* experiatur illam etiam propter peculiarem Instituti sui spiritalitatem simulque apostolicam proprii charismatis naturam. In presbytero enim ad sacerdotium adque vitam consecratam vocationes ad altam quandam et aerem unitatem vertunt.

Inaestimabile etiam est pondus quod Ecclesiae vitae conferunt sacerdotes religiosi qui ex toto suo officio contemplationi destinantur. In eucharistica praesertim celebratione Ecclesiae et pro Ecclesia actionem perficiunt, cui suam ipsorum donationem addunt, in communione cum Christo qui in totius mundi salutem se Patri dedit.[57]

Vitae christianorum necessitudines diversos inter status

31. Multiplices vitae rationes, quibus secundum Domini Iesu consilium ecclesialis vita instituitur, diversas important mutuas necessitudines in quibus aliquamdiu immorari volumus.

Suam propter regenerationem in Christo cuncti christifideles unius communisque participes sunt dignitatis; ad sanctitatem advocantur omnes; ad unici Christi Corporis aedificationem suas partes universi addunt, ex propria quisque vocatione donoque a Spiritu percepto (cfr ***Rom*** 12, 3-8).[58] Aequalis omnium Ecclesiae membrorum dignitas Spiritus opus est, Baptismo nititur atque Chrismatis sacramenti et Eucharistia alitur. Atqui opus pariter Spiritus est etiam multiformitas. Ipse enim in ordinata diversarum vocationum communione, charismatum et ministeriorum constituit Ecclesiam.[59]

[57] **Cfr S. PETRUS DAMIANI, *Liber qui appellatur « Dominus vobiscum » ad Leonem eremitam: PL* 145, 231-252.**

[58] **Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 32; *Codex Iuris Canonici,* can. 208; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium,* can. 11.**

[59] **Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de activitate missionali Ecclesiae *Ad gentes,* 4; Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 4.12.13; Const. pastoralis de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 32; Decr. de apostolatu laicorum *Apostolicam actuositatem,* 3; IOANNES PAULUS PP. II, Adhort. Ap. post-synodalis *Christifideles laici* (30 Decembris 1988), 20-21: *AAS* 81 (1989), 425-428; CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, Litterae ad Catholicae Ecclesiae episcopos de aliquibus aspectibus Ecclesiae prout est communio *Communionis notio* (28 Maii 1992), 15: *AAS* 85 (1993), 847.**

Vocationes ad laicalem vitam, ad sacramentale ministerium adque consecratam vitam exemplaria haberi possunt ex eo quod particulares vocationes, uno aliove modo, ad ipsas rediguntur, sive singillatim inspiciuntur sive sumuntur coniunctim, pro Dei donationis divitiis. Inter se praeterea serviunt vicissim, ad Christi Corpus in historia ampliandum et pro eius inter homines munere speciali. Baptismatis et Chrismatis sacramento in Ecclesia omnes consecrantur, verum ministerium ordinatum vitaque consecrata vocationem distinctam poscunt propriamque consecrationis formam ad peculiare quidem opus.

Ad ***laicorum*** munus, quorum « est, ex vocatione propria res temporales gerendo et secundum Deum ordinando, regnum Dei quaerere »j[60] sufficit baptismalis chrismalisque consecratio, quae cunctis Populi Dei membris est communis. Praeter hanc principalem consecrationem ***ordinati ministri*** in ipsa Ordinatione illam recipiunt ut apostolicum in tempore prosequantur ministerium. Consilia evangelica amplexantes ***consecratae personae*** novam peculiaremque percipiunt consecrationem quae etiamsi non est sacramentalis, eas adducit ut suam efficiant in caelibatu, in paupertate et oboedientia vitae formam quam Iesus ipse implevit discipulisque suasit. Licet varia haec genera unum Christi mysterium demonstrent, proprietatem peculiarem quamvis non unicam laici prae se ferunt, saecularitatem nempe, pastores ministeriorum curationem, homines consecrati peculiarem cum Christo virgine paupere oboediente conformationem.

Singulare consecratae vitae bonum

32. Hac in donorum congrua summa, cuique principali statui vitae inditur onus monstrandi, suo proprio in ordine, alterutram unius Christi mysterii faciem. Si enim in Evangelio nuntiando inter temporales causas ***peculiare munus vita laicalis*** induit, intra communionem ecclesialem ***pernecessarium ministerium ab iis procuratur qui in sacro Ordine sunt constituti,*** praesertim vero ab Episcopis. Officio obstringuntur illi ut Dei populum doctrinis verbi pascant Sacramentorumque dispensatione atque potestatis sacrae perfunctione in commodum totius ecclesialis communitatis quae est ordinata et hierarchico instituto disposita.[61]

[60] **CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 31.**

[61] **Cfr *ibid.,* 12; IOANNES PAULUS PP. II, Adhort. Ap. post-synodalis *Christifideles laici* (30 Decembris 1988), 20-21: *AAS* 81 (1989), 425-428.**

Quod vero ad Ecclesiae sanctitatis patefactionem pertinet, ***obiectiva assignanda est vitae consecratae praestantia,*** qua ipse vivendi modus Iesu Christi uti imagine refertur. Hanc videlicet ob causam bona evangelica declarantur uberrime in illa pleniusque Ecclesiae impletur propositum quod est sanctimonia hominum societatis. Praenuntiat consecrata vita et quadamtenus praeripit futurum illud tempus cum, plenitudine illius caelorum Regni adepta quod iam in semine mysterioqüe adest,[62] resurrectionis participes iam non ducent uxores neque nubent, verumtamen angelorum Dei erunt consimiles (cfr ***Mt 22,*** 30).

Etenim castitatis perfectae propter Regnum[63] excellentia, optimo quidem iure tamquam totius vitae consecratae reputata « ianua perpetui Ecclesiae magisterii est argumentum. Ceteroqui vocationem ad matrimonium magni illa aestimat, quo coniuges « fecunditatis Matris Ecclesiae testes et cooperatores exsistunt, in signum et participationem illius dilectionis, qua Christus sponsam suam dilexit Seque pro ea tradidit ».[65]

Hoc sub prospectu cunctae consecratae vitae proprio evolvuntur viae distinctae inter se at quae se complent. ***Penitus contemplationi dediti*** religiosi viri religiosaeque feminae, peculiari ratione fiunt Christi imagines in monte orantis.[66] ***Vitae activae*** consecratae personae eum patefaciunt « turbis regnum Dei annuntiantem vel aegrotos et saucios sanantem ac peccatores ad bonam frugem convertentem, vel pueris benedicentem et omnibus benefacientem ».[67] Peculiare quoddam Regni Dei adventui ministerium praestant consecratae personae in ***Saecularibus Institutis,*** cum singulari compositione devinciant consecrationis saecularitatisque bonum. Suam in saeculo et a saeculo deductae consecrationem agentes,[68] illae « omnia spiritu evangelico imbuere satagunt ad robur et incrementum Corporis Christi ».[69] Participant hanc ob causam Ecclesiae munus evangelizandi per singulare testimonium vitae christianae sive per adiutricem quam praebent operam ad ordinandas

[62] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 5.

[63] Cfr CONCILIUM TRIDENTINUM, sess. XXIV, can. 10: *DS* 1810; Pius PP. XII, Litt. Encycl. *Sacra virginitas* (25 Martii 1954): *AAS* 46 (1954), 174s.

[64] Cfr *Propositio* 17.

[65] CONC. OECUM. VAT. II, Const, dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 41.

[66] Cfr *ibid.,* 46.

[67] *Ibid.*

[68] Cfr Pius PP. XII, Motu proprio *Primo feliciter* (12 Martii 1948), 6: *AAS* 40 (1948), 285.

[69] *Codex Iuris Canonici,* can. 713 § 1; cfr *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium,* can. 563 § 2.

secundum Deum res temporales, suam per cooperationem in communitatis ecclesialis servitium iuxta propriam vitae rationem saecularem.[70]

Beatitudinum Nuntium testari

33. Munus consecratae vitae peculiare etiam est ***in baptizatis conscientiam vivam adservare principalium Evangelii bonorum,*** dum redditur « praeclarum et eximium testimonium ... mundum transfiguran Deoque offerri non posse sine spiritu beatitudinum ».[71] Hoc itaque pacto facit consecrata vita ut in ipsa populi Dei conscientia perpetuo appareat quam sit necessarium per vitae sanctitatem respondere amori Dei in cordibus per Spiritum Sanctum diffuso (cfr ***Rom*** 5, 5), atque moribus propriis ostendere sacramentalem illam consecrationem quae in Baptismate, Chrismate vel Ordine, Deo agente, peracta est. Ut enim a sanctitate in sacramentis communicata ad vitae cotidianae sanctitatem transeatur necesse est. Vita consecrata, ipso suo in Ecclesia exsistendi modo, in famulatum se dedit consecrationis vitae omnium fidelium tum laicorum tum clericorum.

Nec tamen oblivisci licet aliunde et ipsas consecratas personas ex aliarum vocationum testificatione percipere adiumentum aliquod ut vivendo adhaereant omnino Christi atque Ecclesiae mysterio variis in illius partibus. Hanc mutuam ob locupletationem eloquentius fit efficaciusque vitae consecratae munus: illuminare ceteris fratribus ac sororibus veluti metam quandam postremam apud Deum beatitudinem, oculis futuram in pacem conversis.

Ecclesiae-Sponsae efficax imago

34. Singularem in vita consecrata prae se fert vim sponsalis illa significatio, quae Ecclesiae repetit postulationem ut in plena solaque vivat Sponso proprio deditione a quo omnia recipit bona. Hac in sponsali ratione quae praecipua est omnis consecratae vitae, mulier, propriam quasi indolem detegens suae cum Domino coniunctionis, se reperit ipsa.

Praestans hac in re est Novi Testamenti narratio qua Maria exhibetur cum apostolis in cenáculo in oratione praestolans Spiritum Sanctum (cfr ***Act*** 1, 13-14). Vivax ibi perhibetur imago Ecclesiae-Sponsae ad Sponsi nutus animadvertentis atque ipsius donum accipiendum. Fecunditatis ratio praesertim apparet in Petro et ceteris in apostolis eaque in ecclesiali signifi-

[70] Cfr *Codex Iuris Canonici,* can. 713 § 2. Peculiaria verba pro «sodalibus clericis» significantur ipso in can. 713 § 3.

[71] CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 31.

catur ministerio quod fit instrumentum Spiritus ad generationem novorum filiorum per Verbi largitionem, Sacramentorum celebrationem perque pastoralem curam. Sponsalis autem accessionis ratio praecipua exhibetur in Maria cuius vi Ecclesia fertilem reddit in se vitam divinam per totum suum ut virginis amorem.

Maximam partem semper visa est consecrata vita in Mariae virginis sponsae figura. Tali enim ex virginali amore praecipua quaedam profluit fecunditas, quae adiumentum fert ut in animis nascatur vita divina atque augeatur.[72] Mariae, Evae novae, vestigia ingressa, spiritalem suam fecunditatem exprimit consecrata persona se ipsa praebens Verbum excipientem ut sua sine condicionibus devotione vivaque testificatione ad novam perficiendam hominum naturam proprias conferat partes. Plane sic maternitatem suam manifestat Ecclesia tum per divinae operae beato Petro commendatae participationem tum per responsalem divini doni perceptionem, Mariae pariter propriam.

Ipse vicissim christianus populus in ministerio ordinato salutis invenit instrumenta, in vita autem consecrata invitamentum ad plenam amoris responsionem cunctis in multiplicibus diaconiae rationibus.[73]

IV. SANCTITATIS SPIRITU DUCTI

« Transfigurata » exsistentia: ad sanctitatem appellatio

35. « Audientes discipuli ceciderunt in faciem suam et timuerunt valde » ***(Mt*** 17, 6). In Transfigurationis narratione, licet variis cum differentiis, in promptu ponunt synoptici scriptores pavoris sensum a quo discipuli corripiuntur. Transfigurad vultus Christi fascinatio minime impedit quominus prae divina Maiestate in eos impendente formidine corripiantur. Etenim semper homines coram Dei gloria constituti suam experiuntur exiguitatem indeque reformidationis sensum deducunt. Eiusmodi reformidatio ad salutem spectat. Commonefacit homines divinae perfectionis simulque instanti provocatione ad « sanctitatem » eosdem urget.

Cuncti Ecclesiae filii, a Patre vocati ut Christum « audiant », ***altam prorsus*** animadvertunt ***ad conversionem adque sanctitatem expostulationem.*** Quae expostulatio, sicut illustravit Synodus, ad consecratam vitam in primis re-

[72] S. TERESIA A IESU INFANTE, *Manuscrits autobiographiques* B, 2 v: Cupio « tuam esse sponsam, Iesu..., esse, tecum coniunctam, animarum matrem».

[73] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae caritatis,* 8.10.12.

fertur. Hominum enim consecratorum vocatio ad Regnum Dei ante omnia inquirendum est, in primis, adhortatio ad plenam sui conversionem per ipsius abnegationem ut de Domino prorsus vivatur, ut Deus sit omnia in omnibus. Ad contemplandum testificandumque Christi transfiguratum vultum vocati, iidem consecrati ad « transfiguratam » vocantur vitam.

Hac in re plurimum id significat quod in *postrema relatione* alterius Coetus extraordinarii episcoporum Synodi est adfirmatum: «In circumstantiis difficilhmis per totam historiam Ecclesiae semper sancti et sanctae fuerunt fons et origo renovationis. Hodie sanctis vehementer egemus a Deo assidue implorandis. Instituta vitae consecratae per professionem consiliorum evangelicorum conscia sint suae specialis missionis in hodierna Ecclesia, atque nos illis pro ea missione animum addere debemus».[74] Hanc rerum aestimationem suam aequabiliter fecerunt participes huius IX synodalis Coetus cum adseveraverunt: «Per longam Ecclesiae historiam fuit consecrata vita etiam viva praesentia actionis Spiritus, veluti honoratus valde locus amoris consummati in Deum et proximum, testis quoque consilii divini quo totum hominum genus intra amoris civilem cultum, magna evadat Dei filiorum familia ».[75]

Discrevit semper Ecclesia in consiliorum evangelicorum professione viam quandam peculiarem ad sanctitatem. Eaedem enim ipsae locutiones quibus illam describit — Dominici ministerii scholam, amoris scholam sanctimoniaeque, viam seu perfectionis statum — sive efficientiam declarant ubertatemque instrumentorum huius formae evangelicae vitae propriorum, sive singulare officium eorum qui eam suscipiunt.[76] Haud fortuito tot exstant consecrati homines qui per saeculorum decursum sanctitatis praeclara reddiderunt testimonia atque opera insignite magnanima et ardua evangelizationis ministeriique perfecerunt.

Fidelitas erga charisma

36. Intra Christi sequelam et amorem erga ipsius personam quaedam deprehenduntur argumenta quae sanctitatis auctum tangunt in ipsa consecrata vita quaeque ideo peculiari hodie in luce sunt ponenda.

[74] SYNODUS EPISCOPORUM, II Coetus generalis extraordinarius, Relatio finalis *Ecclesia sub verbo Dei mysteria Christi celebrans pro salute mundi* (7 Decembris 1985), II A, 4: *Ench. Vat.* 9, 1753.

[75] SYNODUS EPISCOPORUM, IX Coetus generalis ordinarius, *Nuntius Synodi* (27 Octobris 1994), IX: *L'Osservatore Romano,* 29 Octobris 1994, p. 7

[76] Cfr S. THOMAS AQUINAS, *Summa Theologiae,* II-II, q. 184, a. 5, ad 2; II-II, q. 186, a. 2, ad 1.

Ante omnia postulatum invenitur ***fidelitatis ipsi fundationis charismati*** ac propterea spiritali cuiusque Instituti patrimonio. Hac enim in ipsa fidelitate erga fundatorum ac fundatricum afflatum, Spiritus nempe Sancti donum, facilius deteguntur fervidiusque vivuntur necessaria vitae consecratae elementa.

Suo namque in ortu habet iam quodque charisma triplicem propensionem principalem: ***ad Patrem*** in primis, cuius voluntatem exquirere studet amanti animo perpetuum per actum conversionis in quo fons verae libertatis est oboedientia, castitas cordis intentionem indicat nullo finito amore contenti, paupertas autem illam famem sitimque iustitiae nutrit quam pollicitus est Deus se satiaturum (cfr ***Mt*** 5, 6). Hoc in prospectu uniuscuiusque Instituti charisma consecratam impellet personam ut Deo tota adhaereat, cum Deo et de Deo loquatur quemadmodum de sancto Dominico est dictum,[77] ut experiatur quam sit in omnibus rerum adiunctis bonus Dominus (cfr ***Ps*** 34 [33], 9).

Secum autem etiam inferunt vitae consecratae charismata inclinationem ***ad Filium,*** quocum suadent ut communio intimae laetaeque vitae excolatur, in schola nempe alacris famulatus Dei et fratrum. « Intuitus magis magisque christificatus discit hoc modo ab exterioribus sese seiungere rebus, a sensuum turbine, ab omnibus nempe iis quae homini impediunt levitatem paratam ut a Spiritu se suscipi sinat »,[78] sicque pariter permittit ut cum Christo procedatur ad munus, cum eo opus agendo doloremque perferendo in ipsius Regno prolatando.

Importat demum omne charisma ***ad Spiritum Sanctum*** directionem, quatenus consecratos comparat ut ab eo se gubernari sustentarique patiantur tam suo in spiritali itinere quam in communionis vita inque apostolico opere, ut illo cum serviendi affectu vivant a quo omnis veri christiani electio permoveri debet.

Haec enim semper triplex necessitudo, licet cum distinctis variarum vitae formarum proprietatibus, in omni fundationis charismate emergit, eam ipsam ob causam quod dominatur ibi « profundum animi studium sese Christo configurandi ad aliquem Eius mysterii aspectum testificandum »;[79]

[77] Cfr *Libellus de principiis Ordinis Praedicatorum.* Acta Canonizationis Sancti Dominici: *Monumenta Ordinis Praedicatorum historica* 16 (1935), 30.

[78] IOANNES PAULUS PP. II, Epist. Ap. *Orientale lumen* (2 Maii 1995), 12: *AAS* 87 (1995), 758.

[79] CONGREGATIO PRO RELIGIOSIS ET INSTITUTIS SAECULARIBUS et CONGREGATIO PRO EPISCOPIS, Notae directivae pro mutuis relationibus inter Episcopos et Religiosos in Ecclesia *Mutuae relationes* (14 Maii 1978), 51: *AAS* 70 (1978), 500.

quae quidem ratio necesse est concorporetur atque enucleetur secundum verissimam Instituti traditionem eiusque ad Regulas Constitutiones et Statuta.[80]

Efficiens fidelitas

37. Admonentur ideo Instituta ut magna cum rerum suscipiendarum audacia alacritatem revocent inventionis sanctitatemque fundatorum ac fundatricum ita sane signis temporum respondentes in orbe hodie exorientibus.[81] Haec cohortatio est ante omnia ad perseverandum incitatio in sanctitatis semita per corporis animique difficultates quibus cotidiani notantur eventus. Verum admonitio etiam est ut quis peritiam adsequatur proprio in opere fidelitatemque actuosam exerceat erga proprium munus, dum formas ipsas, quotiens oportet, novis accommodât condicionibus ac necessitatibus, plane semper afflatui divino obsequens nec non Ecclesiae iudicio. Utcumque tamen persuasio vigere debet in quaerenda pleniore usque cum Domino conformatione consistere ipsam sponsionem cuiusvis « renovationis » quae consilio pristino fidelis persistere vult.[82]

Secundum eundem hunc affectum omne compellitur hodie Institutum officio ***denuo sese revocandi ad Regulam,*** quandoquidem in ea atque etiam in Constitutionibus iter concluditur quoddam Christi sequelae, quod proprium charisma ab Ecclesia comprobatum definit. Maior observatio Regulae facere non potest quin consecratis personis regulam certam praestet qua congruas inquirere possint formas testificationis quae temporis praesentis necessitatibus respondeat neque a pristino afflatu recedat.

Precatio et ascesis: spiritale certamen

38. Recipitur ad sanctitatem vocatio atque percoli potest tantummodo ***in adorationis silentio*** coram infinita Dei transcendentia: « Fatendum est nos omnes hoc silentio indigere, adorata praesentia imbuto: theologia, ut sapientialis spiritalisque eius anima plene aestimetur; precatio, ne umquam obliviscatur Deum videre idem valere ac de monte descendere vultu ita splendenti, ut eum cogamur obvolvere (cfr ***Ex*** 34, 33); officium, ut reiciatur periculum certamine quodam concludi sine amore et venia.... Omnibus

[80] Cfr *Propositio* 26.

[81] Cfr *Propositio* 27.

[82] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae caritatis,* 2.

nempe, credentibus et non credentibus, discendum est silentium, quo Alter sinatur loqui, quando et quomodo volet, nobis vero verbum illud intellegere liceat ».[83] Re autem ipsa permagnam hoc prae se fert fidelitatem liturgicae precationi atque privatae, spatiis orationi mentali contemplationique destinatis, recessibus menstruis nec non spiritalibus exercitationibus.

Iterum etiam necesse est ***instrumenta ascetica*** reperiantur spiritalium Ecclesiae traditionum propria atque singulorum Institutorum. Ad veram in sanctitate progressionem illa quidem efficax semper contulerunt et etiamnum conferunt adiumentum. Utpote quae adiuvet ad moderandas gubernandasque inclinationes ipsius naturae humanae peccato sauciatae, pernecessaria revera est ascesis personis consecratis, ut suae fideles persistant vocationi Iesumque in crucis via subsequantur.

Oportet etiam noscantur atque superentur illecebrae quaedam quae, diabolo insidias tendente, sub alicuius boni specie comparent. Ita, verbi gratia, legitimum illud postulatum ut quis hodiernam societatem cognoscat quo facilius eius provocationibus respondeat, suadere potest ut temporis moribus cedatur, spiritali imminuto ardore vel admissa quasi fracti animi affectione. Elatioris institutionis spiritalis facultas instigare personas consecratas potest ut quadamtenus se reliquis fidelibus superiores esse sentiant, dum ex altera parte necessitas debitae legitimaeque praeparationis in immoderatam efficaciter operandi voluntatem transire potest, tamquam si maximam partem a consiliis hominum potius quam a Deo apostolicum pendeat ministerium. Laudabilis cupido sese praebendi ut proximum viris mulieribusque temporis nostri, credentibus et non credentibus, pauperibus ac divitibus, permovere aliquem potest ut saeculare vivendi ineat genus vel bona humana ratione dumtaxat terrestri provehat. Postulationum legitimarum aut cultus humani apud proprium populum ambitum participatio incitare pariter potest aliquem ut formas nationalismi amplexetur aut consuetudinum partes complectatur quas contra purgari et ad Evangelii lumen attolli oportet.

Via ergo quae ad sanctitatem perducit postulat ut ***certamen spiritale accipiatur*** (cfr ***Eph*** 6, 10-17). Grave est officium quod non semper hodie necessaria diligentia respicitur. Saepius dispexit traditio hanc spiritalem contentionem in pugna Iacobi cum Dei mysterio, quam ille ingreditur ut ad benedictionem visionemque suam accedat (cfr ***Gen*** 32, 23-31). Hoc eventu biblicae historiae primordiorum personis consecratis licet colligere signum

[83] **IOANNES PAULUS PP. II, Epist. Ap. *Orientale lumen* (2 Maii 1995), 16: *AAS* 87 (1995), 762.**

quoddam ascetici officii quo iis est opus ut cor dilatent suscipiendisque Domino ac fratribus aperiant.

Sanctitas promovenda

39. Hodie magis quam alias umquam poscitur renovatum sanctitatis studium ab hominibus consecratis etiam ***ut cuiusque christiani ad perfectionem intentio foveatur ac sustineatur.*** « Oportet, ergo, concitetur in unoquoque fideli vehemens sanctitatis impetus, flagrans in conversionem et sui ipsius renovationem desiderium dum precationis usque ardentioris sensus acuitur dumque proximus, indigentissimus praesertim, comiter suscipitur ».[84]

Quatenus suam altius cum Deo amicitiam persequuntur consecratae personae, idoneae eatenus efficiuntur ut fratribus sororibusque opitulentur per solida spiritalia incepta, cuius generis scholae orationis sunt, exercitationes ac recessiones spiritales, dies solitudinis, auditiones et moderationes spiritales. Hoc pacto hominum progressio in oratione expeditur qui deinde melius Dei voluntatem discernere valebunt de se ipsi ac sese tradere consiliis magnanimis, immo vero nonnumquam heroicis, quae postulat fides. Etenim consecrati homines suae «ex ipsa religiosae vitae natura ... inseruntur in dynamicam actionem Ecclesiae, quae Absolutum quod Deus est sitienter expetit et ad sanctitatem vocatur. Huius sanctitatis ipsi sunt testes ».[85] Quod autem omnes vocantur ut sancti et sanctae fiant, hoc facere non potest quin magis incitet alios quibus, propria ex vitae electione, munus instat ut de eo reliquos commoneant.

« Surgite et nolite timere »: fiducia renovata

40. « Et accessit Iesus et tetigit eos dixitque eis: "Surgite et nolite timere" » ***(Mt*** 17, 7). Perinde ac tres apostoli in Transfigurationis eventu, expertae personae consecratae noverunt non semper suam vitam illo vehementi illuminari fervore qui exclamationem evocet: « Bonum est nos hic esse » ***(Mt*** 17, 4). Et tamen semper eorum vita Christi manu tangitur, eius afficitur voce, eius sustinetur gratia.

« Surgite et nolite timere » unicuique christiano haec Domini cohortatio, ut patet, profertur. Potiore autem ratione ei valet qui ut « relinquat om-

[84] **IOANNES PAULUS PP. II, Epist. Ap. *Tertio millennio adveniente* (10 Novembris 1994), 42: *AAS* 87 (1995), 32.**

[86] **PAULUS PP. VI, Adhort. Ap. *Evangelii nuntiandi* (8 Decembris 1975), 69: *AAS* 68 (1976), 58.**

nia » vocatur, ideoque ut pro Christo « omnia periclitetur ». Hoc praesertim accidit quotiens cum Magistro « de monte » quis descendit ut viam a Thabor in Calvariam ducentem ingrediatur.

Cum dicit Lucas Moysen et Eliam cum Christo de paschali ipsius mysterio loqui, consulto et magna cum significatione vocabulum inducit «protectionis» [«éxodos»]: *«dicebant exodum eius quem completurus erat in Ierusalem» (Lc* 9, 31). «Exodus»: praecipua .revelationis vox ad quam tota revocatur salutis historia quaeque altam paschalis mysterii exprimit vim. Carissimum est hoc auctoribus spiritalibus argumentum de vita consecrata cuius sensum probe exprimit. Inibi necessario omnia includuntur quae ad *mysterium Crucis* attinent. Verumtamen arduum hoc « exodi iter », ex prospectu montis Thabor perceptum, tamquam via exstat duabus interiecta lucibus: altera enim lux praenuntiat Transfigurationem, Resurrectionem terminat altera.

Ad vitam consecratam vocatio — intra definientem totius vitae christianae orbem — quamvis abnegationes prae se ferat et probationes immo vero cum eas secum importet, est *« lucis » iter* cui Redemptoris invigilant oculi: *« Surgite et nolite timere ».*

CAPUT II

SIGNUM FRATERNITATIS

Vita consecrata communionis signum in Ecclesia

I. BONA MANSURA

Ad Trinitatis imaginem

41. Terrestri in vita sua quos voluit vocavit Dominus Iesus, ut prope se eos retineret eosdemque ad suae vitae exemplum institueret pro Patre ac pro ab Eo recepta missione (cfr *Me* 3, 13-15). Novam sic ipse incohavit familiam, in quam saeculorum decursu ingressuri erant quotquot parati erant ad « Dei voluntatem faciendam » (cfr *Me* 3, 32-35). Post Domini Ascensionem, Spiritus impulsu donati, circa Apostolos in Dei laude et vero humano communionis usu effecta est communitas fraterna (cfr *Act* 2, 42-47; 4, 32-35). Huius communitatis vita, ac magis artae consuetudinis exercitatio quam Duodecim cum Christo sunt experti, usque fuerunt *exemplar quod Ee-*

desia est imitata, cum originum fervorem repetere voluit atque renovato evangelico vigore suum in historia iter redintegrare.[86]

Reapse, ***suapte natura est Ecclesia mysterium communionis,*** « unitate Patris et Filii et Spiritus Sancti plebs coadunata ».[87] Vita fraterna huius mysterii altitudinem et divitias referre vult, veluti humanum spatium se praebens quod Trinitas occupat, quae hoc modo in historia dona communionis propria trium divinarum Personarum producit. In ecclesiali vita multiplices sunt provinciae et rationes, in quibus communio fraterna enuntiatur. Id vitae consecratae merito adscribitur, quod efficaciter operam dedit ut fraternitatis postulatum in Ecclesia animaretur, tamquam Trinitatis professio. Usque fraternam dilectionem promovendo in vitae communis quoque forma, ipsa significavit ***communionis trinitariae participationem humanas necessitudines immutare posse,*** novum solidarietatis concitando genus. Hoc modo eadem hominibus simul pulchritudinem communionis fraternae ostendit, simul semitas quae re ad illam perducunt. Consecratae namque personae « pro » Deo ac « de » Deo vivunt, eaque de causa virtutem reconciliantis gratiae confiteri possunt, quae motus contrarios dividentesque prosternit qui in hominum corde insident atque in socialibus necessitudinibus.

Fraterna in dilectione vita

42. Vita fraterna, quae veluti vita in amore participata habetur, signum est manifestum communionis ecclesialis. Ea ab Institutis religiosis et Societatibus vitae apostolicae peculiari studio colitur, ubi vita in communitate singularem significationem adipiscitur.[88] At communionis fraternae ratio nec a Saecularibus Institutis nec a formis singularibus vitae consecratae seiungitur. Eremitae, sua in vasta solitudine, non modo sese ab ecclesiali communione non subducunt, sed peculiari suo contemplationis charismate ei serviunt; virgines in saeculo consecratae suam explent consecrationem peculiari quadam communionis ratione cum Ecclesia particulari et universali; similiter viduae et vidui consecrati.

Cunctae personae hae, discipulorum condicionem viventes, adimplere student Domini « novum mandatum » invicem diligentes, sicut ille nos dile-

[86] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae caritatis,* 15; S. AUGUSTINUS, *Regula ad servos Dei,* 1, 1: *PL* 32, 1372.

[87] S. CYPRIANUS, *De oratione Dominica,* 23: *PL* 4, 553; cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 4.

[88] Cfr *Propositio* 20.

xit (cfr ***Io*** 13, 34). Amor Christum compulit ad sui ipsius donationem usque ad summum crucis sacrificium. Inter discipulos quoque ***nulla datur vera unitas citra hunc sine condicione mutuum amorem,*** qui voluntatis alacritatem poscit serviendi profusis viribus, promptitudinem ad alium recipiendum sicuti est, nullo inducto iudicio (cfr ***Mt*** 7, 1-2), potestatem alii etiam « septuagies septies » ***(Mt*** 18, 22) ignoscendi. Personae consecratae « cor et anima una » factae ***(Act*** 4, 32) amore eiusmodi in cordibus per Spiritum Sanctum diffuso (cfr ***Rom*** 5, 5) interiore quadam necessitate compelluntur ut ***omnia habeant communia:*** bona scilicet materialia et experimenta spiritalia, talenta et consilia aeque ac apostolica proposita et caritatis opera: « In vitae communitate Spiritus Sancti vis et efficacia uni tributa simul ad omnes transeat necesse est... Et suo quisque dono fruitur ipsumque multiplicat communicando, ut ex alienis tamquam ex suis fructum capiat ».[89]

In vita proinde communi percipi quodammodo debet communionem fraternam, prius quam certae missionis instrumentum, ***théologale esse spatium*** in quo experiri quis potest Dominum resuscitatum mystice adesse (cfr ***Mt*** 18, 20).[90] Hoc quidem fit per mutuum illorum quotquot communitatis sunt participes amorem qui Verbo et sacra Eucharistia alitur, Reconciliationis Sacramento purificatur, sustentatur unitatis imploratione, quae est peculiare Spiritus donum iis qui ad Evangelium obsequenter auscultandum se comparant. Spiritus ipse animam inducit ad consortionem experiendam cum Patre eiusque Filio Iesu Christo (cfr ***1 Io*** 1, 3), ex qua communione vitae fraternae fons exoritur. A Spiritu communitates vitae consecratae diriguntur ad officium suum inserviendi Ecclesiae cunctisque hominibus pro suo quaeque nativo ingenio.

Hac in re magni momenti obtinent locum « Capitula » sive consimiles congressus, tam particulares quam generales, ubi debet quodque Institutum Superiores aut Anfistitas deligere secundum regulas propriis Constitutionibus firmatas atque etiam, praelucente Spiritus fulgore, modos statuere unde custodiantur efficaciaque reddantur diversis in historiae ac culturae adiunctis charisma proprium et proprium spiritale patrimonium.[91]

[89] S. BASILIUS, *Regulae fusius tractatae,* Interrogatio 7: *PG* 31, 931.

[90] Cfr S. BASILIUS, *Regulae brevius tractatae,* Interrogatio 225: *PG* 31, 1231.

[91] Cfr CONGREGATIO PRO RELIGIOSIS ET INSTITUTIS SAECULARIBUS, Instr. *Essential éléments in the Church's teaching as applied to Institutes dedicated to works of the apostolate* (31 Maii 1983), 51: *Ench. Vat.,* 9, 235-237; *Codex Iuris Canonici,* can. 631 § 1; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium,* can. 512 § 1.

Auctoritatis officium

43. In vita consecrata ***Praepositorum et Praepositarum munus,*** localium quoque, semper habuit pondus, cum ad spiritalem vitam tum ad missionem magnum. His inquisitionum et mutationum annis nonnumquam necessitas est percepta hoc officium renovandi. At agnoscendum est eos qui auctoritatem habent primarum communitatis sustinendarum partium, ***non posse sese abdicare suo munere*** quippe qui fratrum ac sororum in spiritali atque apostolico itinere sint duces.

In condicionibus illis, ubi sibi quisque uni consulit, difficulter fit ut officium illud agnoscatur et recipiatur quod pro cunctis sustinere debet auctoritas. Oportet tamen ut huius muneris momentum confirmetur, quod omnino est necessarium ut fraterna solidetur communio neve promissa oboedientia irrita evadat. Si auctoritas oportet ante omnia sit fraterna et spiritalis et si, qui ea pollet, hac de causa per dialogum fratres et sorores complecti debet dum de rebus agendis decernitur, memorare tamen iuvat ***spectare ad auctoritatem novissimum verbum,*** eique exinde facultatem esse tribuendam, ut consilia capta curet observentur.[92]

Partes senum

44. Senum aegrotorumque cura in vita fraterna praecipuum obtinet locum, hoc potissimum tempore, quo in nonnullis regionibus numerus augescit consecratarum personarum ingravescentis aetatis. Non est modo caritatis ipsius proprium et grati animi iis tribuere sollicitam curam quam merentur, verum et documentum conscientiae eorum testificationem multum Ecclesiam eorumque Instituta adiuvare eorumque opera valida ac meritoria perstare, etiam cum propter aetatem et valetudinem deserere debuerunt suae navitatis provinciam. ***Multum ii certe tribuere possunt*** sapientia sua ac experientia communitati, si haec attenta et ad audiendum inclinata iis adsidet.

Re quidem vera apostolica opera prius quam ex actione ex testimonio pendet propriae plenae deditionis salvificae Domini voluntati, devotionis videlicet quae precationis et paenitentiae fontibus alitur. Quapropter complures dantur rationes quibus senes ut suam vocationem adimpleant commonentur: oratio assidua, uniuscuiusque condiciones patienter toleratae, prae-

[92] Cfr CONGREGATIO PRO INSTITUTIS VITAE CONSECRATAE ET SOCIETATIBUS VITAE APOSTOLICAE, Instr. *La vita fraterna in comunità « Congregava nos in unum Christi amor »* (2 Februarii 1994), 47-53: Città del Vaticano 1994, pp. 58-64; *Codex Iuris Canonici,* can. 618; *Propositio* 19.

paratie- ad officium sustinendum patris spiritus, confessarii, ductoris precationis.[93]

Ad communitatis apostolicae imaginem

45. Primas agit partes vita fraterna in personarum consecratarum spiritali itinere, tum ut assidue eae renoventur tum ut consummate suam in mundo missionem adimpleant: id quidem ex theologicis rationibus eruitur quae subsunt, idque plane confirmat experientia ipsa. Consecratos consecratasque cohortamur igitur, ut eandem studiose colant, ad priscorum Hierosolymitanorum christianorum exemplum, qui perseverabant in doctrina Apostolorum, in communi precatione, in Eucharistia suscipienda, in bonorum naturae et gratiae participatione (cfr ***Act*** 2, 42-47). Religiosos viros et religiosas mulieres nec non Societatum vitae apostolicae sodales magnopere cohortamur ut mutuum amorem sine condicione experiantur, cumque secundum cuiusque Instituti naturam exprimant, ut omnes communitates tamquam conspicuum habeantur signum novae Ierusalem, quae est « tabernaculum Dei cum hominibus» ***(Apc*** 21, 2-3).

Ecclesia namque universa multum confidit testificationibus communitatum « gaudio et Spiritu Sancto » ***(Act*** 13, 52) repletarum. Cupit ipsa terrarum orbi communitatum exempla exhibere, in quibus mutua observantia adiumentum fert ad solitudinem depellendam, communicatio omnes ad officii conscientiam concitat, venia vulnera sanat, in singulis communionis propositum roborando. In talibus communitatibus charismatis natura vires ordinat, fidelitatem sustentat et omnium apostolicum opus ad unam dirigit causam. Ut hodiernae humanitati veram suam effigiem ostendat, eiusmodi prorsus Ecclesia communitatum fraternarum indiget, quae, prout sunt, emolumento evadunt novae evangelizationi, quandoquidem « novi mandati » fructus modo finito reddunt.

Sentiendum cum Ecclesia

46. Magnum quidem munus ipsi vitae consecratae demandatur etiam sub lumine doctrinae ***Ecclesiae-communionis,*** quam impense Concilium Vaticanum II proposuit. Personae consecratae ut revera communionem expe-

[93] Cfr CONGREGATIO PRO INSTITUTIS VITAE CONSECRATAE ET SOCIETATIBUS VITAE APOSTOLICAE, Instr. *La vita fraterna in comunità « Congregava nos in unum Christi amor »* (2 Februarii 1994), 68: Città del Vaticano 1994, pp 86-88; *Propositio* 21.

riantur spiritalitatemque exerceant[94] impense rogantur, tamquam « testes et illius "communionis propositi" artifices quod in fastigio locatur historiae hominis secundum Deum».[95] Ecclesiologiae communionis sensus, dum explicatur in ***communionis spiritualitatem,*** cogitandi loquendi et agendi rationem promovet quae efficit ut Ecclesia altius latiusque adolescat. Etenim evenit « ut communionis ecclesialis vita ***signum*** mundo evadat et ***vis*** trahens, quae homines ducat ad credendum in Christum... Sic communio, dum se ***missioni*** aperit, ipsa fit missio », immo « cum ***communio communionem generet,*** ex sua ipsius natura ***communionem missionariam*** gignit ».[96]

In conditoribus conditricibusque ***vividus usque Ecclesiae sensus conspicitur,*** qui in eorum ecclesiali vita omnibus rationibus participanda et in sollicita Pastorum oboedientia manifestatur, nominatim Romano Pontifici. Hoc in amoris prospectu erga Sanctam Ecclesiam, quae est « columna et firmamentum veritatis» ***(1 Tim*** 3, 15), optime intelleguntur Francisci Assisiensis in « Dominum Papam » devotio,[97] Catharinae Senensis filialis sollertia in eum quem ipsa « dulcem Christum in terra » vocat,[98] Ignatii Loyolensis apostolica obtemperantia eiusque « sentire cum Ecclesia »,[99] fidei festiva professio Teresiae a Iesu: « Ecclesiae sum filia ».[100] Teresiae Lexoviensis quoque studium percipitur: « In Ecclesiae corde, matris meae, amor equidem ero... ».[101] Hae testificationes ecclesialem perfectam communionem plane patefaciunt, quam sancti et sanctae, conditores et conditrices, aetatibus condicionibusque occurrentibus inter se diversis ac saepe difficillimis, sunt experti. Ad exempla haec continenter se referre debent consecratae personae, ut distrahentes et disicientes motus arceant, qui hodiernis temporibus multum possunt.

Huius communionis ecclesialis significantior pars est mentis cordisque adhaesio Episcoporum magisterio, quae fideliter cunctis personis consecratis est tenenda atque coram Dei populo perspicue testificanda iis cumprimis

[94] **Cfr *Propositio* 28.**

[95] **CONGREGATIO PRO RELIGIOSIS ET INSTITUTIS SAECULARIBUS, *Vita e missione dei religiosi nella Chiesa.* I. *Religiosi e promozione umana* (12 Augusti 1980), II, 24: *Ench. Vat.,* 7, 455.**

[96] **IOANNES PAULUS PP. II, Adhort. Ap. post-synodalis *Christifideles laici* (30 Decembris 1988), 31-32: *AAS* 81 (1989), 451-452.**

[97] ***Regula buttata* I, 1.**

[98] ***Epistulae,* 109.171.196.**

[99] **Cfr *Regulae* « ad rectam sentiendi rationem inducendam de militanti Ecclesia », quas ille ponit sub finem voluminis *Exercitia spiritualia,* praecipue *Regula 13.***

[100] ***Dicta,* n. 217.**

[101] ***Manuscrits autobiographiques* B, 3 v.**

qui in theologica inquisitione tradendaque doctrina, scriptis edendis, in catechesi atque instrumentis communicationis socialis adhibendis versantur.[102] Cum praecipuum locum obtineant in Ecclesia personae consecratae, earum mens animusque magnum pro Dei populo pondus habent. Eorum apostolica opera efficacitatem depromit vimque ex eorum filialis amoris testificatione quae, in ambitu missionis propheticae omnium baptizatorum, per officia plerumque notatur peculiaris cum hierarchia cooperationis.[103] Hoc modo suorum charismatum divitiis praecipuam operam ferunt, ut Ecclesia usque altius suam indolem compleat sacramenti « intimae cum Deo unionis totiusque generis humani unitatis ».[104]

Ecclesiae universalis fraternitas

47. Personae consecratae nimirum rogantur ut communionis missionalis universa in Ecclesia sint fermentum propterea quod multiplicia singulorum Institutorum charismata ad bonum totius mystici Corporis a Spiritu Sancto donantur, cui aedificando ipsi inservire debent (cfr *1 Cor* 12, 4-11). Insigniter «excellentiorem viam» (2 *Cor* 12, 31) caritatem dicit Apostolus, quae « maior ex his » *(1 Cor* 13, 13) exstat, quaeque omnes diversitates componit cunctisque in apostolico studio mutui subsidii tribuit virtutem. Ad hoc quidem intendit ***peculiare communionis vinculum,*** quod variae formae vitae consecratae et Societates vitae apostolicae ***possident cum ministerio unitatis et universalitatis missionalis quod ad Petri Successorem pertinet.*** Spiritalitatis historia hoc conspicue ostendit vinculum dum eius providum opus significat, ut praestetur tum vitae consecratae vera proprietas, tum missionalis Evangelii propagatio. Evangelicae enuntiationis animosa diffusio atque Ecclesiae in tot terrarum locis firma confirmatio itemque christianarum rerum novellis in Ecclesiis validus proventus, intellegi haudquaquam possunt — quemadmodum synodales ipsi Patres dixerunt — sine tot Institutorum vitae consecratae et Societatum vitae apostolicae collata opera. Communionem ipsi saeculorum decursu firmam cum Petri Successoribus servarunt, qui in iis impigram alacritatem reppererunt, cum se prompte ad missionale munus dederent, quod, pro occasione, usque ad heroicum gradum pervenit.

Sic ***universalitatis indoles et communionis*** proditur, quae propria est Institutorum vitae consecratae et Societatum vitae apostolicae. Quandoqui-

[102] Cfr *Propositio* 30, A.

103 Cfr. IOANNES PAULUS PP. II, Adhort. Ap. *Redemptionis donum* (25 Martii 1984), 15: *AAS* 76 (1984), 541-542.

[104] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 1.

dem supra dioeceses sunt ipsa, ob eorum peculiarem cum ministerio Petrino necessitudinem, inserviunt eadem quoque cooperationi inter diversas particulares Ecclesias,[105] inter quas efficaciter « donorum permutationem » provehere possunt, operam suam ad Evangelii inculturationem conferendo, ut omnium populorum culturae mundentur, aestimentur et suscipiantur eorum cum divitiis.[106] Hodie etiam quia in novellis Ecclesiis florent vocationes ad vitam consecratam, planum fit quomodo ea in catholica unitate exprimere valeat diversorum populorum culturarumque postulata.

Vita consecrata et Ecclesia particularis

48. ***Intra quoque Ecclesias particulares*** partes significantes agunt personae consecratae. Haec est ratio quae, initium ducens a conciliari doctrina de Ecclesia prout illa est communio et mysterium, atque a doctrina de Ecclesiis particularibus quae sunt Dei Populi particulae in quibus «vere inest et operatur Una Sancta Catholica et Apostolica Christi Ecclesia»,[107] penitus excussa est et in subsequentibus documentis recepta. Horum ex consideratione rerum scriptarum clarissime patet sociatam personarum consecratarum cum Episcopis operam plurimum conferre ad ordinatum dioecesanae pastoralis rei progressum adipiscendum. Multam quidem operam dant consecratae vitae charismata caritati aedificandae in Ecclesia particulari.

Variae enim species, ad quas evangelica recipiuntur consilia, declarationes sunt atque e spiritalibus donis manant, quae conditores et conditrices receperunt, atque ut tales exstant aliqua « ***Spiritus experientia,*** propriis discipulis tradita, ut secundum eam vivant, eam custodiant altioremque reddant et constanter augeant simul cum Christi Corpore iugiter crescente ».[108] Germana singulorum Institutorum proprietas singulare sanctificationis et apostolatus genus secum fert, quod certis translaticiis condicionibus gradatim firmatur, quas obiectiva elementa designant.[100] Hanc ob causam Ec-

[105] Cfr CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, Litterae ad Catholicae Ecclesiae Episcopos de aliquibus aspectibus Ecclesiae prout est communio *Communionis notio* (28 Maii 1992), 16: *AAS* 85 (1993), 847-848.

[106] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 13.

[107] CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de pastorali episcoporum munere in Ecclesia *Christus Dominus,* 11.

[108] CONGREGATIO PRO RELIGIOSIS ET INSTITUTIS SAECULARIBUS et CONGREGATIO PRO EPISCOPIS, Notae directivae pro mutuis relationibus inter Episcopos et Religiosos in Ecclesia *Mutuae relationes (U* Maii 1978), 11: *AAS* 70 (1978), 480.

[109] Cfr *ibid.*

clesia curat ut Instituta adolescant et incrementum capiant ad Conditorum atque Conditricum mentem adque eorundem rectas traditiones.[110]

Quocirca ***iusta automonia*** singulis Institutis conceditur, per quam sua disciplina uti possunt et integrum servare suum spiritale atque apostolicum patrimonium. Est loci Ordinariorum hanc autonomam custodire ac tueri.[111] Recipere ideo et aestimare vitae consecratae charismata debent Episcopi, in pastoralis actionis dioecesanae propositis dantes iisdem locum. Singularem curam ad iuris dioecesani Instituta conferre debent, quae Ordinarii loci peculiari sollicitudini committuntur. Dioecesis quae vita consecrata careat, praeterquam quod tot spiritalibus donis orbatur, aptis locis Deo perquirendo, peculiaribus apostolicis laboribus et pastoralibus viis, etiam periculum adit ne graviter mens illa missionalis extenuetur, qua maior Institutorum pars ditatur.[112] Quapropter vitae consecratae dono respondere necesse est, quod Spiritus Sanctus in Ecclesia particulari concitat, quodque cum gratiarum actione est accipiendum.

Fertilis et apte composita ecclesialis communio

49. Episcopus pater est et pastor totius particularis Ecclesiae. Eiusdem est singula charismata agnoscere et tueri ipsaque promovere atque ordine disponere. Sua igitur pastorali caritate vitae consecratae charisma recipiet tamquam gratiam quae non respicit tantum Institutum aliquod, sed in totam Ecclesiam perfunditur. Sustentare iuvareque ita studebit personas consecratas ut, in communione cum Ecclesia, ad spiritalia pastoraliaque proposita pateant postulatis nostrae aetatis consentanea, fidelitatem erga fundatoris consilia servantes. Personae vitae consecratae, vicissim, liberaliter sociatam suam operam in Ecclesiam particularem suis pro cuiusque viribus conferent, proprio servato charismate, ***dum Episcopo arte adhaerentes operantur*** in provincia evangelizationis, catechesis, atque paroecialis vitae.

Reminiscendum est Instituta Ecclesiae universalis famulatum conciliando cum Ecclesiae particularis munere congruam autonomiam ipsamque exemptionem, quibus complura ex iis fruuntur,[113] sibi vindicare non posse ut

[110] Cfr *Codex Iuris Canonici,* can. 576.

[111] Cfr *ibid.,* can. 586; CONGREGATIO PRO RELIGIOSIS ET INSTITUTIS SAECULARIBUS et CONGREGATIO PRO EPISCOPIS, Notae directivae pro mutuis relationibus inter Episcopos et Religiosos in Ecclesia *Mutuae relationes* (14 Maii 1978), 13: *AAS* 70 (1978), 481-482.

[112] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de activitate missionali Ecclesiae *Ad gentes,* 18.

[113] Cfr *Codex Iuris Canonici,* cann. 586 § 2 et 591; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium,* can. 412 § 2.

quaedam electiones iustificentur quae revera dissident ab ordinatae communionis necessitatibus quas recta vita ecclesialis requirit. Oportet contra ut pastoralia personarum religiosarum incepta benevolo et aperto instituto dialogo inter Episcopos et variorum Institutorum Praepositos decernantur et compleantur. Perattenta Episcoporum consideratio in Institutorum vocationem et munus atque ipsa vicissim Institutorum observantia in Episcoporum ministerium, una cum prompta acceptione pastoralium pro vita dioecesana eorum inceptorum, duas formas prae se ferunt illius ecclesialis unius caritatis quae cunctos ad bene constitutae communioni inserviendum compellit — charismaticae atque simul secundum cuiusque officia compositae — universi Dei populi.

Perpetuus dialogus qui caritate animatur

50. Ad mutuam cognitionem promovendam, quae quidem omnino necessaria est ut actuosa adsit in pastorali ambitu cooperatio, peropportunus est ***continuatus dialogus*** Praepositorum Praepositarumque Institutorum vitae consecratae Societatumque vitae apostolicae cum Episcopis. Hos per usitatos conventus Praepositi ac Praepositae Episcopos certiores facient de apostolicis inceptis quae in eorum dioecesibus sunt suscepturi, ut in rebus agendis necessaria statuatur conspiratio. Eadem ratione decet Praepositorum Praepositarumque delegatos invitari ut Congressionibus Conferentiae Episcoporum intersint itemque vicissim Conferentiae Episcoporum sint Congregationum Superiorum Conferentiae maiorum delegati participes, secundum definiendos modos. Hoc rerum in prospectu magnum poterit afferre emolumentum constitutio, ubi nondum exstent, earundemque operatio patria quidem ratione, ***commissionum mixtarum Episcoporum Superiorumque maiorum,***[114] quae una simul negotia perpendant communia. Pleniorem mutuam cognitionem iuvabunt theologia vitaeque consecratae spiritalitas quae in rationem studiorum theologiae presbyterorum dioecesanorum inseruntur, simulque in personis ipsis consecratis educandis theologia congruenter tractata de Ecclesia particulari deque spiritalitate dioecesani cleri.[115]

Solacio tandem afficimur cum memoramus in Synodo non modo innumeras exstitisse de communionis doctrina elocutiones, verum etiam magnam fuisse dialogorum delectationem, qui mutuo sinceroque animi sensu inter Episcopos, religiosos religiosasque praesentes sunt producti. Id effe-

114 Cfr *Propositio* 29, 4.
115 Cfr *Propositio* 49, B.

cit ut vellent « experientiam spiritualem communionis et collaborationis ulterius protrahi in Ecclesia universa » etiam post Synodum[116] celebratam. Idem Nos facimus votum, ut in omnibus mens et communionis spiritalitas adolescant.

In mundo diviso et iniquo fraternitas

51. Vitae consecratae communitatibus peculiare officium concredit Ecclesia ut ***communionis spiritalitatem augescant,*** primum intra se, deinde in ipsa ecclesiali communitate et ultra eius fines, caritatis dialogum usque instituendo vel restituendo, ibi potissimum ubi hodiernus mundus stirpium odio furoribusque mortiferis conflictatur. Diversis in nostri terrarum orbis societatibus — quae saepe cupiditatibus disparibusque studiis tenentur, ad unitatem quidem tendentes, dubitantes tamen de via ingredienda — collocatae consecratae vitae communitates in eas sicut fratres sororesque dissimiles aetate lingua cultuque personae conveniunt, tamquam signum illae se praebent dialogi, qui semper institui potest, nec non communionis quae diversitates aequare valet.

Vitae consecratae communitates per suae vitae testificationem ad fraternitatis christianae dignitatem nuntiandas mittuntur nec non renovantem Boni Nuntii[117] virtutem, qui efficit ut omnes sicut filii Dei agnoscantur atque ad dilectionem in omnes pronam potissimumque in humillimos impellit. Communitates hae loci exstant spei et detectionis Beatitudinum, loci sunt in quibus amor, ex precatione vim hauriens, communionis videlicet a fonte, rogatur ut vitae ratio fiat et laetitiae fons.

Internationalia in primis Instituta, quae nostra aetate quaestionibus illis signatur totum mundum complectentibus ac simul restitutis nationalismi simulacris, animare et testificari debent communionis sensum inter gentes, Stirpes et culturas. Dum fraternitatis mens viget, quaestiones ad totum mundum porrectae minime particulares divitias inhibebunt, nec peculiaris cuiusdam dati obtestatio ceteris vel unitati officiet. Instituta Internationalia id efficaciter complere possunt, quippe quae ingeniose inculturationis provocationem sustinere debeant eodemque tempore peculiarem suam servare naturam.

ne *Propositio* 54.

[117] Cfr CONGREGATIO PRO INSTITUTIS VITAE CONSECRATAE ET SOCIETATIBUS VITAE APOSTOLICAE, Instr. *La vita fraterna in comunità « Congregava nos in unum Christi amor »* (2 Februarii 1994), 56: Città del Vaticano 1994, p. 66,

Inter diversa Instituta communio

52. Fraternam necessitudinem spiritalem ac inter varia Instituta vitae consecratae et Societates vitae apostolicae mutuam cooperationem sensus quidam ecclesialis communionis sustentat alitque. Personae enim quae communi Christi sequelae officio iunguntur atque ab eodem animantur Spiritu, facere non possunt quin, veluti unius vitis palmites, Evangelii amoris plenitudinem visibiliter ostendant. Spiritalis memores amicitiae, quam in terra saepenumero contraxerunt complures conditores et conditrices, ipsae, quamvis erga suum charisma fideles maneant, ad significandam inducuntur illustrem fraternitatem, quae in cotidiano testificationis officio pro Evangelio incitamento sit ceteris ecclesialibus partibus.

Sancti Bernardi de religiosis diversis Ordinibus verba ad nostra usque tempora sunt accommodata: «Laudo omnes... Unum opere teneo, caeteros charitate ». Omnes vicissim aliis indigemus: « Faciet autem charitas ut ne illorum quidem fructu frauder, quorum instituta non sequor... Et quid mirum, si in hoc exilio, peregrinante adhuc Ecclesia, quaedam huiuscemodi sit pluralis, ut ita dixerim, unitas, unaque pluralitas... Sicut itaque illic multae mansiones in una domo, ita hic multi ordines sunt in Ecclesia una: et quomodo hic divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus, ita ibi distinctiones quidem gloriarum, sed una domus. Porro unitas tam hic quam ibi, consistit in una charitate ».[118]

Institutiones rebus componendis

53. Multum ad Ecclesiae communionem conferre possunt Conferentiae Superiorum maiorum atque Conferentiae Institutorum saecularium. A Concilio Vaticano II[119] confirmatae atque compositae abque subsequentibus documentis,[120] hae institutiones praesertim vitam consecratam in ipsa ecclesialis operae compage provehendam sibi praestituunt.

Earum beneficio Instituta communionem inter se exprimunt adque eam roborandam instrumenta perquirunt, servatis recteque aestimatis diversorum charismatum proprietatibus, in quibus mysterium Ecclesiae ac multi-

[118] *Apologia ad Villelmum Sancti Theodorici,* IV, 8: *PL* 182, 903-904,

[119] Cfr Decr. de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae caritatis,* 23.

[120] Cfr CONGREGATIO PRO RELIGIOSIS ET INSTITUTIS SAECULARIBUS et CONGREGATIO PRO EPISCOPIS, Notae directivae pro mutuis relationibus inter Episcopos et Religiosos in Ecclesia *Mutuae relationes* (14 Maii 1978), 21.61: *AAS* 70 (1978), 486.503-504; *Codex Iuris Canonici,* cann. 708-709.

formis Dei sapientia referuntur.[121] Vitae consecratae Instituta cohortamur ut in opera complenda consocientur, in nationibus in primis ubi peculiares propter difficultates magna sunt invitamenta ut velint sese concludere in se, ipsius vitae consecratae Ecclesiaeque cum detrimento. Oportet contra in Dei consilio exquirendo inter se iuvent arduo hoc nostro historiae intervallo, quo melius eidem congruentibus apostolicis inceptis respondeant.[122] Hoc in communionis prospectu ad nostri temporis provocationes aperto, Praepositi ac Praepositae, « una cum Episcopis operantes », contendant « ut optimorum cuiusque Instituti cooperatorum opera utantur atque officia praestent non modo ut quidam fines, si forte sint, superentur, verum etiam ut quaedam solida ineatur ratio de vitae consecratae apta institutione ».[123]

Superiorum maiorum Conferentias adhortamur Saeculariumque Institutorum ut sit cum Congregatione pro Institutis vitae consecratae cumque Societatibus vitae apostolicae constans communisque consuetudo, velut earum cum Apostolica Sede significata communio. Actuosa quoque et fiduciae plena habenda est cum Episcoporum Conferentiis cuiusque nationis necessitudo. Ad ***Mutuae relationes*** documentum, opportunum est hunc usum esse stabilem, ut simul ac progrediente tempore apparent incepta, ea constanter et tempestive ordinari possint. Si quidem haec omnia perseveranter perficiuntur, Magisterii mente praescriptisque fideliter servatis, compositionis et communionis institutiones utiles fient ut, pravae interpretationes discidiaque sive ratione sive re expediantur;[124] hoc modo communionis incrementum inter Instituta vitae consecratae et Episcopos non solum illae fulcient, sed obsecundabunt etiam missionis progressum ipsarum Ecclesiarum particularium.

Cum laicis communio et cooperatio

54. Inter fructus his annis tributos doctrinae Ecclesiae prout est communio id adscribitur, quod variae eius partes consciae factae sunt se vires iungere posse et debere, ut socient vires, mutua in cooperatione atque do-

[121] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae caritatis,* 1; Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 46.

[122] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 4.

[123] IOANNES PAULUS PP. II, Nuntius ad XIV Coetum Conferentiae Religiosorum Brasiliensium (11 Iulii 1986): *Insegnamenti* IX/2 (1986), 237; cfr *Propositio* 31.

[124] Cfr CONGREGATIO PRO RELIGIOSIS ET INSTITUTIS SAECULARIBUS et CONGREGATIO PRO EPISCOPIS, Notae directivae pro mutuis relationibus inter Episcopos et Religiosos in Ecclesia *Mutuae relationes* (14 Maii 1978), 63.65: *AAS* 70 (1978), 504-505.

norum permutatione ad Ecclesiae missionem efficacius participandam. Id efficit ut distinctior definitiorque ipsius Ecclesiae sit effigies, praeterquam quod magnis nostrae aetatis provocationibus efficacius respondetur, per diversorum donorum participatam collationem.

Necessitudines cum laicis apud monastica contemplativaque Instituta spiritalem magna ex parte habent speciem, dum contra Instituta in apostolatu versantia pastoralis cooperationis inducunt rationes. Institutorum autem saecularium sodales, sive laici sive clerici, vitae cotidianae ordinarias per formas cum ceteris fidelibus admiscentur. Hodie non pauca Instituta, exstantibus saepe novis condicionibus, pro explorato habent ***suum charisma cum laicis participari posse;*** qui idcirco vehementius invitantur ad spiritalitatem adque ipsius Instituti missionem communicandam. Dici potest, experientia historica praegrediente sicut diversorum saecularium Ordinum vel Tertii Ordinis, novam aetatem in historia respiciente laicorum personarumque consecratarum necessitudinem, incohatam esse, spe nimirum locupletem.

Ad spiritalem apostolicamque alacritatem renovandam

55. Novae hae communionis cooperationisque rationes varias ob causas sustinendae sunt. Ex iis enim ante omnia contingere poterit ut navae spiritalitatis fulgor deducatur qui ipsius Instituti fines transgrediatur, cui deinceps potestas dabitur usque praestandi Ecclesiae quasdam peculiares servitii formas. Sequitur feliciter exinde ut collatis viribus inter personas consecratas et laicos, missione spectata, vehementius opus sustineatur: personarum consecratarum sanctitatis exemplis permoti, laici recta ducentur ad consiliorum evangelicorum sensum experiendum, qui animum addent ut Beatitudinum vim vivant et testificentur ad mundum transformandum secundum Dei cor.[125]

Laicorum participatio non raro facit ut quaedam de illo charismate altius expendantur atque nonnulla inopinata et fecunda detegantur, dum magis spiritalis fit ipsius interpretatio dumque nova indicia renovati apostolici impetus reperiuntur et inculcantur. In quolibet opere munereve versantes, personae consecratae ideo memoria tenebunt se esse debere peritas vitae spiritalis ductrices, atque hoc porro in rerum prospectu « maximi pretii talentum, spiritum scilicet »,[126] colent. Laici vicissim religiosis familiis

[125] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 31.

[126] S. ANTONIUS M. ZACCARIA, *Scritti. Sermone II,* Roma 1975, p. 129.

suam saecularitatem peculiareque ministerium veluti proprium subsidium ministrent.

Laici voluntarii et consociati

56. Insignis quaedam laicalis participationis divitiarum vitae consecratae facies in eo stat quod fideles laici variis Institutis adhaerent nova forma videlicet illa sodalium consociatorum, ut aiunt, vel, secundum hodierna postulata quorundam morum culturalium, personarum illarum quae communicant, ad certum quoddam temporis spatium, vitam communitariam et peculiarem deditionem contemplativam apostolicam ve Instituti operam, dummodo, ut liquet, vitae interioris eius intrinseca peculiaritas nihil patiatur detrimenti.[127]

Iure meritoque hoc voluntarium opus valde aestimatur, quod ex vitae consecratae divitiis oritur; at instituantur illi oportet, ut voluntarii praeter peritiam altas semper supernaturales in suis propositis rationes colant acrioremque communitatis Ecclesiaeque sensum suis in consiliis.[128] Illud quoque est ob oculos habendum, incepta scilicet quibus decernendis et laici implicantur, ut ipsa certo cuidam Instituto adscribantur ipsius persequi debere proposita eademque ipsius sub auctoritate esse complenda. Itaque si laici his rebus praesidebunt, rationem hac de moderatione legitimis Superioribus reddent. Convenit quidem ut haec omnia opportunis singulorum Institutorum normis a maiore auctoritate decernantur, prius comprobatis quae ordine definiant Instituti, communitatis, consociatorum sodalium vel voluntariorum officia.

Personae consecratae, quae a Superioribus mittuntur, quaeque ceteroquin sub eorum auctoritate erunt, ***peculiaribus cooperationis generibus laicorum inceptis*** interesse possunt, in iis praesertim sodaliciis atque institutionibus, quae intimos homines iuvare humanasque aerumnas lenire conantur. Sociata haec opera, si conspicua acrique christiana mente et charismatica animatur et sustentatur atque erga indolem vitae consecratae propriam reverens est, tenebricosioribus humanae exsistentiae condicionibus Evangelii vim fulgentem afferre potest.

His proximis annis, non paucae personae consecratae illorum cuidam ***ecclesialium motuum*** nomen dederunt, qui nostra aetate succreverunt. Hic mos emolumento iis plerumque est, spiritali praesertim considerata renova-

[127] Cfr ***Propositio* 33,** A et C.
[128] Cfr ***Propositio* 33,** B.

tione. Negari tamen non potest, quibusdam in rerum adiunctis, incommoda perturbationesque et singulis et communitatibus inde oriri, tum potissimum cum experientiae hae cum necessitatibus vitae communis et Instituti spiritalitatis contendunt. Curandum igitur erit ut ecclesiales motus suscipiantur charismatica servata proprietate et cuiusque Instituti disciplina,[129] Superiorum de licentia atque subsidiaria data condicione excipiendi eorum decreta.

Mulieris consecratae praestantia et pars

57. Multiformes suas spiritales divitias plane ostendit Ecclesia cum, discriminibus remotis, veluti benedictionem ea dona accipit quae a Deo simul in viros simul in feminas derivantur, eorum dignitatem parem omnium aestimans. Mulieres consecratae peculiari modo invitantur ut suam per deditionem plene laetanterque actam ***signum sint benignitatis Dei erga homines*** atque peculiare testimonium mysterii Ecclesiae, virginis sponsae et matris.[130] Hoc earum munus in Synodo emersit, Cui complures feminae interfuerunt suas enuntiantes sententias quas omnes audiverunt et exsistimarunt. Earum quippe merito quaedam utilia prodierunt ad Ecclesiae vitam eiusque evangelizatricem operam. Certe fieri non potest quin nonnulla iuste vindicentur, quae in diversis socialibus condicionibus ipsaque in Ecclesia ad mulieris statum pertinent. Dici pariter oportet novam feminarum conscientiam viros quoque iuvare ut mentem demutent, rationem sui intellegendi, sese collocandi in historia eandemque interpretandi, modum suum socialem politicam oeconomicam religiosam ecclesialem vitam componendi.

Quandoquidem Ecclesia a Christo accepit liberationis nuntium, munus recepit eundem prophetice diffundendi, animos moresque ad Domini mentem dirigendo. Hoc in prospectu, mulier consecrata, initium capiens ex sua experientia Ecclesiae ac mulieris pariter in Ecclesia, operam suam conferre potest ut quaedam manca curtaque iudicia tollantur, quibus haud liquido ipsius dignitas nec non eius collatum opus in vitam et pastoralem missionariamque actionem Ecclesiae manifestantur et agnoscuntur. Idcirco consentaneum est ut mulier consecrata suam qualitatem, suas facultates, suam operam, sponsionem suam sive in ecclesiali conscientia sive in cotidiana vita agnosci velit.

[129] Cfr CONGREGATIO PRO INSTITUTIS VITAE CONSECRATAE ET SOCIETATIBUS VITAE APOSTOLICAE, Instr. *La vita fraterna in comunità «Congregava nos in unum Christi amor»* (2 Februarii 1994), 62: Città del Vaticano 1994, pp. 75-77; Instr. *Potissimum institutioni* (2 Februarii 1990), 92-93: *AAS* 82 (1990), 123-124.

[130] Cfr. *propositio* 9, A.

Futura quoque evangelizationis aetas, aeque ac cuncta missionalis operis genera, intellegi nequeunt dempto mulierum, in primis mulierum consecratarum, adiumento.

Praesentiae et actionis novae exspectationes

58. Quapropter urget ut quaedam res solidae suscipiantur, recludendo ante omnia ***participationis opportunitates*** mulieribus variis in provinciis omnibusque gradibus, etiam cum quid deliberatur et decernitur, in iis rebus praesertim quae ad eas respiciunt.

Oportet quoque mulierum consecratarum institutio, haud minus quam virorum, novis necessitatibus accommodetur atque congruum tempus et certas institutionis opportunitates praebeat ad ordinatum cultum, qui omnes species a theologico-pastorali ad professionalem complectatur. Pastoralis et catechetica institutio, quae est semper magni momenti, secum fert peculiarem pro nova evangelizatione significationem, quae novas participationis formas a mulieribus exposcit.

Pro certo habendum est institutionalem pervestigationem, dum mulierem consecratam ad sui ipsius dona intellegenda adducit, necessariam officiorum mutuationem intra Ecclesiam concitet. In rebus quoque theologicis, culturalibus et spiritalibus pervestigandis multa efficere potest femineum ingenium non modo in iis quae proprietatem vitae consecratae mulierum respiciunt, verum et fidei intellectum in quavis eius specie. Hac in re plurimum spiritalitatis annales illis debent Sanctis, veluti Teresiae a Iesu atque Catharinae Senensi, primis scilicet mulieribus decoratis nomine Doctoris Ecclesiae, et compluribus similiter aliis mysticis, quod ad Dei mysterii inquisitionem pertinet atque ad explicationem eius actionis in credentem! Multam sane spem in mulieribus consecratis collocat Ecclesia, ut peculiare quiddam conferatur ad doctrinam promovendam, mores, vitam ipsam familiarem socialem que, mulieris dignitate et vitae humanae observantia praesertim-consideratis.[131] Etenim ***«mulieribus tribuitur*** prorsus singulare fortasse et decretorum cogitationis et actionis spatium: ipsarum enim est promovere "novum feminismum" qui agnoscere valeat et proferre veram indolem femininam in quolibet convictus civilis gestu, quin in temptationem incurratur

Cfr ***Propositio*** **9.**

imitandi exemplaria "cultus nimii virilitatis", dum opera datur, ut omnino quodvis genus amoveatur discriminationis violentiae et abusus ».[132]

Sperare quidem licet ex altiore mulieris missionis agnitione mulierum vitam consecratam acriorem usque perceptionem muneris sui suscepturam esse studiosioremque deditionem Dei causae. Id nempe in complura opera converti potest, videlicet in evangelizationis munus, in institutionalem navitatem, in futurorum presbyterorum personarumque consecratarum institutionem participandam, in communitatis christianae animationem, in spiritalem comitatum inque praecipua vitae pacisque bona provehenda. Consecratis feminis earumque sese dedendi eximiae facultati iterum admirationem gratumque totius Ecclesiae animum patefacimus, quae easdem sustinet ut plene laetanterque suas vocationes agant atque vocari se sentiant ad nostrae aetatis mulierem iuvandam et instituendam.

II. PERSEVERANS SPIRITUS SANCTI OPERA: IN NOVITATE FIDELITAS

Clausurae moniales

59. Peculiari sane diligentia monastica vita mulierum et clausura monialium sunt considerandae optimam propter aestimationem quam huic vitae generi tribuit communitas christiana, quod signum est unicae coniunctionis Ecclesiae-Sponsae cum Domino admodum dilecto. Vita namque monialium clausurae, quae praecipue oratione, ascesi fervidoque vitae spiritalis progressu explicatur, « nihil aliud est quam iter ad caelestem Ierusalem et anticipado Ecclesiae eschatologicae in possidendo et contemplando Deo defixae ».[133] Sub huius vocationis missionisque lumine respondet clausura praecipuae necessitati ***manendi cum Domino.*** Circumclusum locum eligentes ubi vivant monachae virgines participes fiunt demissionis ipsius Christi per praecipuam paupertatem quae declaratur non rerum reiectione tantum, sed et « spatii », congressuum, tot bonorum creatorum. Haec singularis donandi «corpus» suum ratio vehementius immittit eas in eucharisticum mysterium. Una cum Iesu se dedunt illae pro mundi salute. Adipiscitur earum oblatio, praeter sacrificii expiationisque speciem, et gratiarum Patri agendarum in dilecti Filii gratiis participandis.

[132] IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Encycl. *Evangelium vitae* (25 Martii 1995), 99: *AAS* 87 (1995), 514.

[133] CONGREGATIO PRO RELIGIOSIS ET INSTITUTIS SAECULARIBUS, Instr, de vita contemplativa et de monialium clausura *Venite seorsum* (15 Augusti 1969), V: *AAS* 61 (1969), 685.

Hac in spiritali intentione radices agens clausura non ratio tantum exstat ascetica prestantissima, sed et ***modus quidam vivendi Christi Pascha.***[134] Vitae affluentia fit ipsa ex « mortis » experientia, atque laeta ponitur nuntiatio et prophetica anticipatio illius potestatis, singulis personis universoque hominum generi datae, pro Deo tantum vivendi in Christo Iesu (cfr ***Rom*** 6, 11). ***Cordis*** igitur ***cellulam*** illam evocat clausura in qua ut cum Domino coniunctionem vivat quisque vocatur. Dum veluti donum suscipitur atque eligitur veluti libera amoris responsio, locus evadit illa spiritalis communionis cum Deo cumque fratribus sororibusque, ubi angustiae spatiorum et rariores hominum consuetudines proficiunt ad animis inserenda evangelica bona (cfr ***Io*** 13, 34; ***Mt*** 5, 3.8).

Claustrales communitates, veluti civitates supra montem positae ac tamquam lucernae super candelabrum (cfr ***Mt*** 5, 14-15), quamvis modesta sit earum vita, metam, ***cunctam communitatem ecclesialem respicientem, manifeste significant,*** « actione ferventem et contemplationi vacantem»,[135] quae in temporis itinere progreditur atque futuram recapitulationem omnium rerum in Christo continenter prospectat, cum Ecclesia « cum Sponso suo apparebit in gloria (cfr ***Col*** 3, 1-4) »,[136] et Christus «tradiderit regnum Deo Patri, cum evacuaverit omnem principatum et omnem potestatem et virtutem... ut sit Deus omnia in omnibus» ***(1 Cor*** 15, 24.28).

Sororibus his carissimis gratum igitur animum significamus, quas pariter cohortamur ut vitae claustrali suo ex charismate fideles perstent. Earum quidem exemplo, hoc vitae genus complures vocationes usque recenset, atque allicit ob altam rationem sponsalis exsistentiae penitus Deo in contemplatione dicatae. Quandoquidem meram dilectionem significat quae plus valet quam quodvis opus, vita contemplativa admodum efficacem apostolicam missionalemque generat vim.[137]

Magnopere extulerunt quidem Patres Synodales clausurae praestantiam, postulata similiter ponderantes quae hinc illinc oriuntur de eius solida disciplina. Quae hac de re significavit Synodus atque nominatim consilium ut ampliorem decernendi facultatem habeant Antistitae Maiores in clausurae derogatione permittenda iustam et gravem ob causam,[138] ordinate considerabuntur, cum renovationis prae oculis habebitur iam hucusque peractum

[134] **Cfr *ibid.,* I: *l.m.,* 674.**

[135] **CONC. OECUM. VAT. II, Const. de sacra liturgia *Sacrosanctum Concilium,* 2.**

[136] **CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 6.**

[137] **Cfr S. IOANNES A CRUCE, *Cántico espiritual,* estr. 29, 1.**

[138] **Cfr *Codex Iuris Canonici,* can. 667 § 4; *Propositio* 22, 4.**

iter, quod inde a Concilio Vaticano II initium cepit.[139] Hoc modo clausura variis suis in formis et gradibus — a papali clausura et constitutionali ad monachicam clausuram — Institutorum contemplativorum monasteriorumque traditionum varietati aptius congruet.

Sicut Synodus ipsa affirmavit, Consociationes praeterea et Foederationes promovendae, quas Pius XII iam commendavit nec non Concilium Oecumenicum Vaticanum II,[140] praesertim ubi alicuius consortionis auxiliique aliae formae efficaces desunt ad vitae contemplativae bona custodienda promovendaque. Sodalicia haec in tuto semper posita legitima monasteriorum autonomia valida subsidia ad quaestiones communes enodandas praestare possunt, ut sunt congrua renovatio, institutio sive prima sive permanens, mutuum oeconomicum auxilium atque ipsorum monasteriorum reconcinnatio.

Religiosi fratres

60. Secundum Ecclesiae translaticiam doctrinam, vita consecrata sua natura ***neque laicalis est neque clericalis,***[141] idcirco « laicalis consecratio », sive virorum sive mulierum, perfectum in se constituit professionis statum consiliorum evangelicorum.[142] Eadem ideo et personae ipsi et Ecclesiae proprium obtinet bonum, ministerio sacro seposito.

Ad Concilii Vaticani II doctrinam[143] Synodus magnam huic vitae generi aestimationem dedit, in qua religiosi fratres, sive intra sive extra communitatem diversa magnique pretii opera obeunt, communicantes sic munus Evangelii enuntiandi idemque per caritatem in cotidiana vita testificandi. Re ipsa aliqua ex his operibus ***ministeria ecclesialia*** haberi possunt, quae legitima auctoritas iis concredit. Id congruentem et universalem institutionem postulat: humanam videlicet, spiritalem, theologicam, pastoralem et professionalem.

[139] Cfr PAULUS PP. VI, Motu proprio *Ecclesiae Sanctae* (8 Iunii 1966), II, 30-31: *AAS* 58 (1966), 780; CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae caritatis,* 7.16; CONGREGATIO PRO RELIGIOSIS ET INSTITUTIS SAECULARIBUS, Instr, de vita contemplativa et de monialium clausura *Venite seorsum* (15 Augusti 1969), VI: *AAS* 61 (1969), 686.

[140] Cfr Pius PP. XII, Const. Ap,. *Sponsa Christi* (21 Novembris 1950), VII: *AAS* 43 (1951), 18-19; CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae caritatis,* 22.

[141] Cfr *Codex Iuris Canonici,* can. 588 § 1.

[142] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae caritatis,* 10.

[143] Cfr *ibid.,* 8.10.

Secundum hodierna vocabula, « Instituta laicalia »[144] appellantur Instituta quae, conditoris voluntate vel legitimae traditionis vi, illam habent indolem et proposita, quae sacri ordinis exercitium non includunt. In Synodo tamen luculenter dictum est non significare verba haec omnibus ex partibus peculiarem indolem vocationis religiosorum horum Institutorum sodalium. Ii namque, quamvis complura opera sustineant quae et fideles laici, tamen ex qualitate consecratarum personarum ea agunt ,atque sic significant rationem donationis summae pro Ecclesia, ad cuiusque charisma.

Hac de causa synodales Patres, ut omnia vitarentur dubia atque cum fidelium laicorum saeculari indole permixtio,[145] appellationem proposuerunt ***Instituta religiosa fratrum.***[146] Quae appellatio significans fit praesertim si perpenditur vocem fratris revocare etiam locupletem spiritalitatem. « Religiosi hi ut sint Christi fratres rogantur, cum Eo penitus coniuncti, qui est "primogenitus in multis fratribus" ***(Rom*** 8, 29), ut inter se sint fratres in mutua dilectione atque in eadem sociata opera ad bonum Ecclesiae praestanda; cuiusque hominis fratres in caritatis testificatione qua Christus omnes complectitur, humiliores praesertim et indigentiores; fratres tandem, ut in Ecclesia maior efficiatur fraternitas ».[147] Christianae ac simul consecratae vitae partem hanc peculiariter experientes, «fratres religiosi» ipsos religiosos sacerdotes in Christo efficaciter commonefaciunt de insigni in Christi condicione fraternitatis, quae inter eos cumque viris mulieribusque cunctis est participanda, atque omnibus Domini verbum enuntiant: « Omnes autem vos fratres estis» ***(Mt*** 23, 8).

His in Fratrum Institutis religiosis ex Capituli generalis dispositione nihil obstat quominus quidam sodales sacris Ordinibus augeantur ut sacerdotes religiosae communitati inserviant.[148] Attamen Concilium Vaticanum II haud explicate hanc rem suadet, quandoquidem exoptat ut fratrum Instituta suae vocationi missionique fidem servent. Id tenendum etiam cum de Superioris munere adipiscendo agitur, quippe quod peculiari modo ipsius Instituti indolem referat.

[144] ***Codex Iuris Canonici,*** **can. 588 § 3; cfr CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae caritatis,* 10.**

[145] **Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 31.**

uè Cfr *Propositio* 8.

[147] **IOANNES PAULUS PP. II, Allocutio in Audientia generali (22 Februarii 1995), 6: *L'Osservatore Romano,* 23 Februarii 1995, p. 4.**

[148] **Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae caritatis,* 10.**

Alia quidem est vocatio fratrum illorum Institutorum quae « clericalia » dicuntur, quia secundum conditoris propositum aut traditionis legitimae vi, Ordinis sacri exercitium secum ferunt, a clericis gubernantur et talia ab Ecclesiae auctoritate agnoscuntur.[149] His in Institutis ministerium sacrum pars necessaria est ipsius charismatis eiusque porro indolem, finem et sensum definit. Quod inibi sunt fratres, id significat Instituti missionem diversimode communicari, dum munera sustinentur sive intra communitatem sive in apostolicis operibus auxilium praestando iis qui ministerium sacerdotale exercent.

Instituta mixta

61. Nonnulla religiosa Instituta, quae ad conditoris primigeniam mentem veluti fraternitates habebantur in quibus omnes sodales — sive sacerdotes sive non sacerdotes — aequales inter se considerabantur, progrediente tempore novam adepta sunt speciem. Instituta haec, quae «mixta» vocantur, fundationis charismate prae oculis habito, perpendant oportet sitne consentaneum et tolerabile ad primigeniam mentem et voluntatem redire. Patres synodales exoptarunt ut in id genus Institutis eadem omnibus religiosis iura officiaque adsignentur, praeter illa quae ex Ordine sacro oriuntur.[150] Ut hac de re quaestiones ponderentur eaedemque solvantur, apposita constituta est Commissio, cuius praestolandae sunt conclusiones, ut aptae depromantur electiones prout legitime statuetur.

Evangelicae vitae nova genera

62. Spiritus, qui diversis temporibus multa vitae consecratae genera suscitavit, Ecclesiam sustinere non desinit, tum in Institutis quae nunc sunt fovendo renovationis officium in fidelitate erga primigenium charisma, tum nova charismata viris mulieribusque nostrae aetatis ministrando, ut institutiones condantur quae hodiernis provocationibus occurrere valeant. Divinae huius actionis signum sunt ***novae Institutiones,*** quibus notae insunt quodammodo novae prae translaticiis proprietatibus.

Novarum communitatum proprietas saepe in eo est quod agitur de coetibus viris mulieribusque constantibus, clericis laicisque, matrimonio iunctis caelibibusque, qui peculiare vitae genus persequuntur, quod modo ex hac, modo ex illa eruitur translaticia forma, vel hodiernae societatis necessitati-

[149] Cfr *Codex Iuris Canonici,* can. 588 § 2.

i» Qf *Propositio* 10; CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae caritatis,* 15.

bus aequatur. Eorum quoque vitae evangelicae munus varie significatur, dum in universum declaratur ad vitam communitariam vehemens ardor, ad paupertatem precationemque. Moderandi munus clerici et laici pro cuiusque facultatibus participant, atque apostolicum opus ad novae evangelizationis necessitates aperitur.

Si quidem hinc est de Spiritus opera laetandum, illinc necesse est ut gressus fiat ad ***charismatum discretionem.*** Ut ,de vita consecrata sermo seri possit, primarium sane principium in eo nititur quod peculiaria novarum communitatum lineamenta et vitae genera praecipuis theologicis canonicisque elementis sustinentur, quae vitae consecratae sunt propria.[151] Haec discretio sive in locali sive in universali ambitu necessaria est, ut uni Spiritui communiter oboediatur. In dioecesibus de vitae testimonio deque conditorum conditricumque harum communitatum recta fide inquirat Episcopus, similiter de eorum spiritali vita, de ecclesiali sensu in missione complenda, de institutionis rationibus atque de modis in communitatem admittendi; si quae sunt infirmitates perpendat et patienter consequentes fructus exspectet (cfr ***Mt*** 7, 16),[152] ut charismatum veritatem agnoscant. Nominatim ipse rogatur ut, ad perspicuas normas, de idoneitate iudicet eorum qui his in communitatibus ad ordines sacros accedere volunt.[153]

Eiusdem principii discretionis virtute, in ipso vitae consecratae genere recenseri non licet illas etiam commendabiles vivendi rationes quas nonnulli christiani coniuges in consociationibus motibusque ecclesialibus accipiunt, quotiens suum amorem ad caritatis consummationem proferre nitentes iam matrimonii sacramento « uti consecrati »[154] confirmant voto quodam obligationem castitatis vitae coniugalis propriae atque minime in filios neglectis officiis, paupertatem et oboedientiam profitentur.[155] Debita circumscriptio ipsius indolis talium experimentorum non eo spectat ut peculiare hoc sanctificationis iter subaestimetur cui scilicet haud desit Sancti Spiritus actio qui donis suis et impulsionibus infinitum in modum est locuples.

Prae tantis divitiis donorum atque incitationum ad novationem, consentaneum videtur ***Commissionem instituti quae quaestiones de vitae consecratae novis formis perpendat,*** ut authenticitatis normas statuat, quae in his decer-

[151] Cfr *Codex Iuris Canonici,* can. 573; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium,* can. 410.

[152] Cfr *Propositio* 13, B.

[153] Cfr *Propositio* 13, C.

[154] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 48.

[155] Cfr *Propositio* 13, A.

nendis et iudicandis iuvent.[156] Alia inter munera Commissio haec sub horum novissimorum decenniorum experientiae lumine aestimare debebit quas novas consecrationis formas ecclesiastica auctoritas ex pastorali prudentia et communi emolumento palam agnoscere possit easdemque fidelibus exhibere perfectiori vitae christianae studentibus.

Novae hae vitae evangelicae sodalitates ***minime locum occupant*** illarum institutionum supra memoratarum, quae gradum insignem obtinent, sibi a traditione adsignatum. Etiam novae formae dono Spiritus adscribuntur, ut Ecclesia perenni cum magnanimitatis impetu suum Dominum sequatur, continenter ad Deum vocantem conversa, prout temporum signa significant. Sic mundo se ipsa ostendit sanctitatis operumque speciebus variegatam, veluti « signum et instrumentum intimae cum Deo unionis totiusque generis humani unitatis ».[157] Prisca Instituta, quorum complura per ásperas temptationes transierunt saeculorum decursu fortiter toleratas, dialogum instituendo donaque permutando cum fundationibus quae nostra aetate oriuntur ditescere possunt.

Hac ratione variarum vitae consecratae institutionum vigor, ab antiquissimis ad recentissimas, itemque novarum communitatum vis, erga Spiritum Sanctum fidelitatem fovebunt, qui principium est communionis et perpetuae novitatis vitae.

III. IN FUTURUM AEVUM CONTUITUS

Difficultates et praevisiones

63. Societatum mutationes quae nunc fiunt nec non imminutus vocationum numerus nonnullis in mundi regionibus vitam consecratam deprimunt. Multorum Institutorum apostolica opera eorumque ipsa apud quasdam Ecclesias locales praesentia in discrimine versantur. Quemadmodum iam alias in historia usu venit, sunt etiam Instituta quibus periculum instat ne brevi plane dissolvantur. Universalis Ecclesia infinitas gratias agit propter adiumenta quae ad eiusdem aedificationem per testimonia et famulatum suum contulerunt.[158] Hodiernae aegritudines non auferunt earum merita neque fructus quos ipsarum labores pepererunt.

166 Cfr *Propositio* 13, B.

157 CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm., de Ecclesia *Lumen gentium,* 1.

158 Q£R *Propositio* 24.

Aliis autem Institutis quaestio ponitur de operibus rursus disponendis. Hoc opus, haud facile sane immo non raro etiam acerbum, studium requirit et iudicium sub luce nonnullarum rationum. Sic, ex. gr., proprii charismatis sensus est servandus, vita fraterna provehenda, Ecclesiae tum universalis tum particularis necessitatibus succurrendum, tuenda ea quae mundus neglegit, liberaliter et audacter novae paupertates iuvandae in desertioribus potissimum locis, quamvis id agatur intercessionibus necessario minoris pretii.[159]

Difficultates quae multiplices exsistunt ob imminutos et operarios et incepta, ***nullo pacto efficere debent ut fiducia amittatur de vitae consecratae evangelica virtute,*** quae continenter in Ecclesia aderit et operam dabit. Tametsi singulis Institutis perennitatis nota deest, inter fideles vita consecrata dilectionem in Deum fratresque alere perget. Idcirco ***historica sors*** cuiusque Instituti vel formae vitae consecratae distinguenda est ab ipsa ***ecclesiali missione*** vitae consecratae qua talis. Altera namque mutatis condicionibus mutari potest, altera numquam deerit.

Id simul ad consecratam generis contemplativi vitam valet, simul ad illam quae apostolica opera persequitur. Universim, Spiritu iterum iterumque movente, vita consecrata sine intermissione progreditur veluti praeclara testificatio inseparabilis unitatis amoris Dei et proximi, tamquam videlicet vivida memoria fecunditatis, humanae etiam et socialis, ipsius amoris Dei. Angustiarum condicionibus, quae nunc accidunt, pacato occurrendum est animo illius hominis qui scit ab unoquoque repeti ***non tam successum quam fidelitatis officium.*** Omnino est cavendum ne vita consecrata vere profligetur, quae profligatio non in decrescente sodalium numero consistit sed in spiritali a Domino ac a propria vocatione missioneque defectione. At contra in ea fideliter perstans quispiam prae mundo quoque solidam fiduciam efficacissime profitetur de historiae Domino, in cuius manibus aetates ac sortes sunt personarum, institutionum populorumque ideoque etiam donorum per tempora complendorum. Acerbae condiciones et discrimina consecratas personas fortiter ad fidem de morte deque Christi resurrectione proclamandam impellunt, ut conspicuum fiant ipsae signum transitus a morte ad vitam.

[159] Cfr CONGREGATIO PRO INSTITUTIS VITAE CONSECRATAE ET SOCIETATIBUS VITAE APOSTOLICAE, Instr. *La vita fraterna in comunità « Congregava nos in unum Christi amor »* (2 Februarii 1994), 67: Città del Vaticano 1994, pp. 85-86.

Pastoralis operae vocationalis novus impetus

64. Vitae consecratae missio atque vigor Institutorum pendent certe a retenta fidelitate qua consecrati suae vocationi respondent, at futurum circumspectant tempus ea ratione qua ***alii homines et mulieres prompte Domino vocanti obsequuntur.*** Vocationum quaestio vera est provocatio quae quidem Instituta religiosa apprime compellat, totam tamen Ecclesiam implicat. Pro vocationum pastorali opera ingentes corporales spiritalesque vires effunduntur, at effectus non semper exspectationibus et nisibus congruunt. Sic accidit ut, dum ad vitam consecratam vocationes florent in novellis Ecclesiis atque in illis quae persecutiones a regiminibus omnia imperiose moderantibus passae sunt, in nationibus contra quae ex consuetudine vocationibus etiam missionalibus ditabantur iam rarescant.

Haud felix haec condicio personas etiam consecratas temptat eaeque interdum se ipsae interrogant: potestatemne amisimus novas vocationes alliciendi? In Domino Iesu est reponenda fiducia, qui ad se sequendum continenter vocat, atque Spiritui Sancto confidendum, vitae consecratae charismatum auctori et impulsori. Dum igitur laetamur de actione Spiritus, qui Christi Sponsam in iuvenilem vigorem redigit efficiens ut compluribus in nationibus vita consecrata floreat, plurima prece Dominum messis precari debemus, ut operarios mittat in Ecclesiam suam, ad novae evangelizationis necessitatibus occurrendum (cfr ***Mt*** 9, 37-38). Praeter precationem pro vocationibus provehendam, omnino operari necesse est ut, per claram nuntiationem et consentaneam educationem in hominibus ad vitam religiosam vocatis libera illa eliciatur responsio eademque prompta et alacris, quae vocationis gratiam efficientem reddat.

Iesu invitatio: «Venite et videbitis» ***(Io*** 1, 39), hodiernis quoque temporibus ***regula aurea*** perstat pastoralis industriae pro vocationibus. Vult ostendere ipsa, ad conditorum conditricum exemplum, ***personae Domini Iesu fascinationem*** nec non pulchritudinem integrae sui donationis pro Evangelii causa. Omnium consecratorum consecratarumque capitale munus est animose verbo exemploque sequelae Christi praestantiam exhibere, responsionem deinde sustentantes Spiritus impulsionibus in vocatorum cordibus.

Primae cum Christo congressionis inflammationi subsequi debet, ut liquet, perseverans cotidianae responsionis nisus, quae vocationem in historiam amicitiae cum Domino convertit. Cuius rei causa vocationum actio pastoralis congrua subsidia adhibeat, veluti ***spiritalem moderationem,*** ut personalis illa responsio erga Dominum alatur, quae summi ponderis est ut di-

stipuli eiusque Regni apostoli fiant. Si ergo vocationum flos qui in multis orbis terrarum regionibus comprobatur fiduciam spemque confirmat, earum simul penuria in aliis terrarum regionibus animum frangere non debet neque ad faciles subitaneosque tironum delectus propellere. Oportet promovendarum vocationum opus, ita agatur ut magis magisque ***totius Ecclesiae opus et conspiratio*** appareat.[160] Id proinde pastorum, religiosorum, familiarum et institutorum diligentem sibi vindicat cooperationem, quemadmodum ipsum munus requirit quod pars est necessaria söciatae omnium particularium Ecclesiarum operae. Adsit ideo in omnibus dioecesibus ***hoc commune ministerium,*** quod vires colligat ac multiplicem, quin tamen vocationum actioni cuiusque Instituti ulli sit detrimento, immo eidem emolumento.[161]

Haec totius Populi Dei actuosa cooperatio, quam Providentia sustentat, facere non potest quin superna dona affatim procuret. Christiana solidarietas largiter vocationum instituendarum necessitatibus subveniat in nationibus rerum penuria laborantibus. In his nationibus vocationes a variis Institutis cum Ecclesiis localibus concorditer perquirantur, postquam per productum tempus eorum pastoralis opera actuose agi coepta est.[162] Tum verissime impulsioni Spiritus obsecundatur cum optimae vires in vocationum operam abunde profunduntur, per pastoralem potissimum iuvenum industriam congruenter actam.

Primorum institutionis rudimentorum cura

65. Peculiarem considerationem intendit synodalis Coetus in ***institutionem*** illorum qui se Domino consecrare cupiunt.[163] ***Illuc maxime tendit*** institutorum! iter, ut homo formetur ad se totum Deo in Christi sequela consecrandum, in missionis famulatu. « Affirmativa » responsio Domino vocanti atque dynamismi vocationalis auctionis conscia personalis receptio ad non alienabilem pertinet responsalitatem cuiuslibet vocati, cuius quidem est suae vitae spatium aperire Sancto Spiritui operanti magnoque animo insti-

[160] Cfr *Propositio* 48, A.
[161] Cfr *Propositio* 48, B.
[162] Cfr *Propositio* 48, C.
[163] Cfr *Propositio* 49, A.

tutionale iter adoriri in fide accipiens interventus quos Dominus Ecclesiaque exhibent.[164]

Quapropter institutio altius descendere debet usque ad personam ipsam, ita ut eius singuli mores vel gestus, tum in capitalibus tum in suetis vitae temporibus, plenam laetantemque eius condicionem pertinendi Deo patefaciant.[165] Quia vero vitae consecratae propositum est ***Domino Iesu*** configurari eiusque ***toti oblationi***™ institutio hoc ipsum praecipue consequi vult. De itinere agitur ad Christi erga Patrem sensus pedetemptim adipiscendos.

Si illud est vitae consecratae consilium, ratio quae ad eam ducit ***universalitatis quandam notam*** accipere ac prae se ferre debet. Persona tota formanda est[167] in omnibus suae individualitatis partibus, cum in moribus tum in voluntatibus. Propterea quod ad totam personam transformandam intendit, omnino liquet ***formandi munus numquam desinere.*** Oportet enim usque ad finem consecratis personis facultas detur progrediendi in coniunctione cum charismate missioneque proprii Instituti.

Institutio, ut sit universalis, omnes vitae christianae vitaeque consecratae partes complectetur. Praevidenda idcirco est humana, culturalis, spiritalis pastoralisque educatio, et illud potissimum animadvertatur ut variae res inter se congruenter componantur. Prima instructio, quae tamquam progrediens habetur processus qui omnes uniuscuiusque maturationis gradus decurrit — videlicet a psychologico spiritalique ad theologicum pastoralemque — temporis spatium satis amplum obtinere debet, quod, cum de vocatis ad presbyteratum agitur, convenit et conciliatur cum praestituta studiorum ratione, velut cum amplioris institutorii curriculi parte.

Magistrorum magistrarumque opera

66. Deus Pater, per Christi Spiritusque continuatum donum, ipse est praestantissimus doctor illius qui ei se consecrat. Sed hanc operam explicat Ille humana per instrumenta, prope eum quem vocat locans nonnullos fratres sororesque maiores. Institutio est igitur participatio actionis Patris ipsius qui, per Spiritum Sanctum, in iuvenum cordibus Filii sensus fingit.

[164] Cfr CONGREGATIO PRO INSTITUTIS VITAE CONSECRATAE ET SOCIETATIBUS VITAE APOSTOLICAE, Instr. *Potissimum institutioni* (2 Februarii 1990), 29: *AAS* 82 (1990), 493.

íes çf, *Proposui* 49, B.

[166] Cfr CONGREGATIO PRO RELIGIOSIS ET INSTITUTIS SAECULARIBUS, Instr. *Essentia! éléments in the Church's teaching as applied to Institutes dedicated to works of the apostolate* (31 Maii 1983), 45: *Ench. Vat.*, 9, 229.

[167] Cfr *Codex Iuris Canonici*, can.. 607 § 1

Quocirca Institutores et Institutrices esse debent personae peritae viae Dei exquirendae, ut ceteros quoque hoc in itinere comitari queant. Ad gratiae divinae actionem animum intendentes, obstacula etiam abditiora significare sciant, at ante omnia ostendant Domini sequelae pulchritudinem atque charismatis praestantiam in quo ipsa explicatur. Spiritalis sapientiae luminibus humana instrumenta nectant, quae auxilio sint in vocationibus dignoscendis, in novo homine efformando, ut vere fiat liber. Praecipuum institutionis instrumentum est singulare colloquium, quod certa ratione certisque temporibus est exercendum, veluti necessariae comprobataeque efficacitatis consuetudo.

His quidem pro ministeriis tanti ponderis videtur revera pernecessaria institutio educatorum aptorum, qui in sua industria congruentiam praestent cum totius Ecclesiae itinere. Consentaneum est ut opera condantur ad ***institutores erudiendos,*** praesertim in locis ubi necessitudines dentur cum cultura in qua cuiusque pastorale munus deinceps geretur. Hoc in formandi opere, Instituta aptiore ratione constituta opem Institutis fundatione recentioribus ferant, suos optimos commodando sodales.[168]

Communitaria et apostolica praeparatio

67. Quandoquidem institutio esse debet etiam ***communitaria,*** peropportuna eius locus Institutis vitae religiosae et Societatibus vitae apostolicae communitas est. In ea enim initiatio fit ad laborem adque iucunditatem una simul vivendi. In fraternitate quisque cum eo vivere discit, quem Deus iuxta posuit, potiores eius virtutes accipiens pariterque diversitates et ipsius limites. Dona in primis communicare discit quae ipse omnium aedificandorum causa recepit, quandoquidem «unicuique ... datur manifestatio Spiritus ad utilitatem » ***(1 Cor*** 12, 7).[169] Eodem tempore inde a prima institutione intrinsecam missionalem consecrationis faciem commonstrare debet vita communitatis. Quapropter, primae formationis tempore, in vitae consecratae Institutis utile sane est quaedam re experiri, quae prudenter comitentur educatores atque educatrices, ut per dialogum cum illa cultura quae circa iacet apostolicae exerceantur affectiones, potestas se condicionibus accommodandi, operandi alacritas.

íes Qf, ***propositio*** **50.**

[169] Cfr CONGREGATIO PRO INSTITUTIS VITAE CONSECRATAE ET SOCIETATIBUS VITAE APOSTOLICAE, Instr. ***La vita fraterna in comunità « Congregava nos in unum Christi amor »*** **(2 Februarii 1994), 32-33: Città del Vaticano 1994, pp 39-42.**

Si altera autem ex parte magni refert ut persona consecrata gradatim evangelicam conscientiam consequatur quae bona ac non bona iudicare valeat tum suae culturae tum illius in quam postmodum operans incidet, ex altera quidem se exercere debet in difficili arte vitae unitatis, mutuae coniunctionis caritatis erga Deum atque fratres sororesque, dum experitur precationem esse animam apostolatus, sed etiam precationem apostolatu animari et incitari.

Ratio necessario complenda adque nostram aetatem accommodanda

68. Certum institutionale temporis spatium, quod producitur ad perpetuam votorum professionem, proponitur Institutis quoque mulierum nec non virorum, cum de institutione agitur fratrum laicorum. Idem fere de claustralibus communitatibus dici debet, quibus cordi erit institutarum rationum apta conficere elementa quod pertinet ad authenticam vitae contemplativae formationem adque ipsius in Ecclesia specialem missionem.

Synodales Patres vehementer sunt cohortati cuncta Instituta vitae consecratae et Societates vitae apostolicae ut ***rationem institutionis*** quam primum rédigèrent, institutorium scilicet consilium fundationis charismati conformatum, in quo perspicue dynamiceque iter faciendum ostenderetur ad plene propriae familiae religiosae spiritalitatem perficiendam. ***Ratio haec*** hodie omnino est necessaria: simul enim regulam dat ipsa Instituti spiritum transmittendi, ut idem in germana percipiatur sua bonitate a novis stirpibus, diversitatibus exstantibus culturae locorumque condicionum; simul personis consecratis instrumenta collustrat, ut idem spiritus in variis exsistentiae temporibus sustineatur, dum ad plenam fidei in Christum maturitatem proceditur.

Si ergo verum est vitae consecratae renovationem praecipue ex institutione pendere, aequabiliter verum est hanc institutionem vicissim cum facultate coniungi quandam rationem viamque proferendi spiritali atque paedagogica sapientia ditatam, quae pedetemptim eum qui se consecrare vult ad Christi sensus induendos perducat. Institutio processus est vitalis per quem in Dei Verbum persona se convertit usque ad intimum sui ipsius recessum, eodemque tempore artem discit requirendi in mundo significationes Dei. Hac aetate, qua ex cultura magis magisque religiosi valores exterminantur, processus hic institutorius duplicem ob rationem magni est momenti: per eum persona consecrata non modo pergere potest fidei oculis Deum « videre » in mundo illo, qui ipsius praesentiam ignorat, verum etiam per

sui charismatis testimonium quodam modo eius praesentiam « sensibilem » reddit.

Perpetua institutio

69. Perpetuam institutionem, Instituta tum vitae apostolicae tum vitae contemplativae, intrinsece religiosam propter consecrationem deposcunt. Ut supra dictum est, institutorius processus non contrahitur in primam curriculi partem, quia humanos propter limites numquam persona consecrata putare potest se ad maturitatem illius novi hominis pervenisse, qui intra se, in omnibus vitae rerum adiunctis, eosdem Christi sensus experitur. ***Prima*** igitur institutio copulari debet cum ***perpetua,*** subiectum ita disponens ut singulis vitae diebus formetur.[170]

Idcirco permagni refert ut unumquodque Institutum inducat, veluti partem ***rationis institutionis,*** consilium quantum fieri potest definitum et ordinatum institutionis perpetuae, cuius primarius finis sit singulas consecratas personas comitari quodam rerum indice totam vitam complectente. Nemo quidem ab humani spiritalisque incrementi studio se subducere potest; itemque nemo se efferre potest et per se ipse suam vitam elate moderari. Nulla vitae pars tam secura tamque fervida haberi potest, ut opportunae singularesque curae seponantur unde perseverantia praestetur in fidelitate, sic ut nulla datur aetas qua consummata videri possit personae humanae maturitas.

In fidelitatis dynamica virtute

70. Spiritus iuventa invenitur quae progrediente tempore manet: ipsa enim in eo est quod quisque homo in omni vitae temporis spatio conquirit invenitque diversum officium agendum, peculiarem rationem exsistendi, vivendi et amandi.[171]

In vita consecrata ***primi anni quibus quispiam in vitam apostolicam plene immittitur*** difficiles per se ipsi habentur, cum a vita fere manu ducta transeatur ad ***plenae responsalitatis operis*** condicionem. Multum ideo interest ut frater sororve sustentet et comitetur novellas personas consecratas, ut opem ferat ad plane iuvenilem amorem studiumque erga Christum tenendum.

no Qf, ***Propositio*** **51.**

[171] Cfr CONGREGATIO PRO INSTITUTIS VITAE CONSECRATAE ET SOCIETATIBUS VITAE APOSTOLICAE, **Instr** ***La vita fraterna in comunità « Congregava nos in unum Christi amor »*** **(2 Februarii 1994), 43-45: Città del Vaticano 1994, pp. 52-57.**

Subsequenti tempore ***periculum cuiusdam consuetudinis*** exsistere atque invalescere potest despondendi animi temptatio exiguos propter effectus. Mediae tum aetatis consecrati homines sunt adiuvandi ut sub Evangelii et charismatici sensus lumine primigeniam electionem recognoscant, donationis plenitudinem cum rerum effectarum summa non confundentes. Id novum impetum incendet novaque argumenta ad electionem implendam ministrabit. Temporis aetas est qua essentiales res quaeruntur.

Aetatis maturae tempus, una cum cuiuslibet personae auctu, comportare potest etiam ***periculum ne sibi uni quisque consulat,*** quam rem simul comitatur timor ut quis temporibus sit par, simul quidam habitus alicuius mentis intolerantis clausae laxatae. Perpetua institutio non modo iuvare vult ut recuperetur altior spiritalis apostolicaeque vitae gradus, verum etiam ut huius exsistentiae proprietas intellegatur. In ea namque, quibusdam mundatis personalitatis elementis, sui oblatio maiore cum puritate ac munificentia ad Deum ascendit atque in fratres sororesque sedatior et modestior simulque nitidior gratiisque ditior recidit. Donum quippe est atque experientia paternitatis maternitatisque spiritalis.

Devexa aetas novas quaestiones ponit, quibus per prudentem quandam spiritalem operam est occurrendum. Quod gradatim ab agendo aliquis retrahitur, quibusdam in casibus morbi interventus atque necessaria ab opere cessatio, illam efficiunt experientiam quae summopere erudire potest. Condicio haec saepe acerba, personae consecratae seniori copiam dat sese paschali experientia imbuendi,[172] cum Christo cruci affixo sese configurando, qui Patris voluntatem penitus complet et eius manibus se concredit, donec ei reddit spiritum. Haec configuratio nova est ratio consecrationis experiendae, quae cum efficientia alicuius muneris regendi vel apostolici operis non coniungitur.

Cum autem ***tempus appétit sese coniungendi cum extrema hora passionis Domini,*** consecrata persona intellegit arcanum illum institutorium processum quondam incohatum iamiam Patrem esse completurum. Mors tum exspectabitur et parabitur tamquam summus novissimusque amoris actus suique deditio.

His adiciendum quod, extra varia vitae tempora, omnis aetas, extrariis rebus intervenientibus, in discrimina venire potest — propter locum officiumve immutatum, ob operis difficultates vel apostolicos adversos eventus,

[172] Cfr CONGREGATIO PRO INSTITUTIS VITAE CONSECRATAE ET SOCIETATIBUS VITAE APOSTOLICAE, Instr. *Potissimum institutioni* (2 Februarii 1990), 70: *AAS* 82 (1990), 513-514.

dissensiones, a vita sociali quandam exclusionem, hisque similia — aut quasdam ob causas ad personam ipsam pertinentes — ob corporis animique adversam valetudinem, spiritalem aliquam siccitatem, luctus, inter personas simultates, vehementes temptationes, fidei identitatisve discrimen, vanitatis sensum, et ita porro —. Cum fidelitas difficilior evadit, personae alicuius praesidium validions fiduciae vehementiorisque amoris est praebendum, cum personali tum communitaria ratione. Necesse est tunc ante omnia ut benigne adsit Superior; magnum proinde solacium a quodam fratre vel sorore insigniter auxiliante quoque obveniet, cuius sollicita curiosaque praesentia efficiet ut iterum detegatur foederis sensus quod Deus primus pepigit quodque repudiare non vult. Hoc modo persona probata purificationem accipiet et spoliationem veluti actus summi momenti assensionis Christo cruci affixo. Temptatio ipsa providum institutionis instrumentum in Patris manibus apparebit, veluti certamen non modo *psychologicum,* quod ipsum « ego » quoad se ipsum suasque infirmitates gerit, verum et *religiosum,* quod praesens Deus Crucisque virtus cotidie signant!

Institutionis perpetuae natura

71. Si quidem institutionis subiectum omni vitae tempore est ipsa persona, institutionis finis est universa humana creatura quae ad quaerendum amandumque Deum vocatur ex toto corde, ex tota anima et ex tota fortitudine (cfr ***Dt*** 6, 5) et proximum sicut se ipsum (cfr ***Lv*** 19, 18; ***Mt*** 22, 37-39). Erga Deum fratresque amor valida est vis, quae continenter auctus et fidelitatis cursum pervadere potest.

In Spiritu vita ex natura primas profecto agit partes. In ea persona consecrata suam rursus invenit identitatem et altam tranquillitatem, adolescit in cotidianis provocationibus Dei verbi percipiendis atque germano sui Instituti instinctu duci se sinit. Spiritu impellente, orationis silentii solitudinis tempora acriter defenduntur atque ex Alto enixe sapientiae donum in cotidiano labore deposcitur (cfr ***Sap*** 9, 10).

Humana fraternique indoles sui cognitionem postulat suosque fines intellegit, ut incitamentum fulcimentumque in itinere ad plenam liberationem capiantur. Peculiare quidem momentum induunt, hodiernis in rerum adiunctis, interior libertas personae consecratae, eius affectionum complementum, facultas cum omnibus communicandi in propria potissimum communitate, animi quies, consensio cum dolentibus, veritatis amor, inter dicta et facta consensus.

Apostolica qualitas mentem personae consecratae corque recludit eamque ad constantem actionis nisum comparat, veluti signum amoris Christi qui eam incitat (cfr ***2 Cor*** 5, 14). Re ipsa id adducet ad rationum apostolicorumque operum accommodationem, in fidelitate servata erga spiritum mentemque Fundatoris vel Fundatricis inque traditiones deinceps effectas, dum considerantur mutatae iam condiciones historicae culturalesque, universales et locales, illius loci ubi opus fit.

Cultus munerisque amplitudo, solida praehabita theologica institutione ad iudicium ferendum efficaci, ad praesentia tempora continuatam accommodationem requirit atque postulat ut diversae provinciae, ad quas quodque charisma intendit, peculiari modo animadvertantur. Oportet igitur cuiusque mens aperta maneat et quantum fieri potest versatilis, ut famulatus ad temporum necessitates concipiatur et agatur, instrumentis adhibitis quae culturalis progressus praebet.

In charismatis demum ***amplitudine*** omnia alia postulata colliguntur, sicut synthesi quae propriae peculiaris consecrationis diversis in suis partibus continuam postulat perscrutationem, non tantum in apostolica verum et in mystica et ascetica parte. Id requirit ut quisque sodalis sui Instituti indolem, historiam ac missionem assidue vestiget, ut personalem communitatisque intellectum perficiat.[173]

CAPUT III

SERVITIUM CARITATIS

Consecrata vita amoris Dei erga mundum demonstratio

Ad missionem consecrati

72. Secundum Iesu imaginem, dilecti Filii « quem Pater sanctificavit et misit in mundum » ***(Io*** 10, 36), illi quoque quos ad sui sequelam Deus advocat consecrantur atque inter homines demandantur ut eius exemplum imitentur eiusque opus propagent. Funditus, hoc ad omnem valet discipulum. Verumtamen ad eos singulariter pertinet qui intra propriam consecratae vitae formam vocantur ut Christum « propius » sectentur et in Illo suae vitae « Totum omne » reponant. Eorum idcirco vocatione illa comprehenditur destinatio ut ***muneri totos se dedant;*** quin immo, operante Spiritu Sancto qui omnem gignit vocationem omneque charisma, ipsa consecrata vita

[173] **Cfr *ibid,* 68: *l.m.,* 512.**

quaenam quasi fit missio, qualis tota omnino fuit Iesu vita. Evangelicorum consiliorum professio, quae pro Evangelii causa liberat plane personam, hoc pariter in prospectu pondus suum patefacit. Adfirmari propterea oportet ***pernecessaria™ omni Instituto esse hanc missionem,*** non modo in actuosae apostolicae vitae, verum etiam in vitae contemplativae institutionibus.

Prius enim quam missio ad exteriora opera sese describat, iam explicatur in Christo mundo proponendo per personalem testificationem inter homines. Haec quidem est provocatio, hoc principale vitae consecratae officium! Quo amplius quis sinit se Christo configurari, tanto magis Illum praesentem refert operantemque in mundo ad hominum salutem.

Dici idcirco potest consecrata persona « in missione » iam versari virtute consecrationis suae quam illa testatur ad propositum sui Instituti. Quotiens ipsius fundans charisma pastoralem praecipiat industriam, totiens postuletur oportet tum vitae testificatio tum apostolatus opera hominumque provectio: Christum enim exhibet utraque ratio, qui simul consecratus elucet ad Patris gloriam simul in orbem missus propter fratrum sororumque salutem.[174]

Particeps insuper Christi muneris est religiosa vita ob aliud quoddam peculiare propriumque elementum, quod est ***fraterna in communitate vita ad missionem.*** Quapropter eo magis erit religiosa vita apostolica quanto interius sese Christo Domino devovebit, quanto magis communitaria erit vitae forma fraterna, eo amplius muneri Instituti proprio dedetur.

In Dei hominisque ministerium

73. Propheticum prae se fert consecrata vita officium ***ut commemoret atque Dei consilium consummet super hominibus,*** quemadmodum iam Sacris nuntiatur in Litteris et eminet ex diligenti scrutatione signorum providae Dei actionis per hominum historiam. Consilium est de hominum genere servato ac reconciliato (cfr ***Col 2,*** 20-22). Hoc vero ut convenienter expleant ministerium oportet induant consecrati homines altam Dei experientiam atque provocationum sui temporis sumant conscientiam earumque secretum theologicum sensum percipiant, per discretionem quae fit Spiritu adiuvante. Re quidem vera sub historiae eventibus saepe appellatio Dei latet ut secundum eius consilia efficaciter se gerant homines in nostrae aetatis eventa.[176]

[174] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 46.

[175] ***Propositio* 35, A.**

Signorum temporum aestimatio, proinde ac Concilium confirmat, sub Evangelii lumine peragenda est ut ea « ad perennes hominum interrogationes de sensu vitae praesentis et futurae deque earum mutua relatione respondere possit ».[176] Necesse ideo est animus aperiatur interioribus Spiritus consiliis vocantis ad alta percipienda Providentiae proposita. Consecratam vitam provocat ipse ut novas responsiones hodiernis mundi quaestionibus fingat. Appellationes sunt divinae quas tantum animae quae in omnibus Dei voluntatem quaerere solent fideliter suscipere valent, deindeque fortiter in certas convertere selectiones quae cum pristino consentiant charismate simulque cum postulatis certarum historiae condicionum.

Coram compluribus quaestionibus atque necessitatibus, quae in periculum nonnumquam adducere, immo consecratam vitam evertere videntur, non possunt ipsi vocati facere quin officium animadvertant in animis precationibusque multas gestandi totius orbis postulationes, unaque simul alacriter operam dantes in rerum provinciis ad fundationis charisma pertinentibus. Ut patet, eorum deditus animus ***supernaturali iudicio*** gubernari debebit, quod ea quae a Spiritu procedunt distinguere valet ab iis quae illi sunt contraria (cfr ***Gal*** 5, 16-17.22; ***1 Io*** 4, 6). Idem, per ipsam Regulae atque Constitutionibus fidelitatem, cum Ecclesia plenam observat communionem.[177]

Hac ratione non solum temporum signa consecrata vita leget, verum proderit etiam elaborandis et exsequendis ***novis evangelizationis propositis*** intra hodierna rerum adiuncta. Fiet quidem hoc omne illa in fidei certitudine vel difficillimis interrogationibus posse Spiritum consentaneas reddere responsiones. Hac autem in re expediet ut ea rursus detegantur quae praestantes apostolicae industriae auctores semper tradiderunt: confidere Deo oportet veluti si universa ab Eo dependeant, eodemque tempore magno animo operari tamquam cuncta pendeant ex nobis.

Ecclesialis consociata opera atque spiritalitas apostolica

74. Cum aliis Ecclesiae partibus singula ***in communione ac dialogo*** sunt agenda. Missionis enim provocationes id genus sunt ut sine consociata omnium Ecclesiae sodalium opera iis efficaciter satisfieri nequeat, tum in aestimandis tum in efficiendis rebus. Difficulter namque habent singuli extremam responsionem, quae quidem ex comparatione et collocutione profluere

[176] CONC. OECUM. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 4.

[177] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 12.

potest. Actuosa communio nominatim varia inter charismata necessario quidem perficiet ut non solum mutuo locupletentur, verum etiam efficacius in missione operentur. Affatim confirmat horum annorum experimentum « caritatis usitato iam nomine colloquium »[178] appellari, praesertim caritatis ecclesialis; adiuvat illud ut veris suis rationibus perspiciantur quaestiones permittitque ut maiore cum successus spe illis obviam procedatur. Idcirco quod vitae fraternae bonum percolit consecrata vita, ipsa proponitur quasi praecellens dialogi experientia. Aliquid conferre idcirco potest generando mutuae tolerantiae animo, in quo ecclesialia varia subiecta, se digno quidem modo aestimari sentientes ob id ipsum quod sunt, in communionem ecclesialem ad magnum universale munus tendentem ex certiore mentis sententia conveniant.

Decet denique ***solida actionis spiritalitas*** excoletur in Institutis quibus una alterave imponitur apostolici ministerii species, dum in omnibus rebus conspiciatur Deus in Deoque res omnes. Etenim « sciendum est quia sicut bonus ordo vivendi est ut ab activa vita in contemplativam tendatur, ita plerumque utiliter a contemplativa animus ad activam reflectitur, ut per hoc quod contemplativa mentem accenderit, perfectius activa teneatur. Debet ergo nos activa ad contemplativam trasmitiere, et aliquando tamen ex eo quod introrsus mente conspeximus contemplativa melius ad activam revocare ».[179] Iesus ipse nobis perfectum tradidit exemplum de ratione per quam cum Patre communio copulari possit cum vita maxime actuosa. Nisi vero hanc ad coniunctionem constanter tenditur, perpetuo insidiatur periculum ne interior homo collabatur distrahatur frangatur. Arta consociatio contemplationis cum actione patietur ut opera difficillima obeantur hodie quemadmodum antehac.

I. AMOR USQUE AD FINEM

Christi corde diligendum

75. «Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et in cena ... surgit ... et coepit lavare pedes discipulorum et extergere linteo, quo erat praecinctus » ***(Io*** 13, 1-2.4-5).

Patefacit Iesus amoris Dei erga hominem altitudinem in pedum lavatione: in Ipso sese Deus tradit in hominum famulatum! Revelat Ille, eodem

[178] PAULUS PP. VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam suam* (6 Augusti 1964), III: *AAS* 56 (1964), 639.

[179] S. GREGORIUS MAGNUS, *Horn, in Ezech.*, II, II, 11: *PL* 76, 954-955.

tempore, vitae christianae sensus potioreque ratione etiam consecratae vitae quae *vita amoris sese offerentis* est, concreti alacrisque ministerii. Se enim in Filii hominis sequelam committens, qui «non venit ministrari sed ministrare» *(Mt* 20, 28), signata est consecrata vita, melioribus saltem longissimae suae historiae temporibus, hac ipsa « pedum lavatione », id est ministerio praesertim erga pauperiores et indigentiores. Si altera ex parte excelsum Verbi in Patris sinu (cfr *Io* 1, 1) mysterium ipsa contemplatur, idem Verbum ex altera parte sectatur quod caro fit (cfr *Io* 1, 14), quod se demittit seque deicit ut hominibus serviat. Personae Christum in consiliorum evangelicorum semita sequentes hodie quoque illuc procedere cupiunt quo Christus praegressus est idemque efficere quod iam Ipse effecit.

Ad se novos continenter arcessit discipulos, viros ac mulieres, quibuscum per Spiritus effusionem (cfr *Rom* 5, 5) *agapem* divinam communicet suamque rationem amandi, quosque ita compellat ut per humilem sui ipsorum donationem ab omnibus propriis commoditatibus alienam ipsi ceteris famulentur. Petro Transfigurationis luce abrepto exclamantique: « Domine, bonum est nos hic esse » *(Mt* 17, 4), invitatio intenditur ut in mundi redeat vias, ut Regno Dei deservire pergat: « Descende, Petre; requiescere cupiebas in monte, descende, praedica Verbum, insta opportune, importune, argue, hortare, increpa, cum omni longanimitate et doctrina. Labora, desuda, patere aliqua tormenta; ut quod in candidis vestimentis Domini intellegitur, per candorem et pulchritudinem rectae operationis in caritate possideas ».[180] Oculi in Domini vultum conversi haud minuunt in apostolo officium erga homines; contra, dum nova eum instruunt potestate historiam afficiendi, validum eum reddunt ut eandem historiam ab iis omnibus liberet quae eam déformant.

Divinae venustatis inquisitio personas incitat consecratas sibi ut curam sumant divinae imaginis in fratrum sororumque vultibus deformis distortae: hi enim sunt vultus fame detorti, vultus promissis politicis decepti, abiecti vultus eorum qui suam cernunt contemptam culturam, vultus cotidiana atque indiscreta violentia perterriti, conflictati vultus puerorum, feminarum vultus offensarum et spretarum, defatigati migrantium vultus sine congruo hospitio, seniorum denique vultus sine minimis ad vitam dignam necessariis condicionibus.[181] Hac ratione operum eloquentia demonstrat

[180] S. AUGUSTINUS, *Sermo 78,* 6: *PL* 38, 492.

[181] Cfr IV GENERALIS CONFERENTIA EPISCOPORUM LATINO-AMERICANORUM, Documentum *Nova evangelizatio, progressio humana et cultura christiana,* Conclusio, n, 178, CELAM 1992.

vita consecrata divinam ipsam caritatem fundamentum incitamentumque esse gratuiti et actuosi amoris. Hoc sibi penitus persuasum habebat S. Vincentius a Paulo qui Caritatis Filiabus hoc vitae propositum dedit: « Societatis spiritus in eo est ut Deo sese dedant ad Dominum Nostrum amandum Eique serviendum sensibiliter atque in spiritu in pauperum personis, eorum in domibus atque alibi, ut adulescentulas pauperes instituant, pueros, in universum quotquot divina miserit Providentia ».[182]

Inter varia quae fieri possunt caritatis genera illud quod proprio quodam titulo hominibus amorem ostentat « usque in finem », hodie certe est flagrans Iesu Christi nuntiatio iis qui nondum eum noverunt, qui sunt Ipsius obliti, at potissimum pauperibus.

Proprium vitae consecratae tributum evangelizationi additum

76. In eo consistunt propriae consecratorum et consecratarum partes ad evangelizationem collatae in vita usquequaque Deo ac fratribus donata in primis ad amatissimi Servatoris imitationem qui pro hominum amore famulus est factus. In opere enim salutis cooriuntur omnia de participata ***agape*** divina. Sua nempe consecratione planaque deditione visibilem reddunt consecratae personae amantem salutaremque Christi praesentiam, qui Patris est Ipse consecratus in missionem demandatus.[183] Cum enim illi consecrati homines se sinunt ab Eo comprehendi (cfr ***Philp*** 3, 12), comparant item se ut quaedam quasi continuatio eius humanae naturae evadant.[184] Testatur eloquenter consecrata vita, eo melius licere in aliis Ei servire quo magis de Christo vivatur, primas etiam missionis stationes petendo maximaque in se recipiendo pericula.[185]

Evangelizatio prima: gentibus annuntiare Christum

77. Qui Deum amat, omnium hominum Patrem, non potest quin et similes suos amet in quibus tot fratres sororesque agnoscit. Hanc ob causam

[182] *Correspondance, Entretiens, Documents.* Conférence « Sur l'esprit de la Compagnie » (9 Februarii 1653), Coste IX, Paris 1923, p. 592.

[183] Cfr CONGREGATIO PRO INSTITUTIS VITAE CONSECRATAE ET SOCIETATIBUS VITAE APOSTOLICAE, Instr. *Essential éléments in the Church's teaching on religious Life as applied to Institutes dedicated to works of the apostolate* (31 Maii 1983), 23-24: *Ench. Vat.,* 9, 202-204.

[184] Cfr B. ELISABETHA A. TRINITATE, *O mon Dieu, Trinité que j'adore: Œuvres complètes,* Paris 1991, pp. 199-200.

[185] Cfr PAULUS PP. VI, Adhort. Ap. *Evangelii nuntiandi* (8 Decembris 1975), 69: *AAS* 68 (1976), 59.

fieri non potest ut ille neglegentem se praebeat dum animadvertit eorum multos nondum plenam amoris Dei novisse patefactionem in Christo. Hinc in primis, ex oboedientia Christi mandato, missionalis oritur impetus ***ad gentes*** quem quivis conscius sibi christianus cum Ecclesia communicat, utpote quae sit natura sua missionalis. Ardor hic animadvertitur a sodalibus potissimum Institutorum tam contemplativae vitae quam actuosae.[186] Officium enim consecratos consecratasque obstringit etiam inter non christianos[187] repraesentandi castum pauperem oboedientem Christum, missionarium atque orantem.[188] Suo charismati dynamice fidem servantes, ipsi per intimiorem consecrationem Deo factam[189] necessario se implicari sentiunt peculiari cooperatione cum missionali Ecclesiae navitate. Desiderium totiens a Teresia Lexoviensi prolatum, « te diligere ac facere ut diligaris », fervens Sancti Francisci Xaverii anhelitus ut: « Si secum volvant quam rationem Dominus noster Deus petiturus de ipsis sit atque dotibus similiter tributis, eorum multi permoveantur ut instrumenta et Exercitia illa spiritualia adhibeant unde cognoscere intusque in animis suis persentire possint divinam voluntatem cui magis sese accommodantes quam propriis affectibus dicant: Domine, ecce adsum, quid vis faciam? mitte me quo volueris »,[190] similesque aliae innumerabilium animarum sanctarum testificationes, missionariam patefaciunt inextinguibilem contentionem, qua notatur vita consecrata et designatur.

In omni terrarum loco praesentes

78. «Caritas Christi urget nos» ***(2 Cor*** 5, 14): omnis Instituti sodales posse idem repetere debent cum Apostolo, cum vitae consecratae munus sit in omni operari terrarum provincia ad Christi Regnum firmandum et prolatandum, dum quoquoversus, etiam in remotissimas regiones, Evangelii nuntius differtur.[191] Re quidem vera missionalis operis annales testantur magnum beneficium quod evangelizandis populis illi contulerunt: ab antiquis monasticis Familiis ad recentiores etiam Institutiones in missione ***ad gentes***

[186] Cfr *Propositio* 37, A.

[187] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 46; PAULUS PP. VI, Adhort. Ap. *Evangelii nuntiandi* (8 Decembris 1975), 69: *AAS* 68 (1976), 59.

[188] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 44.46.

[189] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de activitate missionali Ecclesiae *Ad gentes,* 18.40.

[190] *Epistula ad socios Romae incolentes,* ex urbe Cochin data die 15 Ianuarii 1544: *Monumenta Historica Societatis Iesu,* 67 (1944), 166-167.

[191] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const.. dogm de Ecclesia *Lumen gentium,* 44.

dumtaxat versantes, a vitae activae Institutis ad alia contemplationi dedita,[192] innumeri homines suas vires collocaverant in hac « primaria Ecclesiae actione essentiali nec umquam conclusa»,[193] quoniam ad multitudinem crescentem destinatur eorum, qui Christum non noverunt.

Pergit etiam hodie idem officium vehementer Instituta vitae consecratae provocare nec non apostolicae vitae Societates: ab iis quam maximas partes poscit Evangelii Christi nuntiatio. Instituta etiam, quae oriuntur atque inter iuvenes Ecclesias operantur, invitantur ut missioni se aperiant inter non christianos, intra extraque suam patriam. Quamvis exsistant perspicuae difficultates quibus Instituta quaedam exponi possunt, peropportune tamen omnes id commonentur: sicut « fides corroboratur eam donando! »,[194] sic consecratam vitam roborat missio ipsa, cui novum studium novasque addit agendi causas cuiusque excitat fidelitatem. Sua quidem ex parte praebet missionalis actuositas latos campos in quos multiplices vitae consecratae formae recipiantur.

Feminis porro consecratis et religiosis fratribus laicis et Institutorum saecularium participibus offert missio *ad gentes* peculiares ac singulares omnino opportunitates ut opus expleant, quod omnino sit efficax. Saecularia deinde Instituta, utpote quae variis in vocationis laicalis propriis regionibus adsint, partem magni momenti agere possunt in evangelizandis locis ac structuris ipsisque legibus quibus humana consortio regitur. Valent praeterea bona evangelica iuxta illos homines testificari, qui nondum Iesu adepti sunt cognitionem et sic propriam conferre utilitatem missioni.

Animadvertendum est eas apud nationes ubi radices egerunt non christianae religiones, summum accipere momentum vitae consecratae exsistentiam, simul per educationis caritatis humanitatis opera, simul per ipsum contemplativae vitae signum. Hanc maxime ob rem incitetur oportet novas inter Ecclesias constitutio communitatum contemplationi incumbentium, «cum ... vita contemplativa ad plenitudinem praesentiae Ecclesiae pertineat ».[195] Instrumentis dein congruis est promovenda aequabilis vitae consecratae partitio multiplicibus sub eius figuris, ut novus inde evangelizationis

192 Qf. IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Encycl. *Redemptoris missio* (7 Decembris 1990), 69: *AAS* 83 (1991), 317-318; *Catholicae Ecclesiae Catechismus,* 927.

193 IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Encycl. *Redemptoris missio* (7 Decembris 1990), 31: *AAS* 83 (1991), 277.

194 *Ibid.,* 2: *l.m.,* 251.

195 CONC. OECUM. VAT. II, Decr.. de activitate missionali Ecclesiae *Ad gentes,* 18; cfr IOANNES PAULUS; PP. II, Litt. Encycl. *Redemptoris missio* (7 Decembris 1990), 69: *AAS* 83 (1991), 317-318.

incendatur fervor, tum missis missionariis viris ac feminis, tum debito collato adiumento a vitae consecratae Institutis dioecesibus egentioribus.[196]

Christi nuntiatio atque inculturatio

79. Christi « nuntius principatum in missione tenet perennem »[197] in Ecclesia, et « ad christianam conversionem spectat, plenum nempe sincerumque obsequium erga Christum et eius Evangelium ».[198] Missionalia inter opera numerantur etiam inculturationis processus et inter religiones dialogus. Inculturationis provocationem recipere consecratae personae debent tamquam hortationem ad frugiferam cum gratia divina cooperationem in ipso concursu cum diversis cultus humani speciebus. De seria hoc coniecturam facit uniuscuiusque praeparatione dotibusque iudicii maturis nec non de fideli consensu cum necessariis doctrinalis orthodoxiae, veritatis et ecclesialis communionis praeceptis.[199] Fundatorum ac fundatricum auxiliante charismate, plures potuerunt consecrati homines ad varias culturas accedere cum ipso Iesu affectu qui « semetipsum exinanivit formam servi accipiens » *(Philp* 2, 7) atque patienter audacterque ad dialogum nitentes frugiferam instituerunt cum maxime variis populis consortionem, salutis viam singulis nuntiantes. Quot ex iis etiam hodie in annalibus singulorum hominum populorumque integrorum quaerere detegereque noverunt praesentis Dei vestigia, qui ad salutiferae suae voluntatis diiudicanda signa universum dirigit hominum genus. Ipsis autem consecratis personis utilis comprobatur haec inquisitio: reperta enim apud diversos humanos civilesque cultus bona excitare in illis possunt ipsius Christianae contemplationis pervestigationem, communitariam participationem, hospitalitatem atque personarum observationem, tum etiam naturae ipsius curationem.

Ad veram inculturationem necessarii omnino sunt habitus sensibus Domini similes, cum incarnatus est et inter nos venit amanti demissoque animo. Hoc modo idoneas maxime reddit vita consecrata personas quae implicatum inculturationis laborem aggrediantur, quandoquidem aptas eas reddit ut a rebus disiungantur, immo vel a tot propriae culturae speciebus. His cum affectibus investigationi sese devoventes atque culturarum intelle-

196 Cfr *Propositio* 38.

197 IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Encycl. *Redemptoris missio* (7 Decembris 1990), 44: *AAS* 83 (1991), 290.

198 Cfr *ibid.,* 46: *l.m.,* 292.

199 Cfr *ibid,,* 52-54: *l.m..,* 299-302.

gentiae, melius in his distinguere valent consecrati vera bona nec non optimum modum ea complectendi et perficiendi suo proprio opitulante charismate.[200] Oblivisci tamen non licet antiquas apud multas culturas adeo ita funditus permisceri religionis significationes ut saepius culturae ipsius transcendentem rationem ipsa religio exprimat. Vera hic inculturatio necessario serium apertumque inter religiones dialogum prae se fert qui «non adversatur ipsi missioni *ad gentes* ... neque liberare ab evangehzationis officio».[201]

Vitae consecratae inculturatio

80. Ex se vita consecrata, quae per se ipsa evangelica bona infert, ubi authentice tenetur peculiare adiumentum afferre potest provocationibus inculturationis. Cum enim sit ea signum principatus Dei Regnique, fit ipsa incitatio, quae per dialogum hominum conscientiam movere potest. Si quidem servat vita consecrata prophetici impulsus suam propriam vim, quandam intra culturam evangelicum fit fermentum habens virtutem eam purificandi et evolvendi. Id nimirum multorum sanctorum sanctarumque fasti demonstrant, qui diversis aetatibus in temporum vices penitius se insinuarunt, iis tamen non sunt absumpti, immo novas semitas suis aevis patefecerunt. Evangelicae vitae ratio insignis est fons ad novum culturae exemplar exhibendum. Quot enim conditores conditricesque, quaedam sui temporis postulata intellegentes, tametsi nonnullis cum limitibus a se agnitis, illis occurrerunt responsione, quae res culturalis innovationis facta est exhibitio.

Religiosorum Institutorum religiosarumque nec non Societatum vitae apostolicae communitates enim certa et significantia culturalia proposita ministrare possunt, quando evangelicam rationem testantur vivendi in diversitate mutuam acceptionem atque exercendi auctoritatem, cum bonorum tum corporis tum animi communionem, internationalem mentem, inter congregationes sociatam operam, virorum mulierumque nostrae aetatis auditiones experiuntur. Ratio namque cogitandi vivendique illius qui Christum propius persequitur, *certam parit firmamque relationis culturam,* id quod contra hominem est collustrat, testificatur Deum unum bonis vim indere et completionem. Vera vicissim inculturatio efficiet ut personae consecratae

[200] Cfr *Propositio* 40, A.

[201] IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Encycl. *Redemptoris missio* (7 Decembris 1990), 55: *AAS* 83 (1991), 302; cfr PONTIFICIUM CONSILIUM PRO DIALOGO INTER RELIGIONES et CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE, Instr. *Dialogo e annuncio. Riflessioni e orientamenti* (19 Maii 1991), 45-46: *AAS* 84 (1992), 429-430.

evangelica praecepta radicitus teneant, ad cuiusque Instituti charisma adque illius populi ingenium quocum erit necessitudo. Hac e fertili congruentia vivendi genera effluent et pastorales rationes quae fieri poterunt germana opulentia toto pro Instituto, si quidem cum fundationis charismate et cum Spiritus Sancti congregante actione concinent. Hoc in processu, qui discretione audaciaque constat, dialogo evangelicoque impulsu, recti itineris vindex erit Sancta Sedes, cui munus demandatur culturarum evangelizationem cohortandi eiusque progressus confirmandi et effecta, quae ad inculturationem spectant, sanciendi;[202] « officium difficile est hoc magnaeque prudentiae, quia de fidelitate Ecclesiae ipsi Evangelio et Apostolicae Traditioni quaestionem ponit intra perpetuam culturarum progressionem ».[203]

Nova evangelizatio

81. Ut apta ratione obviam procedatur provocationibus quas aetas nostra novae evangelizationi opponit, opus in primis est tali consecrata vita, quae a revelato Verbo continenter se patiatur appellari nec non a temporum signis.[204] Magnorum virorum ac mulierum evangelizantium, qui dari prius fuerunt evangelizati, memoria docet, ut nostri temporis hominibus occurratur, necessarios esse homines Domino eiusque Evangelio amanter deditos. « Suapte vocatione propria moventur consecrati homines ut inter sui evangelizationem ac testificationem unitas compareat, inter renovationem interiorem ac fervorem apostolicum, inter exsistentiam atque actionem, dum clare demonstrant vividam semper vim ex priore binomii illius profluere parte ».[205]

Haud secus atque consueta, evangelizatio nova tum efficax erit cum ex tectis pronuntiare valebit quaecumque in intima cum Domino consortione prius erunt experta. Ad hanc igitur solida flagitantur ingenia sanctorum ardore incensa. A consecratis viris feminisque postulat nova evangelizatio ***'plenam theologici sensus conscientiam provocationum aetatis nostrae.*** Haec postulata ponderentur oportet a diligenti unanimique iudicio, unde missio ipsa renovetur. In Domino Iesu annuntiando fortitudinem comitari debet fi-

[202] Cfr *propositio* 40, B.

[203] IOANNES PAULUS PP. II, Adhort. Ap. post-synodalis *Ecclesia in Africa* (14 Septembris 1995), 62: *L'Osservatore Romano,* 16 Septembris 1995, p. 5.

[204] Cfr PAULUS PP. VI, Adhort. Ap. *Evangelii nuntiandi* (8 Decembris 1975), 15: *AAS* 68 (1976), 13-15.

[205] SYNODUS EPISCOPORUM, IX Coetus generalis ordinarius, *Relatio ante disceptationem,* 22: *L'Osservatore Romano,* 3-4 Octobris 1994, p. 12.

ducia de Providentiae actione, qui in mundo « omnia, adversos etiam humanos casus, in Ecclesiae bonum sapienter» disponit.[206]

Ut in novae evangelizationis processum fructuose Instituta immittantur, magni ponderis partes agunt fidelitas erga fundatoris charisma, cum iis coniunctio qui eidem in Ecclesia operi sese devovent, praesertim cum Pastoribus, atque adiutrix opera cum hominibus cunctis bonae voluntatis consociata. Id secum fert ut Spiritum intellegamus unumquodque Institutum rogantem, sive illis in regionibus ubi magni progressus extemplo non prospiciuntur, sive in aliis regionibus, ubi feliciter res restitui praenuntiatur. Omnibus in locis rerumque adiunctis ardentes sint personae consecratae Dominum Iesum nuntiatrices, conditorum conditricumque menti fideles, paratae ad respondendum cum sapientia postulatis evangelicis quae ex inquieto hominis corde eiusque impellentibus necessitatibus oriuntur.

Studium et amor pro pauperibus atque iustitiae promotio

82. Sui ministerii principio, Nazarethana in synagoga, proclamat Iesus se a Spiritu esse consecratum ut pauperibus evangelizet, captivis remissionem praedicet, caecis visum restituat, contractos in remissione dimittat, annum Domini acceptum praedicet (cfr ***Lc*** 4, 16-19). Ecclesia in se recipiens Domini missionem, Evangelium singulis viris feminisque enuntiat, in se ex toto onus suscipiens eos servandi. Sed peculiari cum studio, vero « dilectu potiore », se convertit ipsa ad eos qui ***in debiliore condicione versantur,*** ideoque graviore in necessitate. « Pauperes » multiplicibus in paupertatis rationibus, sunt oppressi, vitae segreges, senes, aegroti, parvuli; quotquot denique in societate « infimi » habentur et considerantur.

Inest dynamicae ipsi virtuti amoris, qui secundum Christum vivitur, haec pro pauperibus optio. Ea igitur omnes obstringuntur Christi discipuli; qui vero propius sectari Dominum cupiunt eius imitantes habitus, non possunt quin se singulariter omnino implicari eadem re se sentiant. Eorum ex animo responsio amori Christi eos impellit ut pauperum more vivant pauperumque causam suscipiant. Hinc cuique Instituto necesse est ad proprium charisma ***vitae genus demissum austerumque sibi asciscere,*** tam in singulis sodalibus quam universa in communitate. Viva hac testificatione sustentati homines consecrati, rationibus suae vitae electioni congruis atque animis ab omni politica ideologia liberis, iniurias condemnare poterunt quae

[206] **IOANNES PP. XXIII, Oratio aperiendo Concilio Vaticano II (11 Octobris 1962): *AAS* 54 (1962), 789.**

in tot filios filiasque Dei patrantur atque se iustitiae provehendae vovere iis in socialibus rerum adiunctis ubi operantur.[207] Sic hodiernis etiam in condicionibus per innumerabilium consecratarum personarum testimonium repetetur illa fundatorum ac fundatricum propria deditio, qui suam vitam impenderunt ut inter pauperes deversanti Domino famularentur. Namque Christus «hic est egens in pauperibus suis.... Tamquam Deus dives, tamquam homo pauper. Iam et ipse homo dives ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris: adhuc tamen hic pauper esurit, sitit, nudus est ».[208]

Evangelium per caritatem operatur, quae Ecclesiae est gloria eiusque fidelitatis erga Dominum signum. Cuncta vitae consecratae historia id demonstrat, quae videlicet vivens Iesu verbi explicatio considerari potest: « Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis » ***(Mt*** 25, 40). Complura Instituta, recentioribus potissimum temporibus, idcirco exstiterunt ut pauperum tum his tum illis necessitatibus subvenirent. At etiam cum propositum hoc non est consulto constitutum, cura et sollicitudo pro pauperibus, quas precatio, acceptio, hospitalitas significant, suapte natura cum variis generibus vitae consecratae sunt copulatae, etiam cum contemplativae vitae formis. Quo pacto aliter fieri potest, quandoquidem Christus, qui contemplatione attingitur, idem est qui in pauperibus vivit et patitur? Vitae consecratae historia ditata est, hac in re, claris ingeniosisque interdum exemplis. Sanctus Paulinus Nolanus, qui sua pauperibus dederat bona ut totus se Domino consecraret, sui monasterii cellas supra quoddam hospitium egenis destinatum aedificavit. Laetabatur ipse hanc « donorum reciprocationem » cogitans: pauperes enim quos ille colebat, sua precatione ipsius domus « fundamenta » firmabant, Dei laudi penitus dicatae.[209] Dictitabat, sua ex parte, S. Vincentius a Paulo: quotiescumque aliquis cogitur a precibus secedere ut pauperi necessitate quadam adstricto subveniat, re vera preces non infringuntur, quia « Deus pro Deo relinquitur ».[210]

Pauperibus servire actus est evangelizationis eodemque tempore evangelicae fidelitatis sigillum nec non ad perpetuam conversionem vitae consecratae incitamentum, quia — ut ait S. Gregorius Magnus — « ad alta caritas

[207] Cfr *Propositio* 18.

[208] S. AUGUSTINUS, *Sermo 123,* 3-4: *PL* 38, 685-686.

[209] Cfr *Carmen XXI,* 386-394: *PL* 61, 587.

[210] *Correspondance, Entretiens, Documents.* Conférence « Sur les Règles » (30 Maii 1647), Coste, IX, Paris 1923, p. 319.

mirabiliter surgit, cum ad ima proximorum se misericorditer attrahit; et quo benigne descendit ad infirma, valenter recurrit ad summa ».[211]

Aegrotorum cura

83. Praeclaram persequens consuetudinem, magna consecratarum personarum multitudo, mulierum potissimum, suum apostolatum in sanitatis locis ad cuiusque Instituti charisma agunt. Saeculorum processu multae fuerunt consecratae personae quae ***vitam suam impenderunt*** in deserviendum fratribus morbis contagione vulgatis correptis, demonstrantes deditionem usque ad heroicum modum pertinere ad vitae consecratae propheticam indolem.

Admirans gratiasque referens tot homines consecratos respicit Ecclesia qui aegrotantibus patientibusque assidentes plurimum missionis suae conducunt. Christi enim misericordiae propagant ministerium qui «pertransivit benefaciendo et sanando omnes» ***(Act*** 10, 38). Vestigiis Eius, uti Samaritani divini medicique animorum et corporum,[212] ingredientes atque ex suorum fundatorum ac fundatricum exemplis, consecratae personae, quas iam proprii Instituti dirigit charisma, sua perseverare debent in amoris testificatione erga infirmos quibus se permagna affectione communicationeque dedant. Suis praeterea in consiliis praecipuo iure prosequantur languentes indigentiores magisque derelictos perinde ac senes et impeditos, exclusos et aegrotos insanabiles, medicamentis ac morbis novis obnoxios. In infirmis provehant dolorum propriorum oblationem per consociationem cum Christo cruci affixo et in omnium salutem glorificato,[213] immo in illis conscientiam augeant eos esse ex ipsa oratione et verbi morumque testificatione ***actuosa pastoralis operae subiecta*** per peculiare crucis charisma.[214]

Commonefacit insuper Ecclesia consecratos consecratasque ad eorum pariter missionem pertinere ***evangelizationem sanandis aegris locorum,*** ubi operam navant, dum simul communicandis Evangelii bonis rationem vivendi patiendi moriendique hominum nostrae aetatis illuminare nituntur. Eorum etiam muneris est incumbere ad humaniorem medicinam artem reddendam

[211] ***Regula pastoralis*** **2, 5:** ***PL*** **77, 33.**

[212] **Cfr IOANNES PAULUS PP. II, Epist. Ap.** ***Salvifici doloris*** **(11 Februarii 1984), 28-30:** ***AAS*** **76 (1984), 242-248,**

[213] **Cfr** ***ibid.,*** **18:** ***l.m.,*** **221-224; Adhort., Ap. post-synodalis** ***Christifideles laici*** **(30 Decembris 1988), 52-53:** ***AAS*** **81 (1989), 496-500.**

[214] **Cfr IOANNES PAULUS PP. II, Adhort., Ap. post-synodalis** ***Pastores dabo vobis*** **(25 Martii 1992), 77:** ***AAS*** **84 (1992), 794-795,,**

nec non ad disciplinam bioethicam altius investigandam pro ministerio Evangelii vitae. Quapropter observantiam in primis personae ac vitae humanae a conceptione ad finem usque naturalem propugnent, plane consentientes cum morali Ecclesiae doctrina,[215] huius rei gratia sedes institutionis excitantes[216] et fraterno animo cum aliis ecclesialibus institutis operae pastoralis pro sanitate cooperantes.

II. PROPHETICUM CORAM MAGNIS PROVOCATIONIBUS TESTIMONIUM

Vitae consecratae prophetae opus

84. A Patribus synodalibus vehementer prophetica elata est consecratae vitae indoles. Fingitur enim ipsa veluti ***singularis quidam modus participandi propheticum Christi officium*** quod cum universo Dei Populo Spiritus communicat. Hoc prophetae opus vitae consecratae insitum est qua tali propter radicalem sequelae Christi naturam indeque proficiscentem deditionem ipsi missioni qua signatur. Partes quidem signi, quas consecratae vitae Concilium Vaticanum II assignat,[217] testificatione prophetica declarantur de illo principatu quem Deus atque Evangelii bona occupant in vita christiana. Ob tale enim primatum nihil anteferri potest singulari amori in Christum ac pauperes in quibus Ille vivit.[218]

In Elia, animoso propheta Deique amico, Ecclesiae Patres vitae religiosae monasticae exemplar conspexerunt.[219] Coram Deo ille vixit atque tacitus intuitus est ipsius transitum, pro populo intercessit eiusque fortiter voluntatem praedicavit, Dei iura defendit atque in pauperum tutelam insurrexit contra mundi huius potentes (cfr ***1 Reg*** 18-19). In Ecclesiae historia, iuxta ceteros christianos viri mulieresque Deo sacrati non defuerunt, qui, singulari ex spiritus munere, verum propheticum expleverunt ministerium, Dei nomine omnibus loquentes atque etiam ipsis Ecclesiae Pastoribus. ***Ex Deo vera oritur prophetia,*** ex amica cum Eo coniunctione, ex intenta Verbi eius auditione variis in historiae eventibus. Suo in pectore fervere percipit propheta ardens de Dei sanctitate studium, et cum verbum in ipso orationis

[215] Cfr IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Encycl. *Evangelium vitae* (25 Martii 1995), 78-101: *AAS* 87 (1995), 490-518.

[216] Cfr *Propositio* 43.

[217] Cfr Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 44.

[218] Cfr IOANNES PAULUS PP. II, habita in durante sollemni concelebratione ob conclusionem IX Coetus Ordinarii Synodi Episcoporum (29 Octobris 1994), 3: *AAS* 87 (1995), 580.

[219] Cfr S. ATHANASIUS, *Vita Antonii,* 7: *PG* 26, 854.

dialogo semel suscepit, id vita sua et labiis gestibusque proclamat, se Dei interpretem exhibens contra malum et peccatum. Assiduam fervidamque Dei voluntatis inquisitionem postulat prophetica testificatio, magnanimam ac necessariam Ecclesiae communionem, exercitationem spiritalis discretionis nec non veritatis amorem. Profertur etiam eorum repudiamone quae divino arbitrio obsistunt novarumque viarum investigatione, unde in historia Evangelium ad effectum perducatur proposito Dei Regno.[220]

Ipsius pondus ad nostri temporis homines

85. Nostro in orbe, ubi saepius amissa videntur Dei vestigia, valida deposcitur prophetica testificatio ex consecratis personis. Ante omnia ***in Dei principatu affirmando versabitur bonorumque venturorum,*** prout ex sequela et imitatione elucet Christi casti pauperis et oboedientis, omnino Patris gloriae dediti nec non fratrum ac sororum amori. ***Prophetia*** iam est ipsa fraterna vita ***agens*** in societate quae, licet huius rei sibi nonnumquam non sit conscia, valde desiderat fraternitatem sine finibus. Proprium erga charisma fidelitas consecratas incitat personas ut omni loco excellens reddant testimonium cum peculiari candore prophetae qui neque vitam periculo obicere dubitat.

Praecipua vero persuadendi vis prophetiae additur ex ***congruentia inter nuntium ac vitam.*** Suo in Ecclesia et mundo muneri fideles erunt consecratae personae, si sincere valebunt sine intermissione recognoscere se ipsas ad Verbi Dei lumen.[221] Hoc proinde modo locupletare poterunt ceteros fideles charismaticis bonis receptis, dum vicissim se permoveri sinent propheticis provocationibus ex aliis Ecclesiae partibus orientibus. His in permutatis donis, ubi ***plena consensio cum Magisterio ac disciplina Ecclesiae*** praestatur, Spiritus actio effulgebit qui illam «in communione et ministratione unificat, diversis donis hierarchicis et charismaticis instruit ac dirigit ».[222]

Ad martyrium usque fidelitas

86. Hoc saeculo haud secus atque ceteris historiae aetatibus, homines consecrati mulieresque ***suae vitae dono*** Christo Domino testimonium tribue-

220 Cfr. *Propositio* 39, A.

221 Cfr. *Propositiones* 15, A et 39, C.

222 Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 4; Decr. de presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum ordinis,* 2.

runt. Aliquot milia sunt qui vexatione regiminum absolutorum vel coetuum acerborum in catacumbas compulsi, impugnati in eorum missionali industria, in operibus pro egenis, in aegrorum et exclusorum curatione, suae consecrationis plenitudinem compleverunt et complent in dolore continuato et heroico saepiusque proprio fuso sanguine funditus Domino cruci affixo conformati. Quibusdam illorum iam publica auctoritate sanctitatem adscripsit Ecclesia eos uti Christi martyres honorans. Suis exemplis nos collustrant, pro nostra fidelitate preces interponunt opperiunturque nos in gloria.

Vehementer quidem optatur ut tot testium recordatio in Ecclesiae conscientia persistat tamquam ad celebrationem imitationemque invitamentum. Ad hoc opus consecratae vitae Instituta vitaeque apostolicae Societates conferant ***nomina ac testimonia colligentes*** omnium consecratorum hominum qui digni sunt qui in vicesimi saeculi Martyrologium inscribantur.[223]

Magnae vitae consecratae provocationes

87. Propheticum munus consecratae vitae illicitur ***tribus praecipuis provocationibus*** Ecclesiae ipsi intentis: sempiterna sunt quidem officia quae tamen novis sub formis proponuntur atque etiam fortasse severioribus, a nostri temporis societate, saltem quibusdam in orbis regionibus. Tangunt ipsa recta via paupertatis castitatis et oboedientiae consilia evangelica, dum Ecclesia simul atque particulatim personas consecratas incitant ut in lucem proferant eorumque ***altum sensum anthropologicum*** testentur. Horum enim consiliorum electio tantum abest ut bona reapse humana minuat ut, contra, se tamquam eorum transformationem exhibeat. Non sunt consilia evangelica habenda velut negatio bonorum in sexus usu insitorum neque in legitima voluntate res possidendi aut de se libere decernendi. Hae inclinationes, quippe quae naturae innitantur, ex se bonae quidem sunt. Humana tamen natura, peccato originali sauciata, periculo exponitur ne illas ad effectum illegitime traducat. Castitatis paupertatis oboedientiae professio admonitio fit ne a peccato originali vulnera inducta subaestimentur, atque bonorum creatorum momentum quidem affirmans, ***illa relativa reddit*** Deum indicans uti bonum absolutum. Ita profecto consilia sectantes evangelica, dum sanctimoniam sibi persequuntur, proponunt ipsi, ut ita dicatur, pro hominum genere « spiritalem curationem », quandoquidem idololatriam rerum creatarum répudiant et Deum vivum quadamtenus visibilem prae-

[223] Cfr *Propositio* 53; IOANNES PAULUS PP. II, Epist. Ap. *Tertio millennio adveniente* (10 Novembris 1994), 37: *AAS* 87 (1995), 29-30.

stant. Vitae humanae atque ipsi etiam ecclesiali vitae benedictio vita consecrata est, praesertim difficilioribus temporibus.

Castitatis consecratae provocatio

88. ***Provocatio prima*** exoritur ***e cultura voluptuaria*** quae ab omni obiectiva morali norma sexus usum dissolvit, quem saepius in lusum ac fructum redigit, dum cuidam instinctus idololatriae indulget, conspirantibus communicationis socialis instrumentis. Huius condicionis consectaria omnium oculis apparent: omnium generum violationes quas innumeri dolores animi et mentis tum in singulis hominibus tum in familiis comitantur. ***Respondet*** consecrata vita praesertim ***castitatem perfectam laetanter exsecuta*** veluti testificationem potentiae amoris Dei in humanae condicionis infirmitate. Testatur consecrata persona quod fieri non posse creditur a pluribus, adiuvante Domini Iesu gratia, effici posse, ac revera homines liberare. Ita, in Christo amare quis Deum toto corde potest, illum omni alii amori praeponens, atque ita cum Dei libertate omnem amare creaturam! Hodie magis quam alias umquam necessaria est haec testificatio idcirco quod tam paulum ab hodiernis hominibus comprehenditur. Omnibus hominibus ipsa praebetur — iuvenibus et sponsis, coniugibus et christianis familiis — ut comprobetur ***amoris Dei vim magna patrare posse*** omnino inter amoris humani fortunas. Testificatio haec pariter crescenti satisfacit necessitati interioris cuiusdam perspicuitatis in hominum necessitudinibus.

Vitam consecratam ostentet oportet nostrae aetatis hominibus castitatis exempla quam viri ac feminae vivant in se aequabilitatem demonstrantes et sui dominationem, alacritatem rerum gerendarum et psychologicam affectivam que maturitatem.[224] Ob hoc testimonium humanum amori additur certum directionis punctum quod consecrata persona attingit trinitarium amorem contemplans in Christo revelatum. Quandoquidem in hoc mergitur mysterio eadem persona sibi videtur ad extremum universumque amorem idonea, qui virtutem ei tribuit dominatus in se nec non disciplinae necessariae ne in sensuum instinctuumque incidat servitutem. Sic laetitiae libertatisque experientia videtur consecrata castitas. Fide in resuscitatum Dominum illuminata nec non caelorum novorum ac terrae novae exspectatione (cfr ***Apc*** 21, 1) praetiosas praestat impulsiones pro educatione ad castitatem debitam in aliis quoque vitae statibus.

[224] **Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae caritatis,* 12.**

Paupertatis provocatio

89. ***Secunda provocatio*** hodie ***ex materialismo possidendi avido nascitur,*** qui necessitates doloresque debiliorum neglegit atque omni caret observantia erga copiarum naturalium aequilibritatem. Ei contra ***respondet*** vita consecrata quae ***paupertatem evangelicam*** profitetur diversis impletam rationibus quamque saepius comitatur actuosa solidarietatis caritatisque provehendae opera.

Educationi et institutioni et praeparationi ad vitae munus quot sese devovent Instituta, idoneos dum iuvenes atque etiam seniores efficiunt ut venturae suae aetatis ipsi actores primarii evadant! Quot consecrati homines se consumunt neque viribus parcunt pro imis terri incolis! Quot praeterea ex iis operam dant ut futuri magistri atque vitae sociales auctores ita conformentur ut amovere opprimentes structuras velint atque studere eodem tempore promovere pro pauperibus solidarietatis operam! Ut fames vincatur eiusque causae illi nituntur, incepta voluntariorum incitant et humanorum auxiliorum instituta, conscia reddunt publica privataque officia ut subsidiorum internationalium aequae partitioni faveant. Plurimum revera nationes referre debent his audacibus caritatis opificibus viris ac feminis, qui indefessa sua liberalitate permultum iam contulerunt et conferunt ad totum orbem humaniorem constituendum.

Evangelica paupertas in pauperum ministerium

90. Re quidem vera priusquam pauperibus deserviat, iam ***in semet paupertas evangelica bonum ipsa est,*** quandoquidem primam omnium Beatitudinum in Christi pauperis imitatione recolit.[225] Primum enim eius officium est Deum testificari uti veras cordis humani divitias. At idcirco hanc ob causam vehementer omnino cultum mammonae denuntiat se ponens tamquam propheticam appellationem ante illam societatem quae in tot orbis opulentioribus partibus in periculo est ne moderationis sensum amittat ipsamque rerum significationem. Ea de causa hodie magis quam antehac respicitur eius admonitio etiam ab iis qui, intellegentes huius orbis opes copiasque circumscribi, rerum creatarum observantiam invocant et custodiam per minorem rerum consummationem, per sobrietatem atque iniunctionem necessariorum frenorum cupiditatibus singularibus.

Cfr *Propositio* 18, A.

Ab hominibus consecratis petitur igitur renovata ac concitata evangelica testificatio abnegationis et sobrietatis intra genus quoddam vitae fraternae quae simplicitatis et hospitalitatis normis gubernetur, etiam uti illis omnibus exemplum qui ad proximorum necessitates se indifferentes gerunt. Comitabitur nimirum hoc testimonium ***potissimus pro pauperibus amor*** declarabiturque illud insigniter participatione ipsa vitae condicionum in quibus versantur maxime destituti. Non paucae communitates vivunt et agunt inter egenos atque exclusos, quorum complectuntur statum, coniunctimque dolores pericula difficultates patiuntur.

Prolixi sunt annales contexti evangelica solidarietate et heroica deditione consecratorum hominum, his potissimum annis altarum in orbe conversionum atque iniuriarum magnarum, spei ac deceptionum, praestantium victoriarum ac tristium calamitatum. Nec minus praestantes sunt conscriptae paginae et adhuc conscribuntur ab innumerabilibus consecratis personis a quibus plene propria ducitur vita «abscondita... cum Christo in Deo» ***(Col*** 3, 3) ad mundi salutem sub signo gratuitae operae et propriae vitae in causis collocatae parum cognitis minusque etiam laudatis. Has per multiplices formas et inter se complentes, particeps est consecrata vita maxime paupertatis Domini ipsius suumque proprium explet munus in salutifero incarnationis Eius mysterio nec non redemptricis mortis.[226]

Libertatis provocatio in oboedientia

91. Ab illis ***libertatis notionibus*** profluit ***tertia provocatio*** quae principalem hanc humanam proprietatem de necessaria ipsius subtrahunt coniunctione cum veritate regulaque morali.[227] Revera libertatis cultus solidum est bonum quod penitus cum personae humanae observantia sociatur. Quis est quin percipiat ad quae enormia iniustitiae, quin immo et violentiae consectaria in singulorum hominum populorumque vita perversus libertatis perducat abusus?

Efficaciter tamen huic rei ***oboedientia respondet, qua consecrata vita distinguitur.*** Oboedientiam enim Christi erga Patrem vivo maxime modo illa revocat, atque ab eius proficiscens mysterio testatur ***inter se oboedientiam ac libertatem haud pugnare.*** Etenim Filii ipse affectus recludit libertatis huma-

[226] **Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Decr de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae caritatis,* 13.**

[227] **Cfr IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Encycl. *Veritatis splendor* (6 Augusti 1993), 31-35: *AAS* 85 (1993), 1158-1162..**

nae arcanum veluti oboeditionis iter voluntati Patris ipsumque oboedientiae mysterium tamquam iter progredientis consecutionis verae libertatis. Hoc ipsum mysterium cupit persona consecrata nominatim suo hoc voto indicare. Eo etiam declarare vult conscientiam filialis necessitudinis, ex qua Patris voluntatem amplectitur velut cibum cotidianum (cfr ***Io*** 4, 34), suam ut firmitudinis petram, suam laetitiam, firmamentum suum et refugium (cfr ***Ps*** 18 [17], 3). Praeterea crescere se demonstrat plena in veritate de se, dum usque colligatur cum suae exsistentiae origine, perindeque maximae consolationis praebet nuntium: «Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum» ***(Ps*** 119 [118], 165).

Patris voluntas simul perficienda

92. Vim omnino peculiarem haec hominum consecratorum testificatio in vita religiosa prae se fert etiam ***ob communitariam rationem*** qua signatur. Locus enim praecipuus est fraterna vita ubi Dei voluntas discernatur et recipiatur atque iunctis mentibus animisque simul procedatur. Caritate quidem animata oboedientia, alicuius Instituti sodales in eodem coniungit testimonio eodemque in opere, quantumvis donorum subsit varietas atque singulorum propria observetur indoles. Intra fraternitatem a Spiritu concitatam cum ceteris quisque magni pretii agit dialogum ut Patris detegatur voluntas universique agnoscunt in ipsis praesidentibus paternitatis Dei declarationem nec non exercitationem auctoritatis ab Eo receptae ad discretionis et communionis utilitatem.[228]

Communitatis vita insuper signum potissimum est ante Ecclesiam ac societatem illius vinculi quod ex illa vocatione procedit communique voluntate eidem vocationi oboediendi, ultra omnem differentiam stirpis et loquelae et culturae. Adversus dissensionis divisionisque animum effulgent auctoritas et oboedientia demonstrationis instar illius unius paternitatis a Deo exorientis, fraternitatis ex Spiritu nascentis, interioris libertatis eius qui Deo confidit praeter humanos limites eorum qui Dei vices gerunt. Hanc per oboedientiam, quam uti vitae regulam aliqui suscipiunt, percipitur atque profertur in omnium commodum ea beatitudo a Iesu illis promissa «qui audiunt verbum Dei et custodiunt» ***(Lc*** 11, 28). Praeterea qui oboedit se certo novit in missione consistere, Dominum nempe sequentem non vero ad suas decurrentem cupiditates propriasve exspectationes. Ita profecto cogno-

228 Cfr. *Propositio* 19, A; CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae caritatis,* 14.

sci licet se a Domini Spiritu duci atque magnas etiam inter difficultates manu eius firma ac paterna sustineri (cfr ***Act*** 20, 22 s).

Animoswm spiritalis vitae officium

93. Inter saepius prolatas in Synodo curas sollicitudo fuit illa de vita consecrata ***spiritalitatis solidae altaeque fontibus*** enutrita. De principali, re vera, agitur postulato quod in ipsa vitae consecratae essentia inscribitur quoniam, perinde ac alius omnis baptizatus, immo ob graviores etiam causas, qui consilia profitentur evangelica oportet omnibus viribus ad caritatis perfectionem contendant.[229] Hoc officium innumeris sanctorum conditorum ac conditricum totque consecratarum personarum exemplis evocatur, qui Christo fidelitatem usque ad martyrium sunt testificati.

Ad sanctimoniam contendere: haec summa est normarum omnis consecratae vitae illo etiam in prospectu eius renovationis iamiam tertio appropinquante millennio. Inde autem proficiscitur haec vitae ratio, quod quis pro Christo omnia deserit (cfr ***Mt*** 4, 18-22; 19, 21.27; ***Lc*** 5, 11), Illum ceteris rebus cunctis anteponens, ut Ipsius particeps plane evadat mysterii Paschalis.

Perbene illud intellexerat Paulus cum exclamavit: « Existimo omnia detrimentum esse propter eminentiam scientiae Christi Iesu... ad cognoscendum Illum et virtutem resurrectionis Eius» ***(Philp*** 3, 8.10). Iam principio ab Apostolis haec via est designata, quam admodum christiana et Orientis et Occidentis traditio commemorat: « Qui nunc ipsum Iesum sectantur omnia pro Illo relinquentes, in memoriam ipsos Apostolos revocant qui ei invitanti respondentes cetera universa répudiant. Quapropter translaticio more vita religiosa ***apostolica vivendi forma*** dictitatur ».[230] Haec eadem etiam traditio in vita consecrata naturam extulit peculiaris foederis cum Deo, immo vero sponsalis pacti cum Christo cuius Paulus ipse fuit magister suo exemplo (cfr ***1 Cor*** 7, 7) suoque magisterio quod ducente Spiritu est propositum (cfr ***1 Cor*** 7, 40).

Vitam spiritalem, uti vitam in Christo acceptam vitamque item secundum Spiritum, dicere possumus veluti iter fingi fidelitatis usque crescentis in qua consecrata persona a Spiritu dirigitur Christoque conformatur plane coniuncta amore ministerioque Ecclesiae.

[229] ***Propositio*** **15.**

[230] **Cfr IOANNES PAULUS PP. II, Allocutio in Audientia generali (8 Februarii 1995), 2:** ***L'Osservatore Romano,*** **9 Februarii 1995, p. 4.**

Haec omnia, quae in solidam formam variarum consecratae vitae figurarum transierunt, ***singularem spiritalitatis modum*** pariunt, certum nempe propositum coniunctionis cum Deo cumque ambitu universo quae propriis spiritalibus rationibus signatur nec non operandi consiliis, quae modo hoc modo illud unius Christi mysterii latus illuminant atque repraesentant. Cum quandam vitae consecratae formam agnoscit Ecclesia aut Institutum, fidem facit eius in spiritali apostolicoque charismate omnes necessarias reperiri partes ut evangelica singulorum ipsiusque communitatis perfectio attingatur.

Primo igitur loco collocetur oportet spiritalis vita in toto consilio vitae consecratae Familiarum, ut quodque Institutum et communitas se veluti exhibeant scholas verae spiritalitatis evangelicae. Hac ex primaria electione, quam singulare cuiusque officium communitatisque effecit, fecunditas apostolica pendet nec non magnanimitas in pauperum amore tum etiam invitatio ad vocationes inter posteras generationes. Haec omnino ***spiritalis vitae consecratae proprietas*** percellere valet nostrae aetatis homines, qui et ipsi bona concupiscunt absoluta, dum in afficientem eos convertit testificationem.

Verbum Dei excipientes

94. Primus omnis spiritalis christianae fons est Dei Verbum. Cum Deo vivente singularem necessitudinem ipsa alit cumque eius salutifera voluntate et sanctificante. Qua de causa iam ab ipso vitae consecratae Institutorum ortu, maxime vero monasticae vitae, plurimi aestimata est semper ***lectio divina.*** Eius quidem beneficio transit Dei Verbum in vitam supra quam lumen iacit sapientiae quae Spiritus est munus. Licet omnis Scriptura sit « utilis ad docendum » ***(2 Tim*** 3, 16) atque « vitae spiritualis fons purus et perennis»,[231] Novi tamen Testamenti scripta, cum primis Evangelia, sunt singulariter veneranda, quae « sunt cor omnium Scripturarum».[232] Personis itaque consecratis plurimum proderit suam in perpetuam meditationem destinare evangélicos locos nec non reliqua Novi Testamenti scripta, quae Christi Virginisque Mariae verba atque exempla collustrant nec non ***apostolicam vivendi formam.*** Ad ea continenter fundatores et fundatrices sese revocaverunt vocationes accipientes et charisma munusque sui Instituti discernentes.

[231] **CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei Verbum,* 21; cfr Decr. de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae caritatis,* 6.**

[232] ***Catholicae Ecclesiae Catechismus,*** **125; cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei Verbum,* 18.**

Magnae praeterea utilitatis est ***communitaria*** Bibliorum ponderatio. Secundum facultates vitaeque communitatis condiciones peracta ipsa ad laetificam perducit communicationem illarum divitiarum quae ex Dei Verbo hauriuntur et ob quas fratres sororesque simul crescunt et inter se adiuvant ut in spiritali progrediantur vita. Decet immo hanc proponi consuetudinem aliis etiam Populi Dei membris, presbyteris et laicis, consentaneis proprio charismati modis scholas provehendo orationis;, spiritalitatis et lectionis precationis Scripturarum, in qua Deus « homines tamquam amicos alloquitur (cfr ***Ex*** 33, 11; ***Io*** 15, 14-15) et cum eis conversatur (cfr ***Bar*** 3, 38), ut eos ad societatem Secum invitet in eamque suscipiat ».[233]

Ex Verbi Dei ponderatione ac potissimum Christi mysteriorum, quem admodum spiritalis docet traditio, oriuntur contemplationis maior vis atque apostolicae actionis ardor. Tum in religiosa vita contemplativa tum etiam in apostolica, opera magna semper effecerunt viri ac mulieres precationi vacantes veluti veri Dei voluntatis interpretes atque exsecutores. Ex Dei Verbi celebratione necessariam hauserunt lucem ad illam prudentiam singularem atque communitariam unde adiuti sunt ut in temporum signis vias Domini conquirerent. Ita sibi ***genus quasi quoddam supernaturalis instinctus*** sunt adepti, per quem licuit non se accommodare ad saeculi mentem, verum suum renovare animum ut Dei voluntatem dispicerent, quod ei est « bonum et bene placens et perfectum » ***(Rom*** 12, 2).

In communione cum Christo

95. Praecipuum vero instrumentum quo cum Domino alitur efficaciter coniunctio est sine dubitatione ***liturgia sacra,*** at potissimum eucharistica Celebratio nec non Liturgia Horarum.

Ante omnia «in Sanctissima... ***Eucharistia*** totum bonum spirituale Ecclesiae continetur ipse scilicet Christus Pascha nostrum panisque vivus per Carnem suam Spiritu Sancto vivificantem vitam praestans ».[234] Quod in ecclesiali vita est cor idem profecto etiam in consecrata vita. Quo pacto persona per consiliorum evangelicorum professionem vocata ad Christum eligendum uti unicum vitae suae sensum non cuperet non inire cum Eo altiorem usque necessitudinem per cotidianam illius Sacramenti participationem quod eum reddit praesentem, illius sacrificii quo amoris donum in Calvariae loco praestitum completur, tandem convictus qui Dei populum peregrinan-

[233] **CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei Verbum,* 2.**

[234] **CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum ordinis,* 5.**

tem nutrit et sustinet? Suapte natura medium vitae consecratae locum obtinet Eucharistia, ut pro singulis sodalibus ita pro communitate. Viaticum cotidianum est spiritalitatisque fons singulis membris et universo Instituto. In ea destinatur unusquisque consecratus ut paschale Christi vivat mysterium utque cum Eo se consociet propriam Patri offerens vitam per Spiritum. Assidua et diuturna Christi in Eucharistia praesentis adoratio iterari sinit quadamtenus Petri experientiam in Transfiguratione: « Bonum est nos hic esse ». Celebrando autem Corporis et Sanguinis Domini mysterium unitas et caritas confirmantur et augentur eorum qui suam Deo devoverunt vitam.

Secundum Eucharistiam, atque arte cum ea cohaerens, ***Liturgia Horarum*** sive in communitate celebrata sive pro cuiusque Instituti natura singillatim, coniuncta cum totius Ecclesiae precatione, vocationem etiam illuminat ad laudem et intercessionem quae consecratarum personarum est propria.

Intimum ad eandem Eucharistiam vinculum indicat etiam officium perpetuae conversionis ac necessariae emendationis quas in ***Reconciliationis sacramento*** consecrati homines perficiunt. Per crebrum hunc cum Dei misericordia congressum purgant renovantque cor suum, et per humilem peccatorum confessionem illustrant sui coniunctionem cum Eo; laetifica condonationis sacramentalis experientia in communi fratrum ac sororum itinere docilem reddit animum et ipsum officium ad maiorem usque fidelitatem incitat.

Permagno auxilio ut quis in Evangelii via progrediatur, praesertim formationis tempore aliisque praestantioribus vitae momentis, est fidens et humilis usus ***consultationis spiritalis*** per quam adiuvatur persona ut Spiritus motibus alacriter respondeat et ad sanctitatem firmiter se dirigat.

Universos denique cohortamur consecratos homines ut secundum proprias traditas consuetudines, cotidie cum Virgine Maria spiritalem communionem renovent cum eaque Filii mysteria, praesertim ***Sanctum Rosarium*** recitantes, denuo percurrant.

III. QUIDAM MISSIONIS AREOPAGI

In educationis provincia praesentes

96. Semper intellexit Ecclesia ***educationem esse muneris sui partem necessariam.*** Ipsius interior Magister est Spiritus Sanctus qui recessus maxime impervios animi cuiusque hominis pervadit arcanamque historiae actionem novit. A Spiritu universa animatur Ecclesia quocum suum procurat edu-

candi opus. Attamen intra Ecclesiam peculiare hac in re officium ad personas attinet consecratas, quae admonentur ut in educationis rationem testimonium extremum bonorum Regni inserant, quae singulis proponuntur hominibus novissimam cum historiae Domino congressionem praestolantibus. Suam ob singularem consecrationem perque Spiritus donorum propriam experientiam, propter sedulam Verbi auditionem et iudicii exercitationem, propter copiosum traditionum educationis patrimonium per aetates a proprio Instituto collectum, ob altiorem veritatis spiritalis cognitionem (cfr ***Eph*** 1, 17), valent quidem consecratae personae educandi actionem insigniter efficacem peragere, simul etiam propria adiumenta inceptis aliorum educatorum et educatricum addentes.

Hoc charismate praemuniti vitam addere possunt sedibus educationis evangelico libertatis caritatisque animo imbutis, ubi adulescentes adiuventur ut, duce Spiritu, in humanitate ipsa crescant.[235] Hoc quidem modo educans communitas communionis ipsius experientia evadit atque gratiarum locus, ubi paedagogicum opus operam dat consociandis in summa consentanea rebus humanis et divinis, Evangelio et cultura, fide et vita..

Inde a prisca aetate ad nostros usque dies abundant Ecclesiae annales mirabilibus hominum consecratorum exemplis qui vixerunt et adhuc vivunt contentionem illam ad sanctitatem per ipsum paedagogicum officium, uti educationis metam eodem tempore sanctitatem proponentes. Complures enim eorum educando attigerunt caritatis perfectionem. Donorum excellentium unum hoc est quae hodie quoque iuvenibus praebere valent consecratae personae eam etiam argumentum constituentes operis paedagogici amore abundantis, secundum sapientem sancti Ioannis Bosco monitionem: « Ne diligantur modo adulescentes, verum diligi se etiam intellegant ».[236]

Renovati hac in educationis regione officii necessitas

97. Iungentes diligentem observantiam cum missionali fortitudine ostentent consecrati consecrataeque fidem de Iesu Christo totum educationis collustrare campum, non minuentem sed contra confirmantem atque extollentem ipsa humana bona. Hoc modo se testes ac potentiae Incarnationis virtutisque Spiritus praestant administros. Eorum hoc officium inter signifi-

[235] **Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Decl. de educatione christiana *Gravissimum educationis,* 8.**
[236] ***Scritti pedagogici e spirituali,* Roma 1987, p. 294.**

eantiores invenitur illius maternitatis declarationes quam, ad Mariae speciem, cunctos erga filios suos filiasque exercet Ecclesia.[237]

Idcirco graviter est cohortata Synodus personas consecratas ut novo studio, ubi fieri quidem potest, educandi denuo suscipiatur munus per omnis generis ordinisque scholas, Studiorum Universitates et superiora Instituta.[238] Nostram huc adiungentes synodalem sententiam, vehementer Institutorum educationi devotorum cohortamur sodales ut fideles charismati suo pristino persistant suisque traditionibus, conscii nempe sibi amorem pauperibus potius faventem insigniter adhiberi ad apta eligenda instrumenta unde a gravi illa miseriae forma homines liberentur, quae est efformationis culturalis religiosaeque lacuna.

Concesso singulari pondere quod in educationis et evangelizationis provincia prae se ferunt Studiorum Universitates ac Facultates catholicae et ecclesiasticae, Instituta quae illas administrant suorum meminerint officiorum atque in illis efficiant ut, dum actuoso modo diverbium cum praesentibus cultus humani condicionibus tractatur, propria catholica indoles adservatur secundum plenam Ecclesiae Magisterio fidelitatem. Praeterea secundum rerum adiuncta parati sint horum Institutorum ac Societatum sodales ut in ipsas educationis structuras apud civitates saeculares ingrediantur. Quod ad opus, praesertim ob peculiarem eorum vocationem, invitantur saecularium Institutorum participes.

Evangelizando, cultura

98. Permagnum effectum semper habuerunt vitae consecratae Instituta ad componendum tradendumque humanitatis cultum. Hoc media aetate evenit, cum coenobia loca facta essent ubi ad cultus divitias praeteritorum temporum accedebatur et nova humana et christiana contexebatur cultura. Hoc vere contigit quotiens in novas nationes culturaeque formas penetravit Evangelii lumen. Culturam plurimae consecratae personae provexerunt saepiusque pervestigaverunt et defenderunt nativas populorum culturas. Necessitas dandi operam ad cultum humanum provehendum nec non inter culturam ac fidem dialogum hodie animadvertitur ab Ecclesia quam maxime.[239]

[237] Cfr IOANNES PAULUS PP. II, Const. Ap. *Sapientia christiana* (15 Aprilis 1979), II: *AAS* 71 (1979), 471.

[238] Cfr *Propositio* 41.

[239] Cfr IOANNES PAULUS PP. II, Const. Ap. *Sapientia christiana* (15 Aprilis 1979), II: *AAS* 71 (1979), 470.

Hac necessitate non possunt consecrati homines quin se provocari sentiant. Etiam illi in Verbo Dei annuntiando monentur ut rationes discernant magis idoneas complendis diversorum hominum coetuum postulatis et ubicumque pro munere artes factitantur, ut omnem vitae humanae Christi lux locum pervadat utque salutis fermentum consortionem socialem intrinsecus transfiguret dum adiuvat ut cultura bonis evangelicis perfusa se efferat.[240] Etiam hoc perfungens opera poterit consecrata vita ineunte iamiam tertio millennio christiano suam confirmare congruentiam cum Dei voluntatibus qui cunctis hominibus obviam prodit qui conscio vel inconscio modo tamquam pedetemptim Veritatem ac Vitam conquirunt (cfr *Act* 17, 27).

Verum praeter ministerium aliis praebitum etiam intra consecratam vitam opus est ***renovato quodam amore pro culturali officio,*** animo studiis debito tamquam instrumentis totius formationis atque viis asceticis, maxime hoc tempore necessariis, coram communicationibus multiplicis culturae. Imminutum educationis studium secum importare potest gravia in apostolatum effecta, dum videlicet sensum exclusionis inferiorisque facultatis gignit vel levitatem quandam fovet et in rebus suscipiendis temeritatem.

Intra charismatum varietatem verasque singulorum Institutorum potestates, obligatio ad studia redigi non potest ad praeviam modo institutionem neque ad titulorum dumtaxat accademicorum aut solius professionalis praeparationis consecutionem. Significatio potius est placatae numquam cupidinis magis ac magis pernoscendi Deum, qui est luminis abyssus atque cuiusvis humanae veritatis fons. Quapropter opus hoc non in cultum mentis abstractum includit personam consecratam neque in orbibus strangulantis cuiusdam narcisismi continet; stimulus contra est ad collocutionem et communicationem, conformatio facultatis iudicandi, ad contemplationem orationemque incitamentum in assidua illa inquisitione Dei eiusque actionis in complicatis hodierni orbis negotiis.

Se a Spiritu transfiguran sinens valet persona consecrata fines angustarum cupiditatum humanarum dilatare eodemque tempore altas rationes cuiusque hominis eiusque historiae percipere, ultra omnes aspectus magis visibiles verum saepius secundarios. Innumerabiles hodie oriuntur provocationes variis ex culturis, quae sunt loca nova et antehac plerumque a consecratis hominibus frequentata quibuscum necesse est frugiferas excolere coniunctionis rationes, animo quidem vigilantis censurae sed etiam confi-

Cfr *Propositio* 36.

dentis curae erga eos qui difficultates operum mentis proprias superare student, praesertim cum, datis aetatis nostrae quaestionibus omnino novis, oportet ad novas analyses et syntheses procedere.[241] Novorum locorum seria et efficiens evangelizatio, in quibus cultus humanus perficitur traditur que, compleri haud potest sine actuosa adiutrici opera laicorum ibidem versantium.

In communicationis socialis provincia praesentes

99. Quemadmodum praeteritis temporibus noverant personae consecratae se omnibus rationibus committere evangelizationis ministerio, ingeniose difficultatem vincentes, ita hodie novo quodam modo eas sollicitat ipsa necessitas Evangelii testificandi per communicationis socialis instrumenta. Iam sumpserunt sibi eadem haec instrumenta potestatem res diffundendi per totum cosmum adhibitis artificiis valentissimis, quibus omnis attingi potest orbis particula. Quotiens maxime sui ex Instituti charismate in hac operantur regione consecrati homines, officio tenentur ut amplam cognitionem sibi adipiscantur sermonis ipsius horum instrumentorum proprii, ut de Christo efficaciter alioqui valeant nostri temporis homines, quorum « gaudium et spes, luctus et angor »[242] ab iis enucleentur, sicque pariter societati aedificandae conducere valeant in qua ad Deum peregrinantes omnes fratres se esse percipiant sororesque.

Vigilandum nihilominus est de errato horum instrumentorum usu propter miram persuadendi potentiam qua utuntur. Decet minime tegere difficultates quae hinc in ipsam defluere possunt consecratam vitam; illuminato potius iudicio necesse est occurratur illis.[243] Ecclesiae responsio est in primis institutoria: illuc enim spectat ut modus rectae intellegentiae virium dynamicarum nec non intenta aestimatio ethica divulgationum foveantur, sicut et acceptio sanarum consuetudinum in iis fruendis.[244] Hoc in educandi opere, quod prudentes receptores communicatoresque peritos conformare debet, invitantur personae consecratae ut suam subiungant propriam testificationemde omnium rerum visibilium relativa indole, dum fratres adiuvant ad

[241] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 5.

[242] *Ibid.,* 1.

[243] Cfr CONGREGATIO PRO INSTITUTIS VITAE CONSECRATAE ET SOCIETATIBUS VITAE APOSTOLICAE, Instr. *La vita fraterna in comunità « Congregava nos in unum Christi amor »* (2 Februarii 1994), 34: Città del Vaticano 1994, pp. 42-43.

[244] Cfr IOANNES PAULUS PP. II, Nuntius ob XXVIII diem communicationis socialis (24 Ianuarii 1994): *L'Osservatore Romano,* 24-25 Ianuarii 1994, p. 4.

eas secundum Dei consilium recte iudicandas pariterque etiam ut liberentur a captatione rapaci spectaculi huius mundi transeuntis (cfr ***1 Cor*** 7, 31).

Omnis conatus hac in regione nova et tanti momenti sustentandus est ut Christi Evangelium etiam per haec recentiora instrumenta resonet. Ad adiutricem suam praestandam operam parata esse oportet varia Instituta viribus opibus hominibus conferendis, ut variis in socialium communicationum provinciis communia impleantur cogit ata., Praeterea consecratae personae, praesertim saecularium Institutorum sodales, suum libentes adiungant ministerium, pro datis pastoralibus occasionibus, etiam ad religiosam formationem eorum qui praesunt et qui utuntur communicationibus socialibus publicis vel privatis, ut ex altera parte damna fugiantur quae vitiatus instrumentorum usus importat, ex altera vero excellentior divulgationum species adiuvetur, nuntia disseminando legem moralem observantia humanisque christianis bonis opulenta.

IV. **COLLOQUIO CUM OMNIBUS STUDENTES**

Christianorum deservientes unitati

100. Ad Patrem directa a Christo ante Passionem precatio ut discipuli discipulaeque in unitate permanerent (cfr ***Io*** 17, 21-23), in Ecclesiae precibus actionibusque etiam nunc perseverat. Quo modo ad vitam consecratam vocati se non implicari sentire possunt? Disiunctionis vulnus quod inter christifideles adhuc exsistit atque ipsa necessitas precandi et operandi ut omnium christianorum unitas propellatur in Synodo maxime notata sunt. Acutus oecumenicus sensus in consecratis hominibus et mulieribus etiam conscientia incenditur apud alias Ecclesias et christianas Communitates ecclesiales servari et florere monachismum, prout in Ecclesiis Orientalibus fit, aut consiliorum evangelicorum professionem renovari, quemadmodum in Anglicana Communione accidit nec non in Reformationis Communitatibus.

Intimum vitae consecratae vinculum cum oecumenismi causa collustravit Synodus nec non prementem necessitatem intentions hac in re testificationis. Si enim oecumenismi anima est precatio atque conversio,[248] nihil dubii est quin vitae consecratae Instituta nec non apostolicae vitae Societates peculiari teneantur officio hoc opus agendi. Postulatur idcirco vehementer

[245] Cfr **IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Encycl.** ***Ut unum sint*** **(25 Maii 1995), 21:** ***AAS*** **87 (1995), 934.**

ut in vita consecratorum ampliora aperiantur spatia oecumenicae precationi atque testimonio vere evangelico, ut Spiritus Sancti virtute moenia divisionum praeiudiciorumque inter christianos dirui possint.

Oecumenici dialogi formae

101. Communiter peracta ***lectio divina*** in veritate quaerenda, participatio precationis communis in qua Dominus se adfuturum esse pollicetur (cfr ***Mt*** 18, 20), amicitiae ac caritatis dialogus quo quis percipit quam iucundum sit fratres habitare in unum (cfr ***Ps*** 133 [132]), benigna hospitalitas fratribus ac sororibus variarum confessionum christianarum praebita, reciproca comprehensio donorum que permutatio, consociata opera in communibus ministerii ac testimonii coeptis, totidem sunt oecumenici dialogi rationes, communi omnium Patri acceptae significationes nec non voluntatis documenta ut simul ad unitatem perfectam procedatur in veritatis atque amoris semita.[246] Historiae quoque ac doctrinae ac liturgiae cognitio, tum etiam operum beneficorum et apostolicorum, inter alios christianos facere non poterit quin actionem oecumenicam usque efficientiorem sustineat.[247]

Confirmare cupimus illa Instituta quae nativam suam ob indolem vel propter subsequentem vocationem se promovendae christianorum unitati dedunt et idcirco incepta studiorum et actionum concretarum pro ea excolunt. Nullum reapse vitae consecratae Institutum sentire debet eximi ab hoc officio adlaborandi se pro unitate. Animum praeterea convertimus Nostrum ad catholicas Orientis Ecclesias, exoptantes ut etiam per monachicum virorum ac mulierum morem, cuius prosperitas gratia est sine intermissione imploranda, ut unitati proficere valeant cum Ecclesiis orthodoxis, per caritatis dialogum et communis spiritalitatis participationem, quod fuit indivisae Ecclesiae primi millennii patrimonium.

Nominatim vero vitae contemplativae domibus committimus oecumenismum spiritalem precationis et cordis conversionis ipsiusque caritatis. Huius rei causa hortamur ut ibi adsint ubi variarum confessionum communitatis christianae inveniuntur ut eorum tota devotio ei quod « unum est necessarium» ***(Lc*** 10, 42), ad Dei cultum et deprecationem pro hominum salute simul etiam ad eorum evangelicae vitae testificationem secundum propria charismata, omnibus incitamentum evadat ut, secundum Trinitatis

[246] **Cfr *ibid.,* 28: *l.m.,* 938-939.**
[247] **Cfr *Propositio* 45.**

imaginem, vivant in illa unitate quam et voluit Christus et pro omnibus suis discipulis a Patre petivit.

Inter religiones dialogus

102. Quandoquidem «ad Ecclesiae evangelizandi munus pertinet dialogus quoque cum religionum ceterarum sodalibus»,[248] recusare non possunt vitae consecratae Instituta quominus in hac pariter provincia suam navent operam, ex proprio quoque charismate et secundum ecclesiasticae auctoritatis iudicia. Prima evangelizationis via quod attinet ad fratres sororesque alterius religionis ipsa erit vitae pauperis humilis castae testificatio quam fraternus in omnes amor pervadit. Simul autem spiritus libertas, quae ad consecratam vitam proprie pertinet, illi « vitae dialogo »[249] favebit in quo principale missionis nec non Evangelii Christi nuntiationis impletur exemplar. Ut mutuae comprehensioni et reciprocae observantiae nec non caritati prosint, poterunt praeterea colere Instituta religiosa ***congruas dialogi formas,*** benevola amicitia compositas et reciprocanti sinceritate, cum monasticis aliarum religionum sedibus.

Aliam cooperationis regionem cum viris ac feminis alterius religiosae traditionis, communis efficit ***de vita humana sollicitudo,*** quae a misericordia ob dolores corporis et animi procedit usque ad industriam pro iustitia, pace et rerum creatarum custodia. His in partibus in primis vitae activae Instituta consensionem quaerent cum sodalibus aliarum religionum, in illo « operum dialogo »[250] quae ad altiorem quandam communicationem aperit viam.

Peculiaris insuper locus actuosae congressionis cum aliarum traditionum religiosarum hominibus est ***conquisitio et provectio dignitatis feminarum.*** In aequalitatis iustaeque vicissitudinis inter virum ac feminam prospectu, beneficium praestans maxime a mulieribus consecratis adferri potest.[251]

Haec aliaque consecratorum hominum officia erga dialogum inter religiones, idoneam poscunt in prima formatione et continuata educatione

[248] IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Encycl. *Redemptoris missio* (7 Decembris 1990), 55: *AAS* 83 (1991), 302.

[249] PONTIFICIUM CONSILIUM PRO DIALOGO INTER RELIGIONES et CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE, Instr. *Dialogo e annuncio. Riflessioni e orientamenti* (19 Maii 1991), 42, a: *AAS* 84 (1992), 428.

[250] *Ibid.*, 42, b: *l.m.*

[251] Cfr *Propositio* 46.

praeparationem, sicut etiam in studiis et investigationibus,[252] quoniam in hac difficiliore regione opus est ampla christianae rei cognitione tum etiam aliarum religionum, quam solida fides spiritalisque et humana maturitas comitantur.

Spiritalitatis responsio sacrum quaerentibus Deumque desiderantibus

103. Quotquot consecratam vitam viri ac mulieres amplectuntur, ex ipsa eorum electionis natura sese praebent praecipuos illius Dei inquisitionis actores quae hominis iam a principio agitât cor eumque ad multiplices ducit ascesis ac spiritalitatis species. Pluribus hodie locis eadem haec inquisitio vehementer se effert tamquam responsionem cultus humani rationibus quae si non semper negant, certissime submovere religiosam vitae rationem volunt.

Congruenter pleneque exsequentes consecratae personae officia libera voluntate in se recepta, valent responsum suorum aequalium hominum aspirationibus reddere, dum eos expediunt a solutionibus maximam partem fallacibus saepeque negantibus salvificam Christi incarnationem (cfr ***1 Io*** 4, 2-3), quales, verbi causa, a sectis religiosis proponuntur. Factitantes suam atque communitatis ascesim, quae totam expurgat et transfigurât vitam, testificantur consecratae personae proprietates verae inquisitionis Dei contra egocentrismi et sensualitatis illecebras, atque admonent ne illa misceatur cum subtili studio sui ipsius nec non cum effugio in gnosim. Obligatur quisque consecratus homo ut interiorem percolat hominem qui ab historia non se subtrahit neque se retrahit in se. In oboedienti Verbi auditione perseverans, cuius custos atque interpres est Ecclesia, consecrata persona in Christo maximopere dilecto atque in ipso Trinitatis Mysterio obiectum indicat altissimi desiderii cordis humani nec non cuiusvis religiosi itineris portum rebus transcendentibus fideliter patens.

Officium idcirco est consecratis personis ut liberaliter receptionem et comitatum spiritalem iis praebeant qui, Dei siti permoti atque cupidi implendi fidei postulata, ad eas se convertunt.[253]

[252] PONTIFICIUM CONSILIUM PRO DIALOGO INTER RELIGIONES et CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE, Instr. *Dialogo e annuncio. Riflessioni e orientamenti* (19 Maii 1991), 42, c: *AAS* 84 (1992), 428.

[253] Cf. *Propositio* 47.

CONCLUSIO

Gratuitatis superabundantia

104. Qui dubii hodie sese interrogant complures sane sunt: « Quorsum consecrata vita? ». Cur hoc amplexandum vitae genus, cum tot interea permanent necessitates in caritatis ipsiusque evangelizationis regione, quibus responderi quidem licet nullis vitae consecratae peculiaribus susceptis officiis? Nonne est consecrata vita fortassis genus quoddam virium humanarum « iacturae » quae secundum efficientiae regulam adhiberi ad bonum quoddam maius possunt in totius hominum generis Ecclesiaeque utilitatem?

Crebrius incidunt hodie haec quaesita, quoniam cultura rebus utilibus favens et technocratica arte valens impellit, quae rerum ac ipsarum personarum momentum ex earum aestimare vult comparatione facta cum subita earum «functione». Ad huiusmodi interrogationes semper fuerunt, quemadmodum evangelicus unctionis Bethaniae eventus eloquenter commonstrat: «Maria ergo accepit libram unguenti nardi puri, pretiosi, et unxit pedes Iesu et extersit capillis suis pedes eius; domus autem impleta est ex odore unguenti» ***(Io*** 12, 3). Iudae autem qui pauperum necessitates praetendens de tanta conquerebatur iactura respondit Iesus: « Sine illam » ***(Io*** 12, 7).

Haec semper valet responsio quaestioni, quam bona quidem fide tot homines sibimet ponunt de vitae consecratae commoditate: « Nonne vita propria collocari efficientius et rationabilius posset in societatis efficientis progressibus? ». Ecce Iesus respondet: « Sine illam ».

Cui inaestimabile munus est tributum Dominum Iesum proprius sequendi, manifestum elucet posse Illum ac debere indiviso corde amari Eique omnem devoveri posse vitam, non quosdam dumtaxat actus vel momenta quaedam vel aliqua opera. Pretiosum effusum unguentum tamquam purus amoris actus proindeque ultra omnem « utilitatis » aestimationem indicium ***superabundantiae gratuitatis*** est, prout in vita exprimitur quae ideo ducitur ut Dominus diligatur Eique serviatur et ut quis eius dedicetur personae et eius Mystico Corpori. Verumtamen ex hac vita sine parsimonia « profusa » odor dimittitur quo universa repletur domus. Domus Dei, Ecclesia nempe, hodie haud minus quam heri exornatur et vitae consecratae praesentia ditatur.

Id quod intuentibus hominibus videri potest tamquam iactura, personae Domini pulchritudine ac bonitate intus in animo correptae manifesta amoris responsio est, gratiarum actio exsultans quia peculiari prorsus modo ad-

missa est ad Filii congnitionem eiusque divini in orbe muneris communionem.

« Si cognoscet aliqui Dei filius percipietque amorem divinum et Deum increatum, Deum incarnatum, Deum passum, qui summum est bonum, Ei omnia dabit seque subtrahet non ceteris tantum creaturis immo vero etiam sibi ipsi, et sua cum omni persona hunc Deum amoris amabit ut se totum in Deum-hominem transformet qui supremus est Amatus ».[254]

Consecrata vita Dei Regno famulans

105. « Quid esset de mundo si religiosi ibidem non essent? ».[255] Extra omnes leves functionum aestimationes, in eo habet vita consecrata pondus quod ipsa est ***gratuitatis atque amoris abundantia,*** eoque magis inter homines cum periculum est ne voragine rerum transeuntium suffocentur. « Hoc quidem dempto signo visu manifesto, periculum est ne ipsa caritas, qua Ecclesia universa vegetatur, frigescat, mirabilis ille vulgarique opinioni contrarius nuntius salvificus Evangelii hebescat, "sal" fidei in mundo evanescat, qui hac aetate ad saeculares accedit condiciones ».[256] Indigent Ecclesiae vita et ipsa hominum societas iis hominibus qui totos se Deo devovere valeant et aliis hominibus ex Dei amore.

Nullo prorsus modo Ecclesiae renuntiare licet consecratae vitae, cum ***magna eloquentia intimam eius « sponsalem » essentiam aperiat.*** Ibi enim impetum novum vimque invenit Evangelii nuntiatio omnibus hominibus. Opus namque est iis qui paternam Dei faciem demonstrent maternumque Ecclesiae vultum, qui suam vitam exponant ut alii vitam habeant et spem. Eget consecratorum hominum Ecclesia qui antequam sese obligent ad unius alteriusve nobilis causae curam, gratia Dei se transfigurari patiantur atque Evangelio funditus se conforment.

Suis reperit in manibus Ecclesia hoc praestans donum atque gratissimo animo se vovet ut aestimatione et precatione illud promoveat nec non ut idem aperta cohortatione recipiatur. Multum quidem interest ut episcopi presbyteri diaconi, qui sibi de evangelica huius generis vitae praestantia persuaserunt, operam dent ut detegant ac foveant praedicatione et discretione nec non prudenti auxilio spiritali vocationum germina. Ab universis praeterea christifidelibus constans poscitur precatio pro consecratis personis, ut eorum ardor ac facultas amandi usque augescant unde conducatur

[254] **B. ANGELA A FULGINIA,** ***Liber Beatae Angelae a Fulginia,*** **Grottaferrata 1985, p. 683.**

[255] **S. TERESIA A IESU,** ***Libro de la Vida,*** **c. 32, 11.**

[256] **PAULUS PP. VI, Adhort. Ap.** ***Evangelica testificatio*** **(29 Iunii 1971), 3:** ***AAS*** **63 (1971), 498.**

bono Christi odore (cfr ***2 Cor*** 2, 15) intra hodiernam societatem disseminando. Omnis tandem christiana communitas — pastores, laici, personae consecratae — vitae consecratae officium gerit tum etiam receptionis et sustentationis novis vocationibus oblatae.[257]

Adulescentibus

106. Vobis, adulescentes, dicimus: Si Domini animadvertitis vocationem, ne eam repudiaveritis! Fortiter potius inseritote vos in sanctimoniae motus, quos sancti sanctaeque illustres ad Christi sequelam patefecerunt. Magna aetatis vestrae desideria excolite, verum alacriter etiam Dei consilio de vobis adhaerescite, si quidem vos Ille invitat ut in consecrata vita sanctitatem quaeratis. Omnia Dei opera in orbe admiramini, at oculos in res potius dirigere noveritis quae numquam sunt interiturae.

Beneficium fidei atque industriae multitudinum iuvenum consecratorum exspectat tertium millennium, quo tranquillior reddatur hominum orbis atque aptior ad Deum recipiendum et in Illo cunctos eius filios ac filias.

Familiis

107. Ad vos Nos convertimus, christianae domus. Gratias Domino, parentes, habetote si ad consecratam vitam aliquem vestrum filium filiam ve vocavit. Censendum est, sicut et semper fuit, decus magnum si domum aliquam respexit Dominus indeque quendam eius sodalem elegit, ut eum moveat ad vitam consiliorum evangelicorum ineundam! Voluntatem fovete Domino aliquem vestrorum liberorum donandi, ut inde Dei Amor inter homines crescat. Quis coniugalis amoris fructus hoc ipso pulchrior esse poterit?

Recordari oportet si parentes ipsi bona evangelica vivendo non impleant, adulescentes et adulescentulas difficulter percipere vocationem posse, perspicere sacrificiorum necessitatem ferendorum, pulchritudinem metae attingendae concipere. Accidit enim in familiis ut primum bonorum evangelicorum experimentum iuvenes faciant tum etiam illius amoris qui Deo sese dicat ac ceteris. Pariter necesse est ad responsalem suae libertatis usum instituantur ut possint parati esse ad altissimas vivendas spiritales veritates suam secundum vocationem.

Vos obsecramus, christianae domus, ut per precationem vitamque sacramentalem Domino coniunctae, sedes sitis vocationibus suscipiendis idoneae.

Cfr *Propositio* 48.

Bonae voluntatis viris ac feminis

108. Omnibus viris et mulieribus, qui vocem Nostram audire voluerint, hanc protendere volumus invitationem ut vias ad Deum vivum verumque ducentes etiam in curriculis signatis vita consecrata inquirant. Hoc testificantur personae consecratae: « Quicumque Christum sequitur, Hominem perfectum, et ipse magis homo fit ».[258] Quot ex iis inclinatae sunt perguntque se inclinare veluti boni Samaritani in fratrum ac sororum innumerabilia vulnera quos sua offendunt in via!

Has respicite a Christo arreptas personas quae in ipsa sui dominatione, quam gratia et Dei amor sustentant, remedium demonstrant contra possidendi cupidinem ac fruendi et dominandi. Nolite oblivisci charismatum quae mirabiles « Dei inquisitores » conformaverunt ac hominum benefactores, quae certas straverunt vias iis qui animo sincero Deum quaerunt. Multitudinem intuemini sanctorum hoc genere vitae maturatorum, ponderate beneficia heri hodieque hominibus ab illis adlata qui Deo se dedicaverunt! Nonne egeat orbis hic noster laetis testibus ac prophetis beneiicae Dei amoris potentiae? Nonne etiam virorum feminarum que indiget mundus qui vita sua atque industria serere pacis ac fraternitatis semina noverunt?[259]

Consecratis personis

109. Vobis autem in primis, viri ac feminae consecrati, finem facientes Exhortationis huius Nostrae fidentes Nostram intendimus vocem: penitus vestram exsequimini Deo factam devotionem, ne huic mundo divinae venustatis deficiat radius unde humanae exsistentiae collustratur via. Christiani, in opera huius mundi et curas inserti, sed ad sanctitatem et ipsi vocati, in vobis deprehendere debent purificata corda quae per fidem Deum « vident » dociles nempe homines Spiritus Sancti impulsui qui expedite progrediuntur charismati fideles vocationis ac missionis.

Suscepisse vos probe novistis continuae conversionis iter, deditionis unicae Dei amori ac fratrum, ut gratiam clarius usque testificemini qua christiana commutetur vita. Veros Christi testes mundus quaerit atque Ecclesia. Consecrata autem vita donum est quod Deus profert ut ante omnium oculos « unum necessarium » ***(Lc*** 10, 42) constituatur. Testimonium vita

Sui ipsius oblita, solum vixit pro Deo et proximo atque, inter spinas doloris, pulcherrimas ac fragrantissimas coluit christianas virtutes. Fides lux fuit eius cogitationum, eius affectuum, eius verborum atque morum. Iesum Christum firmiter credidit, Evangelium, veritates revelatas et Ecclesiae magisterium. Divina mandata perfecte servavit, prompte Dei voluntate oboedivit instrumentumque fuit docile in manibus eius, arduo munere functa sibi pro bono humani generis concredito. Mersa est in contemplatione magnorum fidei mysteriorum atque in deprecatione, peculiaremque nutrivit pietatem in Sanctissimam Trinitatem, in Eucharistiam necnon in Virginem Mariam. Unum facta est cum Christo cruci affixo, adeo ut affirmaret: «Non ego patior, Iesus patitur in me»; cumque sancto Paulo de se dicere poterat: « Christo confixa sum cruci; vivo autem, iam non ego, vivit vero in me Christus » ***(Gal*** 2, 20), atque addere: «Adimpleo ea quae desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia» ***(Col*** 1, 24). Cor eius flagrabat amore Dei necnon amore Ecclesiae et animarum. Scripsit: «Iesum in tenebris amabo, amabo in indignitatibus, in doloribus inque animae agoniis; laetanter eum amabo, nitens per omnia eius facere voluntatem ». Simul affirmabat se paratam esse ad patiendum usque ad mundi finem pro peccatorum salute. In sui sepulcri lapide voluit haec inscribí verba, quae eius apostolatum complectuntur: « Peccatores, si corporis mei cineres vobis prodesse possunt ad salutem, appropinquate, supergredimini eos, proterite donec exstinguantur, sed nolite amplius peccare, ne amplius Iesum nostrum offenderitis! Peccatores, multa vobis velim dicere! Hoc coemeterium non sufficiat ad illa scribenda! Convertimini! Iesum ne offenderitis, nolite eum in aeternitatem perdere! Tam bonus is est! Peccatorum iam satis! Amate eum! Amate eum! ». Non minor fuit eius caritas erga matrem atque sororem Deolindam, quae ei benigne assederunt, erga pauperes, aegrotos, Purgatorii animas; quique illi maerorum causa fuerunt, statim eius veniam atque benevolentiam habuerunt. Sincere humilis, se coram Deo

nihil esse putabat et quavis coram hominibus indignam opinione; laudes vitabat et laetabatur spreta. A mundi rebus aliena, cum laetitia temperantiam coluit ac paupertatem, atque in Deo et in Providentia spem suam collocavit continuoque praemium appetivit aeternum, quod se consecuturam esse putabat non suis meritis, sed Christi. Liberam se servavit puramque ab omni inordinato affectu perfecteque observavit castitatem, non levibus superatis temptationibus. Omnibus in casibus supernaturali cum prudentia locuta est et egit. Iusta fuit erga Deum et proximos; in oboedientia superioribus ecclesiasticis fortis fuit, in doloribus corporis et animi, in fidelitate erga munus suum inque cotidiana voluntatis Dei exsecutione. Etiam morte appropinquante, cum dolores ad summum pervenerunt, cum fortitudine ac generositate in sui vitaeque suae devotione perseveravit. Sereno cum animo iter instituit ad aeternitatem, obmurmurans: « Felix sum, quia eo in caelum ». Sacramentis confirmata, suam conclusit viam crucis lucernaque cum accensa domum Dei introivit die 13 mensis Octobris anno 1955.

Populus, qui eam sanctam habebat, affirmavit: « Est pauperum mater mortua, miserorum auxilium; abscessit consolatrix afflictorum ». Multitudo immensa eius corpus visitavit exsequiisque interfuit. Anno 1975 corpus eius est ad ecclesiam paroecialem translatum loci Balasar, ubi etiamnunc quiescit, a fidelibus, qui plurimi eius invocant precationem, veneratum.

Famae sanctitatis magnitudine ac soliditate agnita, qua Serva Dei claruit in vita, in morte et post mortem, Archiepiscopus Bracarensis initium fecit Causae beatificationis et canonizationis per celebratum processum ordinarium informativum (annis 1967-1973), cuius auctoritas et vis probata est a Congregatione de Causis Sanctorum decreto die 16 mensis Novembris promulgato anno 1990. Perfecta Positionis praeparatione, disceptatum est an Alexandrina heroum more virtutes exercuisset. Die 23 mensis Maii anno 1995, felici cum exitu, actus est Consultorum ^Theologorum Congressus Peculiaris. Deinde Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria diei 7 mensis Novembris eiusdem anni, Causae Ponente Exc.mo Domino Ottorino Petro Alberti, Archiepiscopo Calaritano, professi sunt Servam Dei Alexandrinam Mariam da Costa heroum in modum virtutes théologales, cardinales iisque adnexas observavisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Alexandrinae Mariae da Costa, Virginis saecularis, Sodalis Associationis Cooperatorum S.D.B., in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 12 mensis Ianuarii A. D. 1996.

ffi Albertus Bovone
archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. ffiS.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

II

GRAECEN. - SECCOVIEN.

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae Clarae Fietz, Sororis professae Congregationis Sororum Scholarum Graecensium III Ordinis S. Francisci (1905-1937)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Hoc vere persuasum est mihi: non metam adeptam magni esse momenti, sed cupiditatem; non invenire, sed quaerere. Te solum, Domine, quaeram! ... Te semper quaeram, te solum appetam, nitens te consequi; hoc requiro, ut maximum veluti donum Te, Domine, accipiam ».

Hoc in suo scripsit memoriali libello Serva Dei Maria Clara Fietz, Soror professa Congregationis Sororum Scholarum Graecensium Tertii Ordinis Sancti Francisci Asisinatis. Hicque fuit constans habitus theologalis eius brevis sed impensae vitae terrenae: studiosa Dei quaesitio atque continuum ad plenam cum Amore familiaritatem iter.

In Silesiae Austriacae viculo orta, nempe Nieder-Lindewiese, postridie nonas Ianuarias anno 1905, insequenti die 10 Ianuarii est baptizata, nomi-

nibus sumptis Rosa Maria. A piis parentibus Adolfo Fietz et Iosepha Kirchner, humilibus artificibus et filiorum suorum sapientibus educatoribus, instructa, atque actuosa participatione vitae Communitatis paroecialis, Rosa Maria est ad constans virtutum christianarum exercitium directa. Die 21 mensis Iulii anno 1916, in paroeciali ecclesia pagi Lindewiese, donum accepit Spiritus Sancti in sacramento Confirmationis.

Mira intellegentia praedita fortique voluntate, ludum frequentavit optimis cum fructibus. Idcirco mater eius, quamvis inops erat familia, voluit eam studia pergere apud Sorores Ursulinas loci Freiwaldau.

Deinde, Iesu Christi amore illecta, nulla interposita mora statuit Congregationem ingredi Sororum Scholarum Graecensium III Ordinis Sancti Francisci, inter quas recepta est mense Septembri anno 1919.

Postulans etiam Superiorum permissu Ludum Magistralem frequentavit et anno 1922, optimis cum exitibus, est facultatem adepta in ludis docendi.

Die 30 mensis Augusti anno 1923 vestem religiosam induit et novitiatum incepit nomine sumpto Sorore Maria Clara. Facta subsequenti anno professione temporanea, statim suam incepit magistrae navitatem in ludis, collegarum merens existimationem atque alumnorum affectum. Studia superiora frequentavit apud Universitatem Graecensem et anno 1932 est lauream adepta in philosophia, quaestione disceptata, quam cuncta commissio indagatrix laude dignam iudicavit. Postea toto tempore se tradidit institutioni atque educationi puellarum in lyceo ad scientias pertinente suae Congregationis, altas ostendens dotes paedagogicas atque institutorias necnon singularem voluntatem se dedendi, amabilitatem et patientiam in suas discipulas. Schola peculiaris fuit campus eius apostolatus, quandoquidem praesertim exemplo vitae suae docuit suumque culturae et Domini, « fontis sapientiae », amorem cum aliis communicavit. Simul summa cum alacritate, perseverantia gaudioque spiritali suam coluit consecrationem et cotidie nisa est progredi in cognitione et imitatione Christi, maximi perfectionis exemplaris. Fide illustrata, spe sustenta et caritate infiammata cum Deo ambulavit perfecteque eius fecit voluntatem tum in ordinariis tum in extraordinariis vitae circumstantiis. Ut in familiaritate cresceret cum Domino, bono suo summo, pie Missae intererat, peculiarem nutrivit pietatem erga Eucharistiam et Virginem Mariam, diu precabatur, se abnegavit, peccatum fugit, cum vitiis contendit, castigationem sui exercuit atque paenitentiam, diligenter Regulam ac vota religiosa observavit omniaque negotia et opera in divini Sponsi laudem mutavit, quem tota mente, toto corde, totisque viri-

bus dilexit. Scripsit: «Tam sum audax, ut semper Deum rursus deprecer quo suum det Cor mihi, ut illud sicut meretur amem. Amore divino cupio absorben »; et addidit: « Deus mi, tu me in hortum amoris tui introduxisti, et nunc anima mea sitit omnino dissolvi in te ». Domini amore crescente, crescebat simul cupiditas se iungendi artius cruci eius ac vehementius illius communicandi passionem; idcirco statuit: «Debeo continentiam colere, quia omni, quem accipio, dolore Amatum meum in cruce possum consolari ». Ideo suam accepit parvitatem atque paupertatem, suam semper voluntatem renuntiavit, non observata et neglecta voluit esse mundi et sororum sodalium oculis atque, cum sancto Ioanne Baptista, affirmabat: « Illum oportet crescere, me autem minui » ***(Io*** 3, 30). Ardentissima cupido se totam immolandi pro gloria Dei proque animarum salute non est decepta. Doloribus ac paenitentiis libere cotidie electis addita est phthisis interanea, quam plures annos Serva Dei tacita et in occultatione tulit, ex more sua munia explens ac si commoda uteretur valetudine. Propter Dei amorem parata erat ad vitam pro proximis devovendam: « Si possem animam salvare — scripsit — inferni poenas sustinendo, tunc minime haesitarem ». Sollicita fuit et officiosa in alumnas earumque parentes, in sorores sodales, praecipue in aegrotas ac maerentes. In communitate humillima explicabat munia cum simplicitate, mutuam fovebat concordiam semperque amica esse et serva omnium parata erat: idque cum humilitate et patientia faciebat, vitans ne in conspectum se daret neque laudes honoresque excitaret. Constans fuit in labore, fortis ac patiens in difficultatibus inque diuturno morbo, gravis et aequabilis, casta in loquendo et in agendo, in victu temperans et in potu, pauper in terrestrium bonorum usu, Ecclesiae oboediens, superioribus et Regulae praeceptis vel minimis, erga Deum et proximum iusta.

Ineunte anno 1935 eius valetudo, phthisi debilitata, est in deterius versa. Sectionem est passa, ex qua apparuerunt natura et gravitas eius mali, iam insanabilis. Deinde meliuscule illi fuit, indeque potuit institutionem consuetaque opera redintegrare. Sed cum in peiorem partem esset versa et mutata, est in Domum Principem Eggenbergensem translata, ubi salubrior erat aër. Brevitatis dierum suorum conscia, scripsit: « Parvam victimam suam Dominus consumit. Et haec est mea maxima felicitas ». Ad exitum usque, « parva stulta », sicut gratum erat ei se ipsam definire, plene vixit ex « crucis stultitia », quae est « sapientia et virtus Dei » ***(1 Cor*** 1, 24), per amorem et dolorem sanctitatis culmen adipiscens. A terra alienata, aeternum est praemium consecuta, ad quod semper tetenderat, die 15 mensis Iunii anno 1937.

Eius eminentium virtutum exemplum semper vivum mansit apud Congregationem Sororum Scholarum Graecensium III Ordinis S. Francisci, apud discipulas scholarum, in quibus docuerat, et apud populum Dei. Perdurante fama sanctitatis, Episcopus Graecensis-Seccoviensis Causam iniit beatificationis et canonizationis per processus ordinarii informativi celebrationem (annis 1944-1953), cui additi sunt aliquot processus rogatoriales. Anno 1980 Congregatio de Causis Sanctorum decretum promulgavit super recognitione scriptorum et calendis Octobribus anno 1993 decretum de auctoritate eorundem processuum. Positione praeparata, disceptatum est an Serva Dei virtutes exercuisset heroum in modum. Die 5 mensis Maii anno 1995, felici cum exitu, actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Deinde Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria diei 3 mensis Octobris subsequentis, Causae Ponente Exc.mo Domino Petro Georgio Silvano Nesti, C. P., Archiepiscopo Camerinensi-Sancti Severini in Piceno, professi sunt Sororem Mariam Claram Fietz heroum more virtutes servavisse théologales, cardinales et his adnexas.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum consçriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Clarae Fietz, Sororis professae Congregationis Sororum Scholarum Graecensium III Ordinis S. Francisci, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 12 mensis Ianuarii A. D. 1996.

£8 Albertus Bovone
archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. ©S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

III

TAURINEN.

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Florae Manfrinati, Virginis, Fundatricis Operae v. d. « di Nostra Signora Universale » (1906-1954)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Praecepto caritatis, quod est maximum mandatum Domini, omnes Christifideles urgentur ad procurandam gloriam Dei per adventum regni eius, et vitam aeternam omnibus hominibus ut cognoscant solum Deum verum et quem misit Iesum Christum » (CONC. OECUM. VAT. II, Decretum de apostolatu laicorum *Apostolicam actuositatem,* 3).

Domini Iesu flagrans amore, Flora Manfrinati cum humilitate et alacritate crucis ac sanctitatis viam percurrit et cotidie pro regno atque gloria Dei simulque pro animarum salute vitam impendit, quibus virtutum suarum exemplo suoque multiplici necnon impenso apostolatu servivit.

Mulier haec simplex et studiosa a Carolo Manfrinati et Elvira Piacentini orta est in paroecia oppidi Tresigallo, intra fines positi archidioecesis Ferrariensis, postridie nonas Iulias anno 1906, et paucos post dies baptismi sacramentum accepit. Circiter tres annos nata, est gravissimis ustionibus contusa, quae ei atroces pepererunt dolores et perpetuas corporis imminutiones eamque impediverunt quominus scholam frequentaret, consuetas haberet sociales consuetudines amicitiasque cum aequalibus coniungeret. Suam infelicem doloris ac solitudinis condicionem forti animo accepit atque serenitate, in deprecatione et in arta cum Domino coniunctione, qui eius fuit comes et amor in vita, invento solacio. Anno 1912 ei collatum est Confirmationis sacramentum et postea cum gaudio primum se aluit Pane eucharistico. Post aliquod tempus ariditatis spiritalis, ob quam multum est passa, pacem interiorem obtinuit a Domino ac multorum purulentorum vulnerum glutinationem quibus laborabat, sed dolor permansit sicut antea, siquidem donum petiverat « patiendi nullo allato dolore ». Sedecim annorum in domum avunculi sacerdotis tamquam famula commigravit Costam Rodigiensem; deinde ad suam se contulit familiam, quae Testonae apud Montem Calerium, in archidioecesi Taurinensi situm, domicilium collocaverat. Ibi se inseruit actuose in Actionem Catholicam et cum cura peritiaque se dedidit

pusis ac puellis educandis et peccatorum conversioni, fructus consequens copiosos. Pietatem fovit in Eucharistiam atque ludum puerilem condendum Palerae, ubi coetum quoque puellarum instituit quas «Apostólas Sanctissimae Trinitatis » vocavit; tamquam ministra infirmorum interfuit peregrinationibus Lapurdum et Lauretum; aegrotos visitabat et senes atque fecundum explicavit apostolatum etiam inter « agrestes matres familias ». Confessarii sui, P. Iacobi Fissore, consilium secuta, facta est humilis, habilis atque indefatigabilis adiutrix Sororum Missionariarum a Consolata in administratione collegii-oratorii Sancti Michaelis Taurinensis, ubi domicilium collocavit splendidumque perhibuit testimonium sollicitudinis de rebus Dei deque proximi bono. Eius industria pro eodem oratorio peculiariter utilis fuit et benefica altero bello totius orbis terrarum, cum Opus servavit ab exitio illudque reiecit et confirmavit post calamitosam pyrobolorum coniectionem. Una cum Lina Prosa deinceps aliisque iuvenibus mulieribus accepit « Domum Operum Religiosorum » dirigendam, Ordini Fratrum Minorum obnoxiam, quae humanam religiosamque educationem curabat puellarum pauperum et convictum, scholam maternam, ludum puerilem atque orphanotrophium comprehendebat. Serva Dei, valetudinis, culturae et opum expers, non autem intellegentiae, roboris, voluntatis, facultatum ordinativarum et in primis fiduciae Providentiae fervorisque apostolici, egregie est munere suo iuncta. Cum sapientia et prudentia formationi consuluit adiutricum, quas appellavit « Educatrices Apostólas » et, non paucis superatis difficultatibus, novam speciem ac novam vitam dedit Domui, eius sanavit condicionem oeconomicam, quaedam de eius propositis et navitate notabiliter immutavit atque campum apostolatus servitiique socialis amplificavit. Ita, ex corde et laboribus Florae novum et florens ortum est Institutum, quod ipsa denominavit « Opera Dominae Nostrae Universalis » quaeque anno 1962 ab Archiepiscopo Taurinensi erecta est in Piam Unionem. Quamvis Operae conditrix esset, lapis angularis et fautrix, Serva Dei, ut solebat, per omnia nitebatur ne attentionem et laudem mundi suscitaret; e contrario occupationem quaerebat, fugiebat laudes, libenter in humilia incumbebat munia feliciumque eventuum meritum gratiae divinae tribuebat et aliis. Moriens affirmavit: « Haec est vocatio mea: in umbra laborare »; et etiam cum reprehendebatur, offendebatur et despiciebatur, perfectam ostendebat sui moderationem magnamque interiorem et exteriorem pacem et laeta dicebat: « Sic Sponso meo, Iesu crucifixo, similis sum ». Cum fortitudine, patientia et mira tranquillitate corporis infirmitates et animi aegritudines tulit, ingrati-

tudines, exprobrationes et impedimenta, quibus ubique quodammodo occurrit in apostolatu. Pro certo habens « scalas sanctitatis ex contradictionibus constare, inclementiis et sacrificiis », cum docilitate et amore suas amplexa est cruces et sine mora, sine pigritia progressa est in viam perfectionis christianae, diligenter voluntatem Dei faciens, diffundens Christi odorem et se pro animarum sanctificatione impendens. Vixit, locuta est et egit semper in lumine fidei, spei atque caritatis. Cum -cordis simplicitate et mentis plene est divinae revelationi et magisterio Ecclesiae assensa et alacriter profecit in cognitione inque amore Christi, qui illi donavit scientiam Dei eamque donis spiritalibus gratiisque peculiaribus replevit. Coniunctionem cum Domino coluit per oboedientiam Evangelio, peccati fugam, sedulam munerum cotidianorum effectionem, ferventem pietatem erga Sanctissimam Trinitatem et Eucharistiam, ex qua vim interiorem hauriebat et inenarrabiles consolationes. Tenerum filialemque nutrivit amorem in Virginem Mariam, quam dominam suam vocabat et matrem universalem. Propter Dei amorem, proximum dilexit eique servivit cum perseverantia, generositate et neglegentia sui, opera faciens misericordiae spiritalis et corporalis. Multimodis parentes adiuvit, puerulos et puellas egenas, aegrotos, pauperes, peccatores, sacerdotes, sorores, familias in difficultatibus versantes et plura Instituta religiosa, et omnibus se ipsam dedit, nullam petens remunerationem. A rebus terrestribus aliena, spem suam in Deo collocavit thesaurumque in caelis cumulavit, quos omnibus suis viribus cupiebat. Omnibus in casibus fulsit etiam prudentia in propria alienaque sanctificatione et in operibus apostolatus; eximie iustitiam coluit erga Deum et proximum inque bonorum usu temperantiam. Indole praedita erat forti et imperiosa, sed tamen semper se docilem ostendit, obsequentem et oboedientem, motuum suorum compotem. Casta fuit in verbis, in sensibus et in actibus atque Dominum dilexit corde indiviso. Crux doloris, quae eam numquam reliquerat, gravior facta est ultimis vitae eius annis, sed Serva Dei perrexit munera sua exsequi solita cum generositate, laeta se usque ad finem consumere pro Dei gloria et Ecclesiae bono. Laboriosum suum terrenum iter conclusit die 12 mensis Martii anno 1954, fama sanctitatis insignis.

Beatificationis et canonizationis Causa inita est apud Curiam Taurinensem per celebrationem processus ordinarii informativi (annis 1960-1978), cuius auctoritas probata est a Congregatione de Causis Sanctorum pridie nonas Octobres anno 1989. Positione confecta, disceptatum est an Serva Dei heroum more virtutes exercuisset. Die 3 mensis Martii anno

1995, prospero cum exitu, actus est Consultorum Theologorum Peculiaris Congressus. Patres Cardinales deinde et Episcopi, in Sessione Ordinaria diei 3 secuti mensis Octobris, Causae Ponente Exc.mo Domino Ottorino Petro Alberti, Archiepiscopo Calaritano, agnoverunt Floram Manfrinati heroum in modum coluisse virtutes théologales, cardinales et his adnexas.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Florae Manfrinati, Virginis, Fundatricis Operae v. d. « di Nostra Signora Universale », in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 12 mensis Ianuarii A. D. 1996.

ffi Albertus Bovone
archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. ©S.

8B Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

IV

VICTORIEN, seu SANCTI SEBASTIANI

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Ioannis Vincentii a Iesu Maria (in saec.: Ioannis Vincentii Zengotitabengoa Lasuen), Sacerdotis professi Ordinis Carmelitarum Discalceatorum (1862-1943)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Cuiuslibet instituti sodales, Deum prae omnibus et unice quaerentes, contemplationem, qua Ei mente et corde adhaereant, cum amore apostolico, quo operi Redemptionis adsociari Regnumque Dei dilatare nitantur, coniungant oportet » (CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae caritatis,* 5).

In suam vocationem fidelis, Servus Dei Ioannes Vincentius a Iesu Maria alacriter ad sanctitatem ambulavit, magno cum fervore ac perseverantia vitam interiorem, Regulae observantiam et apostolicam coleus industriam. Hoc agens modo, dignus hic Sanctae Teresiae a Iesu filius contemplationem cum ardore laboribusque pro animarum salute perfecte coniunxit, quibus cum caritate, humilitate et intellegentia usque ad finem dierum suorum servivit.

Servus Dei ortus est in oppido Bérriz, tunc in dioecesi Victoriensi posito, nunc vero in Flaviobrigensi, die **19** mensis Iulii anno **1862,** a Francisco Zengotitabengoa et Dominica Petra de Lasuen, qui eum secundum legem Dei atque Ecclesiae educaverunt et in eius animo ignem incenderunt pro deprecatione, pro pauperibus proque labore. Eius humanae et christianae formationi contulerunt etiam parochus **j** Sorores Mercedariae et ludi magister, quem parvus Ioannes Vincentius sedulo frequentabat. Quindecim annos natus vocem Dei sequi statuit et Ordinem Fratrum Discalceatorum B. Mariae V. de Monte Carmelo ingredi. Novitiatu confecto, in oppido Larrea professionem simplicem fecit die **10** mensis Decembris anno **1878** et post tres annos professionem sollemnem in conventu loci Marquinae, sede propulsoria navitatis missionalis Ordinis. In eodem conventu laudabiliter in studia theologica incubuit et munus explevit praeceptoris ante et post ordinationem sacerdotalem, quam accepit die **21** mensis Martii anno **1885.** Deinceps professor fuit et prior in conventu Valentino (annis 1877-1889), prior Burgis (annis 1889-1894), magister professorum et praeceptor Marqui-

nae (annis 1894-1897). Tamquam definitur provincialis iussus est conventum eremiticum condere, qui in urbe Herrera est apertus anno 1897, cuius Servus Dei fuit aliquot menses vicarius; dein iterum prior fuit Burgis (annis 1897-1900). Varia munera est exsecutus cum diligentia, prudentia et alacritate, magnum ostendens amorem in Ordinem suum et in suos fratres sodales, quos auctoritate et magis etiam exemplo vitae suae ad exercitium virtutum duxit atque ad Regulae observantiam diligentem. Industrius fuit etiam extra muros domorum in quibus morabatur; namque interfuit actioni pastorali dioecesanae, pietatem carmelitanam propagavit et religionem erga Virginem Carmeli; moderationi spiritali se dedidit et peculiari cum vi, peritia atque efficacia verbum Dei praedicavit, doctrinam socialem Ecclesiae defendit, unitatem politicam catholicorum fovit et bonos libros edendos curavit. Interim fortius usque in corde suo resonare animadvertit Christi mandatum Apostolis iniunctum: « Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae » ***(Me*** 16, 15). Cogitavit, precatus est, consilium petivit et denique a superioribus postulavit ut sibi liceret navitati missionali omnino se consecrare, potissimum in locis, ubi maiores essent martyrii possibilitates. Ad missiones Indiae destinatus, anno 1900, Hispania relicta, ad archidioecesim Verapolitanam pervenit, in qua multiplicem et enixum explicavit apostolatum, viribus non parcens nec tempori, pro bono illius Ecclesiae particularis, illarum gentium et sui Ordinis religiosi. Principio ei commissa est provincia Kottayamensis, postea procurator fuit missionis, rector orphanotrophii et scholae, in qua artes quaestuosae docebantur, Ernakulamensis, parochus et vicarius foraneus Verapolitanus, Chathiathanus et denuo Verapolitanus, provicarius provincialis et consiliarius Vicariatus, conditor conventus Carmelitani Ernakulamensis, rector aedis scholasticorum internorum eiusdem urbis. Ut facilem redderet iuvenibus missionariis linguae loci cognitionem, anno 1904 edidit grammaticam latinam-malabaricam; eodem anno instituit commentarium « Promptuarium canonico-liturgicum seu Ephemerides Ecclesiastica mensualis ». Ultimum tempus mansionis in India in conventu egit Ernakulamensi, graves animo forti ac patienti dolores ferens morales. In Hispaniam reversus anno 1917, condidit conventum Lucroniensem, cuius factus est superior; nominatus est zelator missionum Carmelitanarum, quod munus sustinuit usque ad annum 1935 summa cum cura, constanti fervore et multis inceptis, in quibus memoramus nunc tantummodo constitutionem Chororum Marianorum et commentarii « La Obra Máxima », participationem congressionum missionalium, acroases, multa

scripta, praedicationem, itinera in Hispania et in America animationis missionalis causa, translationem officii in sedes aptiores, primum Pampilonem, deinde Sanctum Sebastianum. Ubi potuit, amoris ignem accendit erga ecclesiam missionariam et efficaciter fovit evangelizationis mundi cooperationem. Anno 1919-1920 est cum prudentia munere functus visitatoris provincialis Missionis Verapolitanae; ab anno 1921 ad annum 1927 fuit definitur provincialis et anno 1930, iussu Antistitis Generalis, visitationem canonicam explevit communitatis Sancti Sebastiani. Eodem illo anno, exemplum secutus Sanctae Teresiae a Iesu Infante, victimam se Amori Misericordi devovit. Cum, anno 1935, hemiplexia eum obstrinxit navitatem apostolicam externam relinquere, servire missionibus easque adiuvare non desiit, suos dolores suasque preces Domino offerendo pro non christianorum conversione. Christi cruci iunctus, perrexit in via perfectionis progredi atque cotidie suam testificari in Deum et in suam consecrationem fidelitatem. Silentio eminuit, animo intensissimo ad deprecationem et meditationem atque oboedientia fratri sodali infirmorum ministro, quem ei superiores assignaverant. Meritis ornatus, mortem obiit pie in conventu Sancti Sebastiani die 27 mensis Februarii anno 1943.

In vita, in morte et post mortem magna et solida sanctitatis fama claruit tum in Ordine suo tum apud clerum et populum. Qui enim cum eo rationem habuerunt vivo, verum hominem Dei perfectumque Carmelitanum in illo viderunt et illecebram senserunt eminentium eius virtutum, diligenter, alacriter, perseveranter et spiritali cum gaudio cultarum. Fide fulsit, spe et caritate, quae lumen fuerunt et vis eius sacerdotii et apostolatus. Mente et corde est assensus divinae revelationi atque Ecclesiae magisterio, et locutus est, scripsit et egit convenienter ad ea quae credebat. Assidue coluit coniunctionem cum Domino vitamque interiorem per fervidam Missae celebrationem et Liturgiae Horarum, deprecationem personalem et communem, contemplationem, religionem in Eucharistiam, Iesum crucifixum, Virginem Mariam, Sanctum Ioseph ac Sanctos Carmelitanos. Nisus est Dei voluntatem cognoscere eamque sequi etiam in rebus minimis; sapienter talenta caelitus accepta feneravit; bonum fecit, peccatum fugit, cum congruentia et rigore Regulam Ordinis sui votaque religiosa observavit ac fratres sodales idem facere docuit. Deum habuit cardinem suarum cogitationum, suorum affectuum et appetitionum, et omnia fecit pro gloria et regno eius, libenter labores et incommoda suscipiens innumera. Boni Pastoris sedulus imitator, se ipsum impendit pro animarum salute et fidei diffusione in mundo atque,

caritate pastorali motus, largiter bona redemptionis distribuit divina mysteria sancte celebrando, fructuose ministrando Reconciliationis sacramentum, Verbum praedicando et doctrinam catholicam docendo. Clare et animose veritates christianas nuntiavit, adversus vitia erroresque aetatis suae contendit, divinorum mandatorum observantiam fovit atque legum ecclesiasticarum, amorem Ecclesiae et missionum provexit. Etsi indole fortis erat et vehemens, se continuit semperque reverens et docilis fuit cum superioribus atque humilis et mansuetus erga fratres sodales et obnoxios; cum affabilitate et benignitate vitia aliena correxit et in conventibus paci concordiaeque favit; in aegrotos et peccatores misericors fuit et officiosus; sincerus in sermocinationibus; alienus a rebus inanibus mundi, continentiae et paenitentiae amans, in consiliis capiendis inque negotiis prudens, in difficultatibus fortis ac patiens, in Deum et in proximos iustus. In omni vitae casu magnam aluit Providentiae fiduciam et etiam in diuturno morbo, ex quo est mortuus, spe christiana est sustentus et praemii aeterni cupidine.

Tot tantaque praebuit exempla virtutum, ut Episcopus Victoriensis initium fecerit Causae beatificationis et canonizationis per processus ordinarii celebrationem (anno 1950), cui additi sunt rogatoriales Huarazensis, Bracarensis, Carthaginensis, Viiayapuramensis et Burgensis. Anno 1963 promulgatum est decretum super scriptis et anno 1978 decretum super Causae introductione. Processus apostolicus instructus est apud Curiam Sancti Sebastiani (annis 1980-1981) et Pampilonensem (anno 1981). Horum processuum auctoritas probata est a Congregatione de Causis Sanctorum decreto die 31 mensis Martii anno 1984 promulgato. Praeparata Positione, disceptatum est an Servus Dei heroum more virtutes exercuisset. Die 9 mensis Maii anno 1995 actus est, felici cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Die 17 subsequentis mensis Octobris dein Patres Cardinales et Episcopi, in Sessionem Ordinariam congregati, Causae Ponente Em.mo Cardinali Eduardo Gagnon, fassi sunt Servum Dei Ioannem Vincentium a Iesu Maria heroum in modum virtutes théologales, cardinales et his adnexas coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Cardinali Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus

Pater sollemniter declaravit: ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Ioannis Vincentii a Iesu Maria (in saec.: Ioannis Vincentii Zengotitabengoa Lasuen), Sacerdotis professi Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 12 mensis Ianuarii A. D. 1996.

® Albertus Bovone
archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. ©S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

HUMAITANENSIS ET BORBENSIS

DECRETUM

de finium mutatione

Quo aptius christifidelium pastorali curae consuli possit, Exc.mi PP. DD. Iosephus Iuventius Balestieri, Episcopus Humaitanensis, et Iosephus Alfonsus Ribeiro, Episcopus Praelatus Borbensis, unanimi consensu ab Apostolica Sede expostulaverunt ut circumscriptionum sibi concreditarum fines aliquantulum immutarentur.

Congregatio pro Episcopis, praehabito favorabili voto Exc.mi P.D. Alfii Rapisarda, Archiepiscopi titulo Cannensis et in Brasilia Apostolici Nuntii, rata huiusmodi immutationem christifidelium bono profuturam, vigore specialium facultatum sibi a Summo Pontifice Ioanne Paulo, divina Providentia PP. II, tributarum, oblatis precibus annuendum censuit.

Quapropter, hoc Decreto, perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, a dioecesi Humaitanensi integrum territorium municipii « Manicoré » distrahit idque praelaturae Borbensi adnectit, itidem a praelatura Borbensi integrum territorium municipii « Apui » distrahit idque dioecesi Humaitanensi assignat, mutatis, hac ratione, utriusque ecclesiasticae circumscriptionis finibus.

Ad clerum quod attinet statuit ut simul ac praesens Decretum ad effectum deductum fuerit sacerdotes Ecclesiae illi censeantur adscripti in cuius territorio ecclesiasticum officium detinent; ceteri autem sacerdotes, clerici seminariique tirones circumscriptioni illi incardinati maneant vel incardinentur in cuius territorio legitimum habent domicilium.

Quamobrem documenta et acta praefatorum municipiorum clericos, fideles ac bona temporalia respicientia a Curiis ecclesiasticarum circumscriptionum a quibus seiuncta sunt ad Curias illarum quibus noviter sunt adnexa transmittantur.

Ad haec perficienda Congregatio pro Episcopis deputat memoratum Exc.mum Apostolicum Nuntium vel, ipso a sede absente, negotiorum Sane-

tae Sedis in Brasilia gestorem, necessarias et opportunas eisdem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eamdem Congregationem, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 12 mensis Februarii anno 1996.

SB BERNARDINUS card. GANTIN, *Praefectus*

83 Jorge M. Mejía, *a Secretis*

L. © S.

In Congr. pro Episcopis tab., n. 971/95

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus Pp. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet:

die 1 Aprilis 1996. — Cathedrali Ecclesiae Elpasensi Exc.mum P.D. Armandum Xaverium Ochoa, hactenus Episcopum titularem Sitifensem et Auxiliarem archidioecesis Angelorum in California.

die 2 Aprilis. — Titulari episcopali Ecclesiae Quinciensi R.D. Franciscum J. Christian, e clero dioecesis Manchesteriensis ibique Curiae Cancellarium, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P.D. Leonis E. 0'Neil, Episcopi eiusdem dioecesis.

— Cathedrali Ecclesiae Tehuacaniensi R.D. Marium Espinosa Contreras, e clero dioecesis Tepicensis, Theologiae Spiritualis professorem apud ecclesiasticorum studiorum sedem « Facultades Teológica y Filosófica Mexicanas » rectoremque domus pro alumnis sacerdotibus eiusdem studiorum sedis.

die 3 Aprilis. — Titulari episcopali Ecclesiae Citiensi R.D. Franciscum Gil Hellin, e clero archidioecesis Valentinae, quem constituit Pontificii Consilii pro Familia a Secretis.

die 4 Aprilis. — Metropolitanae Ecclesiae Panormitanae Exc.mum P.D. Salvatorem De Giorgi, hactenus Archiepiscopum emeritum Tarentinum necnon Consiliarium Generalem sodalitatis ab Actione Catholica Italica.

die 9 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Angrensi R.P. Antonium de Sousa Braga, S.C.I., hactenus Vicarium Superioris Generalis Congregationis Sacerdotum a Sacro Corde Iesu.

die 10 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Brigantiensi de Para R.D. Aloisium Ferrando, paroeciae Sanctae Mariae Gratiarum in dioecesi Placentina-Bobiensi curionem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Tuscamiensi R.D. Philippum Santoro, e clero archidioecesis Barensis-Bituntinae, in archidioecesi Sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii Instituti Theologici directorem, quem deputavit Auxiliarem eiusdem Ecclesiae.

die 11 Aprilis. — Metropolitanae Ecclesiae Posnaniensi Exc.mum P.D. Iulium Paetz, hactenus Episcopum Lomzensem.

die 12 Aprilis. — Metropolitanae Ecclesiae Mutinensi-Nonantulanae Exc.mum P.D. Benedictum Cocchi, hactenus Episcopum Parmensem.

— Cathedrali Ecclesiae Vollongongensi R.D. Philippum Eduardum Wilson, e clero dioecesis Maitlandensis-Novocastrensis, ibique Tribunalis dioecesani Praesidem.

die 27 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Sanctae Rosae de Lima, noviter erectae, Exc.mum P.D. Iulium Hamilcarem Bethancourt Fioravanti, hactenus Episcopum Gerontopolitanum.

die 30 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Tacambarensi R.D. Rogerum Cabrera López, paroeciae vulgo « Nuestra Señora del Perpetuo Socorro » nuncupatae parochum et Vicarium episcopalem pro pastorali actione in dioecesi Queretarensi.

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE

PROVISIO ECCLESIARUM

Ioannes Paulus divina Providentia Pp. II, latis decretis a Congregatione pro Gentium Evangelizatione, singulis quae sequuntur Ecclesiis sacros Pastores dignatus est assignare. Nimirum per Apostolicas sub plumbo Litteras praefecit vel nominavit:

die 11 Ianuarii 1996. — Metropolitanae Ecclesiae Giakartanae Em.mum P.D. Iulium S.R.E. Cardinalem Riyadi Darmaatmadja, S.I., hactenus Archiepiscopum Semarangensem.

die 23 Februarii. — Metropolitanae Ecclesiae Endehenae R.D. Longinum da Cunha, Vicarium generalem eiusdem archidioecesis.

— Cathedrali Ecclesiae Anehensi R.D. Paulum Ioannem-Mariam Dossavi, Seminarii maioris interdioecesani Lomensis directorem spiritalem.

die 23 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Nebbensi, noviter erectae in Uganda, R.D. Ioannem Baptistam Odama, e clero Aruaensi ac Seminarii maioris nationalis philosophiae in oppido vulgo dicti Alokolum rectorem.

— Coadiutorem Tuticorensem R.D. Petrum Fernando, Vicarium generalem eiusdem dioecesis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Zucchabaritanae Exc.mum P.D. Theotonium Gomes, C.S.C., Episcopum emeritum Dinalpurensem, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Dhakensis.

die 9 Martii. — Metropolitanae Ecclesiae Kigaliensi Exc.mum Thaddaeum Ntihinyurwa, hactenus Episcopum Cyanguguensem et Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » praefatae archidioecesis.

— Cathedrali Ecclesiae Kayanae Exc.mum P.D. Ioannem Baptistam Tiendrébéogo, Episcopum titularem Thuccensem in Numidia et Auxiliarem archidioecesis Uagaduguensis.

die 9 Martii. — Titulari episcopali Ecclesiae Iuliensi R.D. Alfredum Kipkoech arap Rotich, e clero Nakurensi, quem deputavit Auxiliarem Em.mi P.D. Mauricii Michaelis S.R.E. Cardinalis Otunga, Archiepiscopi Nairobiensis et Ordinarii Castrensis in Kenia.

die IS Martii. — Cathedrali Ecclesiae Byumbanae R.D. Servilium Nzakamwita, e clero Kibungensi ac Seminarii praeparatorii nationalis in oppido vulgo dicto Rutongo rectorem.

— Cathedrali Ecclesiae Kabgayensi R.D. Anastasium Mutabazi, e clero Kibungensi ac Seminarii maioris in oppido vulgo dicto Nyakibanda rectorem.

die 29 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Mahagianganae Exc.mum P.D. Michaelem Malo, societatis dictae « Istituto del Prado » sodalem, Episcopum titularem Croënsem ed Auxiliarem Antsirananensem.

ACTA TRIBUNALIUM

VICARIATUS URBIS

TRIBUNAL APPELLATIONIS

ROMANA

Nullitatis Matrimonii (Di Via - Khan)

Notificatio edictalis

Ignorandosi il luogo dell'attuale abitazione del sig. Shahid Majid (detto: Paul) Khan, nato il 28 maggio 1954 in Lahore (Pakistan), parte convenuta nella causa di cui in epigrafe, il cui ultimo domicilio conosciuto era « The Audley» 41-43 Mount Street, Londra. W. 1 (UK)

si notifica

a detto Signore che questo Tribunale di Appello, con Decreto emesso il 19 dicembre 1995 e pubblicato il 28 marzo 1996 nella causa sopra intestata, ha deciso:

« Negative, seu causam ad ordinarium alterius gradus examen admittendam esse ».

Il testo del Decreto è a disposizione nella Cancelleria del Tribunale.

Tanto si notifica in forma edittale, a norma di legge (can. 1682 § 2 CIC).

I Vescovi, i Parroci, i Sacerdoti e i fedeli tutti, che in qualche modo abbiano notizia del domicilio del sig. Shahid Majid Khan abbiano cura di informarlo della presente notifica e di comunicare a questo Tribunale il suo indirizzo.

Roma, dalla Cancelleria del Tribunale d'Appello, 28 marzo 1996.

Slavomir Oder, ***Cancelliere***

L. © S.

In Cancellaria Tribunalis, Prot, 7094

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Giovedì, 25 Aprile 1996, S.E. il Signor DOJCILO MASLOVARIC, Ambasciatore della Repubblica Federale di Jugoslavia presso la Santa Sede.

Ha, altresì, ricevuto in Udienza:

Sabato, 13 Aprile 1996, S.E. il Signor ERNESTO PÉREZ BALLADARES, Presidente della Repubblica di Panama.

Venerdì, 19 Aprile 1996, Sua Altezza Reale HASSAN BIN TALAL, Principe ereditario di Giordania.

Sabato, 20 Aprile 1996, S.E. il Signor ZLATKO MATESA, Primo Ministro della Repubblica di Croazia.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Breve Apostolico il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

13 aprile 1996. S. E. mons. Blasco Francisco Collaço, Arcivescovo tit. di Ottava, ***Nunzio Apostolico in Bulgaria.***

» » » S. E. mons. Dominik Hrusovsky, Arcivescovo tit. di Tubia, ***Nunzio Apostolico in Bielorussia.***

27 » » S. E. mons. Patrick Coveney, Arcivescovo tit di Satriano, ***Nunzio Apostolico in Nuova Zelanda, nelle Isole Marshall ed in Toga e Delegato Apostolico per le Isole dell'Oceano Pacifico.***

4 maggio » S. E. mons. Felix Del Blanco Prieto, Arcivescovo tit. di Vannida, ***Nunzio Apostolico in Camerun.***

» » » Mons. Emil Paul Tscherrig, Arcivescovo tit. eletto di Voli, ***Nunzio Apostòlico in Burundi.***

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

21 marzo 1996. Mons. Giuseppe Pasini ed il sac. Elvio Damoli, P.S.D.P., *Membri del Pontificio Consiglio « Cor Unum » « ad quinquennium ».*

25 » » Il sac. Abdo Yaacoub, *Promotore di Giustizia aggiunto con funzioni di Difensore del Vincolo del Tribunale della Rota Romana.*

» » » L'avv. prof. Nicola Picardi,[1] *Promotore di Giustizia aggiunto « ad annum » presso il Tribunale dello Stato della Città del Vaticano.*

2 maggio » S. E. mons. Sergio Sebastiani, Arciv. tit. di Cesarea di Mauritania, Segretario del Comitato e del Consiglio di Presidenza del Grande Giubileo dell'Anno 2000, *Presidente della « Peregrinatio ad Petri Sedem ».*

NECROLOGIO

4 marzo 1996. Mons. Gerhard Schaffran, Vescovo em. di Dresden-Meissen *(Germania).*

15 » » Mons. Ceslaw Domin, Vescovo di Koszalin-Kolobrzeg *(Polonia).*

» » » Mons. Lawrence P. Hardman, Vescovo em. di Zomba *(Malam).*

3 aprile » Mons. Alphonse J. Schladweiler, Vescovo em. di New Ulm *(Stati Uniti d'America).*

11 » » Mons. Carlo Minchiatti, Arcivescovo em. di Benevento *(Italia).*

13 » » Mons. Gilles Bélisle, Vescovo tit. di Uccuia.

» » » Mons. Hugo E. Polanco Brito, Arcivescovo, Vescovo em. di Nuestra Señora de la Altagracia en Higüey *(Repubblica Dominicana).*

15 » » Mons. Biagio V. Terrinoni, Vescovo em. di Avezzano *(Italia).*

16 » » Mons. Giuseppe Fenocehio, Vescovo em. di Pontremoli *(Italia).*

18 » » Mons. Jean Cuminal, Vescovo di Blois *(Francia).*

» » » Card. Mario Luigi Ciappi, del titolo del Sacro Cuore di Gesù agonizzante a Vitinia.

19 » » Mons. Kevin L. Rafferty, Vescovo tit. di Ausuaga.

21 » » Mons. Lucas Olu Chukwuka Nwaezeapu, Vescovo em. di Warri *(Nigeria).*

26 » » Mons. Reginald Arliss, Vescovo Prelato em. di Marbel *(Filippine).*

28 » » Mons. Pierluigi Sartorelli, Arcivescovo tit. di Castello.

2 maggio » Mons. Teopisto V. Alberto, Arcivescovo em. di Caceres *(Filippine),*

3 » » Mons. Maxim Hermaniuk, Arcivescovo em. di Winnipeg degli Ucraini *(Canada).*

Recens nuntiatum est Ernestum De Paula episcopum titulo Hierocaesariensem die 31 m. Decembris a. 1994 et Hieronymum J. Hastrich episcopum emeritum Gallupiensem die 12 m. Maii a. 1995, de vita decessisse.

An. et vol. LXXXVm 5 lumi 1996 N. 6

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio; Palazzo Apostolico - Città del Vaticano - *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

I

VENETIOLA

In Venetiola Ordinariatus militaris conditur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

« In Ecclesia omnes, sive ad Hierarchiam pertinent sive ab ea pascuntur, ad sanctitatem vocantur» (Const. dogm. *Lumen gentium,* 39). Nos quidem ad maiorem in dies sanctitatem totius Dominici gregis promovendam vocati, haec Concilii Oecumenici Vaticani II verba recolentes, studiose curamus ut pastoralis caritatis munus erga omnes christifideles secundum Christi mentem exerceatur. Nunc vero de militibus Venetiolanis singulari modo cogitamus atque de iis pastoralem navitatem secundum nostrae aetatis necessitates ordinare volumus. Quapropter, eorum suppleto quorum interest consensu, Apostolica Nostra potestate hasce per Litteras *Ordinariatum Militarem in Venetiola* constituimus, servatis quidem normis generalibus Constitutionis Apostolicae « Spirituali militum curae », propriis statutis ab Apostolica Sede editis nec non legibus ecclesiasticis universalibus. Iura sane ei ac privilegia ceterorum ordinariatuum militarium propria tribuimus.

Haec, quae praescripsimus, committimus perficienda Venerabili Fratri Oriano Quilici, Archiepiscopo titulo Tablensi et in Venetiola Apostolico

Nuntio, necessarias et opportunas ei tribuentes facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die tricesimo primo mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo quinto, Pontificatus Nostri duodevicesimo.

68 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

SB BERNARDINUS card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, ***Protonot. Apost.***
Angelus Lanzoni, ***Protonot. Apost.***

Loco 83 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 386.763

II

KONTAGORANA

In Nigeria constituitur nova Praefectura Apostolica nomine Kontagorana.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Constat in finibus Nigeriae inter alios commorare antiquum populum « Kamberi ». Ad aptius igitur consulendum evangelizationis operi inter illum, Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositi, re mature perpensa auditisque faventibus votis eorum, quorum interest, censuerunt nuper ibidem novam Praefecturam Apostolicam esse condendam. Nos igitur, qui gravissimo fungimur munere supremi Pastoris totius gregis Dominici, talem sententiam ratam habentes, summa Nostra potestate seiungimus: a dioecesi Ilorinensi districtus civiles patrio sermone nuncupatus New Bussa, Agwara, Shagunu et Babana; a dioecesi autem Minnaënsi districtus civiles Rijau, Magama, Mariga, Zuru, Sakaba, Danko Wasugu, cum parte districtus Wushishi, ad occidentem fluminis Kaduna; a dioecesi demum Sokotoënsi districtus civiles Yauri, Ngaski et districtus Bagudo partem, quae ad meri-

Embora se ja verdade que no vosso Povo perdura felizmente um sólido sentido de familia, a saber, a conscientia e a estima do seu valor, contudo nao ignorais que, na situaçao atual, podemos notar também algumas « sombras », que descrevi na Exortaçao Apostólica ***Familiaris consortio,*** e que säo sinais negativos da cultura contemporánea: « 0 número crescente de **divorcios**, a praga do aborto, o recurso cada vez mais frequente à esterilizaçâo, a instauraçâo de urna verdadeira e pròpria mentalidade contraceptiva ».[15] Mais ainda, as frequentes separaçoes e a mentalidade divorcista, que aumentam pelos maus exemplos e pelo influxo nocivo de certos meios de comunicaçao social, väo debilitando nos jovens a convicçâo de que o matrimonio é, por sua pròpria natureza e por vontade de Cristo, urna aliança em fidelidade e para sempre. Desse modo pòe-se em perigo o futuro da instituiçao familiar e a subsistencia mesma de urna sociedade sä, harmónica e autenticamente humana.

E bem sabido que a ruptura da vida familiar produz efeitos deletérios sobre os filhos, que säo as primeiras vítimas. A miseria aliada ao fenòmeno, infelizmente bastante frequente, do abandono afetivo e espiritual dos jovens, que se sentem de fato « sem familia », é a causa de males muito graves, que comprometem o desenvolvimento integral da juventude de um país: falta de valores e de normas de vida, desorientaçâo, desapego ao trabalho, vulnerabilidade ante o ambiente de hedonismo e de corrupçâo moral, alcoolismo, droga e delinquência.

Já tive ocasiäo de dizer na primeira Visita ***ad Limina*** aos Bispos do Paraná, que a salvaguarda da familia deve ser um objetivo pastoral permanente para vós. Neste sentido, quero exortar-vos a continuar com todo o

[15] N. **6.**

empenho nesta tarefa plasmando-a em realizaçôes concretas. Trata-se de prosseguir, senâo de dar vida a urna pastoral familiar organica e permanente, destinando para isso os meios que sejam necessarios e preparando para tal objetivo agentes pastorais idóneos, entre os vossos sacerdotes, religiosos e membros do laicato que, com urna formaçao específica nas materias respetantes a este ambito, vos ajudem a enfrentar com criatividade e eficacia este desafio.

6. Não menos importante é a Pastoral da Juventude, que estará sempre atenta — sob a vossa solicita e diuturna vigilancia — às exigencias normativas dos mais novos.

A este respeito, quereria fazer notar que não basta urna resposta maciça e entusiasta dos jovens. É necessàrio também oferecer-lhes urna formaçao sòlida e exigente, apta a assumirem seu papel como « sujeitos ativos, protagonistas da evangelizaçâo e artífices da renovaçâo social ».[16]

Neste sentido, é necessàrio ir ao fundo dos problemas, passar do humano para o divino, dos impulsos sentimentais para as profundas convicçoes religiosas. E isto exige tempo e esforço continuado. A Pastoral da Juventude deve também formar o jovem na sua conscientia política, de acordo com as diretrizes marcadas no Catecismo da Igreja Católica onde claramente se afirma que « a Igreja não se confunde de modo algum com a comunidade política ».[17] Dita formaçao está motivada por um aspecto altamente positivo da personalidade do jovem, que pode sofrer, no entanto, desvíos perigosos: o seu espirito de rebeldía e a sua sede de justiça. Quando eia se desenvolve em funçâo de valores humanos e cristãos, em face de um ideal autentico, o seu inconformismo é como um revulsivo purificador, que impulsiona o progresso e a solidariedade.

Mas, como eu já alertava os jovens em Belo Horizonte em 1980, existe o perigo de instrumentalizar essa nobre rebeldía para finalidades políticas partidaristas.

A Pastoral da Juventude nunca poderá ter urna determinada cor ou emblema político. A Igreja cometería urna traiçâo ao hörnern se, com as melhores intençôes, lhe oferecesse bem-estar social, mas lhe sonegasse ou Ihe desse escassamente aquilo a que tem direito, a que mais aspira (por vezes até sem o perceber), aquilo a que tem direito, que espera da Igreja e que

[16] Exor. ap. *Christifideles laici,* 46.
[17] N. 2245.

só eia lhe pode dar: transmitir como depositaria autentica a palavra revelada; anunciar o Absoluto de Deus; proclamar as bem-aventuranças e os valores evangélicos e convidar à conversão; comunicar aos homens o misterio da graça de Deus nos sacramentos da fé e consolidar esta fé — em urna palavra, evangelizar e, evangelizando, construir o reino de Deus.

Por isso, a Pastoral da Juventude nao deve perder a sua identidade apostólica. Se se desviasse aquele espirito de rebeldia — essa profunda sede de justiça que caracteriza a juventude — para finalidades políticas que, por serem precisamente partidaristas, dividem, comprimem, partem aquilo que é essencialmente dilatado, universal, católico, se desvirtuaría o que é de mais essencial na mensagem de Cristo e o que há de mais belo e mais autèntico no ideal da juventude!

Em tal contexto, não posso deixar de mencionar um importante setor da Pastoral da Juventude, que é chamado a ter fundamental importancia neste limiar do terceiro **milenio.** Refiro-me à Pastoral Universitaria, que, em vosso país, assume urna grande importancia pelo elevado número de jovens que cursam o ciclo de estudos superiores e a influencia que eles teräo, no futuro, sobre os destinos da sociedade. A medida mesma em que descobrirem o amplo horizonte das ciencias e as profundas interrogaçóes que elas apresentam ao ser humano, os jovens universitarios devem poder encontrar na Igreja um ambiente propicio de acolhida, um âmbito de reflexäo que os ajude, à luz da Revelaçâo divina, a iluminar a razäo e as ciencias que delà decorrem, para perceber com clareza o destino último e o significado pleno do ser humano. Lugar especial de diálogo franco e sincero entre ciencia e fé, entre experimentaçao e observaçao científicas, por um lado, e sabedoria religiosa, por outro, a Pastoral Universitaria, se fiel à sua identidade específica e à sua missäo evangelizadora, é chamada a desempenhar funçâo importante na Nova Evangelizaçâo com que a Igreja deve enfrentar os desafios da sociedade moderna.

Os jovens não só säo evangelizados, mas também säo eles mesmos evangelizadores que levam o Evangelho aos seus coetáneos, inclusive às pessoas que se afastaram da Igreja e àquelas que ainda não escutaram a Boa Nova. Já sei que desde há tempo se vem intensificando a açâo ñas Comunidades que, com generosidade e sacrificio, levam a Palavra de Deus e fomentam a vida sacramental, e de igual modo a ajuda caritativa e a promoçâo humana, às populaçoes mais necessitadas de assistentia pastoral. Desejo encorajar, pois, todos os que realizam este meritorio trabalho de Igreja, a conti-

rmarem a intensificar esses gestos de comunhão, até mesmo entre as diversas diocèses. Aqui se insere, sem dúvida, o dinamismo da juventude. Multos jovens **tem** um enorme potencial de generosidade, de dedicaçao e de empenho, e sentem-se atraídos por formas de trabalho voluntario, especialmente quando se trata de servir os necessitados.

Junto, porém, a essa importante face da solidariedade crista, meu pensamento vai com imensa gratidão aos jovens — e já säo muitos, graças a Deus! — que se sentem chamados a ser protagonistas da missão. A conscientia do dever apostolico, que arranca suas origens das mesmas fontes batismais,[18] levou-me à convicçâo de lhes dizer: «Sobretudo **vos,** jovens, sois chamados a tornar-vos missionarios da Nova Evangelizaçâo, testemunhando quotidianamente a Palavra que salva ».[19] As manifestaçoes habituais do que chamaríamos de « ministerio da juventude » — que tém como ponto focal a paróquia — devem prosseguir, a firn de que os leigos näo se sintam isolados da comunidade mais vasta. Todavía, como as vossas proprias experiencias no-lo confirmam, é com frequentia útil estimular esta obra mediante associaçôes, movimentos, centros especiáis e grupos que correspondam às suas exigencias particulares.[20]

7. Para concluir, diletos Irmäos, peço-vos que vivais com grande desvelo a formaçao dos jovens. Seja dada, com particular esmero, a Catequese em todos os níveis etários, sobretudo aos adolescentes, de modo que estes se sintam realmente « enlevados como Jesus aos doze anos no Templo ».[21]

O jovem é essencialmente um ser em formaçao, e vós sois os seus grandes formadores. Ensinai-lhes que o futuro se realiza na medida em que forem fiéis a urna vocaçâo divina a firn de assumirem plenamente « aquilo em que cada um e cada urna se deve tornar: para si — para os homens — para Deus »;[22] ensinai-lhes que essa vocaçâo se vislumbra na oraçâo, se fortalece na Eucaristia; ensinai-lhes, também, o verdadeiro significado do sexo e do amor, da alegría e da dor, da vida e da morte; levai-lhes a mensagem de solidariedade e de justiça para que possam ser fiéis continuadores da obra de Deus na terra; ensinai-lhes o uso correto da pròpria liberdade, sobretudo, que a maior liberdade é o pleno dom de si. E do mesmo modo, que nao

[18] Cf. Carta ap. *Aos jovens e às jovens do mundo,* 9.
[19] *Mensagem para o IX e X Dia Mundial da Juventude,* 21-XI-1993, 3.
[20] Cf. Carta enc. *Redemptoris missio,* 37.
[21] *Carta às enancas,* 13-XII-1994.
[22] Carta ap. *Aos jovens e às jovens do mundo,* 9.

tenham medo de evangelizar nas praças e nas ruas como os primeiros **apos-**tolos, de tornar Cristo conheeido nas modernas métropoles. Éste não é o momento de se envergonharem de testemunhar o Evangelho[23] «por cima dos tetos ».^

8. Através de **vos,** Pastores e Irmäos no episcopado, confío a Maria, Nossa Senhora Aparecida, Padroeira do Brasil, Mäe do Amor Formoso, a juventude brasileira; a Eia, que leva em Si um sinal indelével de juventude e beleza que näo passa jamais. Desejo e peço-vos que aproximéis os jovens dessa **Mae** Amorosa, que Lhe confiéis a vida que se abre diante de si, num futuro esplendoroso, e que A amem com todo o ardor de seu coraçao jovem.[25] O Papa espera do Brasil urna nova primavera de vocaçôes sacerdotais e religiosas, através do modelo d'Aquela que é a imagem viva da entrega completa a Deus!

Ao terminar este encontró, desejo reiterar-vos a minha estima fraterna e pedir-vos que, ao regressardes às vossas diocèses, levéis a saudaçao e o afeto do Papa a todos os vossos diocesanos, às familias cristas, aos sacerdotes, aos religiosos e às religiosas, que com dedicaçao e generosa entrega anunciam a Boa Nova da salvaçao e däo testemunho de serviço, fidelidade e espirito apostòlico. Invoco sobre vós e sobre vossos fiéis a proteçâo do Altissimo e vos concedo a minha Bênçâo.

IV

Ad eos qui plenario coetui Pontificii Consilii de Spirituali Migrantium et Itinerantium Cura interfuerunt coram admissos.*

Signori Cardinali,
Venerati Fratelli nell'episcopato e nel sacerdozio,
Carissimi Fratelli e Sorelle!

1. Vi accolgo con gioia e tutti cordialmente saluto a conclusione della riunione plenaria del Pontificio Consiglio della Pastorale dei Migranti e de-

[23] Cf. *Rm* 1, 16.
[24] *Mt* 10, 27; cf. *Homilia da Missa conclusiva da VIII Jornada Mundial da Juventude,* Denver, 15-VIII-1993.
[25] Cf. *Discurso,* Audiencia Gérai, 2-V-1979, 4.

* Die 27 Octobris 1995.

gli Itineranti. Ringrazio, in particolare, il Presidente del Pontificio Consiglio, l'Arcivescovo Mons. Giovanni Cheli, per le appropriate parole con cui ha interpretato i sentimenti di tutti.

È stata vostra cura in questi giorni riflettere sui problemi delle « persone in situazione precaria nella mobilità umana » e sulle « implicazioni pastorali » che ne derivano. Vi siete perciò soffermati ad analizzare questa realtà drammatica e sempre più estesa, che comprende migranti disoccupati, ansiosi per l'avvenire delle loro famiglie; migranti in situazioni irregolari, che, spaesati e rifiutati, vivono di espedienti senza il supporto di un'autorità attendibile a cui rivolgersi; rifugiati che, perseguitati nei loro paesi, stentano ad ottenere la necessaria protezione prevista dalle convenzioni internazionali; marittimi costretti a fare lunghi lavori straordinari per poter pagare con i loro magri guadagni reclutatori esosi e senza scrupoli; donne che, lusingate da prospettive di successo da parte di inaffidabili agenzie di espatrio, si ritrovano poi vittime di sfruttamento sulla via del disonore; bambini la cui assistenza sanitaria e scolastica risulta del tutto insufficiente ed incerta; ed ancora bambini fatti oggetto di turpe commercio da parte di chi va a caccia, in paesi esotici, di avventure con cui rompere la noia di una vita svuotata dal vizio; anziani che, rimasti soli, sono condannati a trascorrere gli ultimi giorni nell'isolamento e in condizioni abitative del tutto inadeguate; nomadi che si ritrovano ai margini della società perché la loro presenza nella città stride con il silenzio che spesso si cerca di stendere sulle loro condizioni di disagio. E come non pensare poi a bambini, donne, anziani che languiscono nei campi profughi in attesa di finire la loro odissea e di ritornare nei loro paesi di origine per condurre una vita normale in una prospettiva di sicurezza e di pace?

2. Oggi, purtroppo, il già difficile cammino del migrante va subendo un ritardo che accentua la sua emarginazione e la sua esclusione. La stessa crescente disparità economica, esistente fra i popoli in via di sviluppo e quelli industrializzati, tende a riprodursi all'interno delle singole nazioni. Le migrazioni, che un tempo erano viste come fattore di sviluppo economico, sociale e culturale per la nazione ospite, oggi sono sentite sempre più come un peso, un disturbo, un problema. Oggettive difficoltà ingenerano talora un clima di diffidenza, di sospetto e di ostilità nei confronti dei migranti.

Certo, i cittadini di ogni paese hanno il diritto di vivere nella tranquillità, nel rispetto reciproco, nella pace. E interesse innanzitutto dei migranti impegnarsi al rispetto degli ordinamenti che regolano la vita delle società

che li accolgono. Talvolta si verificano episodi di intolleranza, nei quali è doveroso riconoscere effettive responsabilità dei migranti stessi, rei di comportamenti scorretti. E giusto che lo Stato intervenga allora per ristabilire e tutelare l'ordine pubblico. La considerazione, tuttavia, delle situazioni di precarietà e di miseria, in cui versano molti di loro, deve indurre il cristiano a farsi carico di questi esseri umani senza lavoro, senza casa, senza protezione, che attendono da chi sta meglio comprensione ed aiuto.

Non ci si può limitare a porre in evidenza i problemi che la loro presenza suscita, né soltanto esigere che essi si adattino alla vita delle società di arrivo senza contemporaneamente rispettare i loro diritti. La lotta contro il razzismo ha un senso ed una prospettiva di successo, se si accetta il principio dell'uguaglianza in tutti i campi, consapevoli che l'integrazione coinvolge la società nel suo insieme. E infatti un processo comune che interessa sia i migranti che i residenti, e che sarà tanto più spedito ed agevole quanto più positiva sarà l'immagine che i gruppi stranieri offriranno di se stessi. E chiaro che, in questo, i mezzi di comunicazione hanno un grande ruolo ed una grave responsabilità.

3. Carissimi fratelli e sorelle! Con profonda sensibilità pastorale ed umana molte Comunità diocesane, attivando istituzioni ecclesiali, quali la Caritas, l'Azione Cattolica e numerose associazioni di volontariato cattolico, hanno imboccato con decisione la strada della solidarietà e della pacificazione delle etnie, creando strutture di accoglienza e facendosi voce dei deboli per difenderne la dignità e i diritti.

E lo Spirito che parla alle Chiese, suscitando iniziative con cui fare fronte alle esigenze sempre nuove che il variare delle situazioni produce. Anche molte parrocchie hanno trovato nell'impegno per i diseredati una via di autentico rinnovamento.

Sulle strade della mobilità umana, dove si incontrano spesso forme di ingiustizia e di violenza, e dove molti « passano oltre », chiusi nei loro interessi ed assorbiti dai loro compiti particolari, come il sacerdote ed il levita della parabola, la Chiesa sa di dover assumere sempre più integralmente il ruolo del buon Samaritano, facendosi « prossimo » di tutti gli esclusi.[1]

Il senso umanitario verso l'uomo bisognoso si esprime oggi in forme certo più vaste e più organizzate che nei tempi passati, e la Comunità ecclesiale entra volentieri in collaborazione con quanti sono mossi da sentimenti di

[1] Cf. *Lc* **10, 30-37.**

autentico altruismo. Ma a questo impegno umanitario il cristiano deve aggiungere l'elemento specifico che lo caratterizza: la testimonianza e la passione per l'inalienabile dignità dell'uomo, redento da Cristo.

I credenti testimoniano così nei fatti che la buona Novella non si esaurisce nella proclamazione di verità astratte, ma si concretizza nella carità, capace di assumere anche la forma dell'impegno contro le ingiustizie presenti nel mondo. Compito, questo, che non si riduce ad una delega data alle benemerite istituzioni assistenziali, ma porta il segno del contributo personale di quanti si dicono e vogliono essere autenticamente cristiani. Ecco il senso della specificità cristiana dell'opzione per i poveri: vivere la « compassione »[2] evangelica nei confronti di quanti sono nel bisogno, senza tener conto della loro nazionalità, religione e classe sociale.

4. « Nella Chiesa nessuno è straniero e la Chiesa non è straniera a nessun uomo », ricordavo di recente nel Messaggio per la Giornata Mondiale del Migrante.[3] Coerentemente con questo principio la Chiesa mai cesserà di combattere l'emarginazione e l'esclusione. In particolare, essa si batte per la salvaguardia del principio d'uguaglianza e contro ogni forma di discriminazione e di emarginazione.

Carissimi, grazie per quel che voi già fate in questo campo. Continuate con rinnovato impegno questo vostro servizio in un settore tra i più significativi e promettenti dell'azione sociale e pastorale della Chiesa.

II Signore benedica il vostro lavoro e fecondi con la sua grazia i propositi maturati in questi giorni. A ciascuno di voi, come a tutti gli operatori pastorali che si prodigano per le persone costrette a vivere nelle diverse forme della mobilità umana, imparto volentieri la Benedizione Apostolica, auspicio di un sempre più generoso sforzo di evangelizzazione e di promozione umana.

[2] Cf. *Lc* 10, 33.

[3] Cf. *L'Osservatore Romano,* 6 settembre 1995, p. 6.

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

URBIS ET ORBIS

DECRETUM

De celebratione Sancti Petri Iuliani Eymard, presbyteri, in Calendario Romano generali inscribenda.

Fons et culmen totius evangelizationis Sanctissima Eucharistia, in qua Divini Redemptoris infinita erga homines caritas luculenter manifestatur, peculiari modo vitam signavit et actionem pastoralem illius presbyteri, qui merito appellari potest eiusdem Eucharistiae eximius apostolus: Sanctus Petrus Iulianus Eymard. Namque ipsius missio in Ecclesia ad hoc tetendit, ut eucharisticum mysterium centrum exstaret totius vitae communitatis christianae. In Gallia natus die 4 februarii anno 1811 in oppido La Mure d'Isère nuncupato dioecesis Gratianopolitanae, presbyter factus est anno 1834 atque ministerium pastorale in dioecesi ferventi zelo exercuit. Deinde intensa erga Deiparam Virginem Mariam devotione permotus veniam impetravit ab Episcopo Societati Mariae Lugduni se addicendi. Vertentibus autem annis in dies melius cognovit missionem, ad quam Deus eum vocabat. In principe templo Lugdunensi Deo in honorem Beatae Mariae Virginis dicato dum precaretur, ipsi a Christo Iesu ea mens iniecta est, ut altaris Sacramentum publico ac perpetuo cultui latius latiusque adorandum proponeret et sodalitatem presbyterorum conderet, qui ad suam ipsorum fideliumque sanctitatem per Eucharistiam peculiariter inflammarentur. Moderatoribus Societatis Mariae sinentibus et Lutetiam Parisiorum profectus initium fecit Congregationis Presbyterorum a SS.mo Sacramento die 6 ianuarii 1857. Ad caelum migravit die 1 augusti 1868, exemplar factus presbyteris, religiosis

et christifidelibus laicis cuiusdam vitae Eucharistiae celebrationi, adorationi et amori totaliter deditae. Cum vero permultae petitiones et postulationes Episcoporum, presbyterorum et fidelium e diversis mundi regionibus ad Sanctam Sedem pervenirent, ut celebratio Sancti Petri Iuliani Eymard, presbyteri, Calendario Romano generali inscriberetur, Summus Pontifex Ioannes Paulus II eandem celebrationem in Calendarium Romanum inseri decrevit, statuens ut memoria ad libitum Sancti Petri Iuliani Eymard, presbyteri, quotannis die 2 augusti ab omnibus peragi possit. Nova igitur memoria cunctis Ordinibus pro Missae et Liturgiae Horarum celebratione erit inscribenda atque eius indicatio ponetur in libris liturgicis cura Coetuum Episcoporum in posterum edendis.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, die 9 decembris 1995.

ANTONIUS M. card. JAVIERRE, *Praefectus*

ÊB GERARDUS M. AGNELO, *archiep. a Secretis*

LffiS.

In Congr. de Cultu Divino tab., n. 23i8¡95¡L

Proprium Sanctorum Missalis Romani

Eodem die 2 augusti

SANCTI PETRI IULIANI EYMARD
presbyteri

De Communi pastorum, vel sanctorum: pro religiosis.

Collecta

Deus, qui sanctum Petrum Iulianum,
erga sacra mysteria Corporis et Sanguinis Filii tui,
dilectione decorasti miríﬁca,
concede propitius,
ut, quam ille ex hoc divino convivio percepit pinguédinem,
eandem et nos percipere mereámur.
Per Dominum.

Liturgia verbi

De Communi pastorum, vel sanctorum: pro religiosis.

Lectio I: Act 4, 32-35 ***Cor unum et anima una.***

Ps Resp.: Ps 33, 2-3. 4-5. 6-7. 8-9. 10-11 ***Gustate et videte quoniam suavis est Dominus.***

Alleluia: Io 15, 4a. 5b ***Manete in me et ego in vobis, dicit Dominus; qui manet in me fert fructum multum.***

Evang.: Io 15, 1-8 ***Qui manet in me, et ego in eo, hic feñ fructum multum.***

Proprium Sanctorum Liturgiae Horarum

Eodem die 2 augusti

SANCTI PETRI IULIANI EYMARD,
presbyteri

Natus est in oppido La Mure, in Gallia, anno 1811. Sacerdotio auctus et pastorali curae per aliquot annos addictus, Societatem Mariae ingressus est. Eximius eucharistici mysterii cultor, religiosorum, tum virorum cum mulierum, congregationes ad cultum eucharisticum intendentes instituit, atque ad fovendum apud cuiusvis condicionis gentes amorem erga sanctam Eucharistiam plurima atque aptissima duxit incepta. Mortuus est die prima mensis Augusti 1868, in oppido natali.

De Communi pastorum, vel sanctorum: pro religiosis.

AD OFFICIUM LECTIONIS

Lectio altera

Ex scriptis sancti Petri **Iuliani** Eymard, presbyteri
(La Présence réelle, vol. I, Paris, 1950, pp. 270-271 et 307-308).

Eucharistia: sacramentum vitae

Eucharistia est omnium gentium vita. Eucharistia eisdem vitae principium praebet. Omnes possunt convenire nullo impediménto admisso sive ex natione sive ex sermóne ad Ecclesiae sacra festa celebranda. Eucharistia vitae legem eis tradit, quin immo caritatis, cuius hoc sacramentum est fons: qua de causa ipsa tali ratione conficit inter eosdem **efficit** commune vinculum, quandam christianam propinquitatem. Omnes eundem panem mandu-

eant, omnes sunt Iesu Christi convivae, qui creat inter ipsos supernaturáliter quandam concordiam fraternórum morum. Actus Apostolorum legatis. Qui affirmant multitudinem primorum christianorum, Iudaeorum conversórum et paganorum baptizatorum, ex diversis regionibus provenientium esse ***cor unum et animam unam.*** Curnam? Quia assidui erant in Apostolorum doctrina audienda et perseverantes in fractione panis.

Eucharistia quidem est animae et humanae societatis vita, sicut sol est corporum et orbis terrarum vita. Sine sole terra est sterilis, ille eam laetificat, exornat locupletátque; ille efficacitatem, vim, pulchritudinem corporibus tribuit. Coram his eventibus mirabilibus oportet nos non miramur paganos eundem velut mundi deum excoluisse. Diei astrum enim oboedit et paret summo Soli, Verbo divino, Iesu Christo, qui collustrat omnes homines in hunc mundum venientes et qui ipse per eucharistiam agit, sacramentum vitae, in intimis animis, ita ut hac ratione familias ac nationes infórmet, beata et quidem beatissima **fidelis** ánima quae hunc thesaurum absconditum invenit, quae sitim depéllit de vitae fonte, quae saepe hunc vitae Panem manducat.

Communitas christianorum insuper est familia. Vinculum inter eiusdem membra est Iesus-eucharistia. Ipse est pater qui mensam familiae parat. Fraternitas christiana promulgata est in Cena una cum Iesu Christi paternitate; ipse suos Apostolos appellat ***filiólos,*** scilicet meos pueros, et eisque mandat ut invicem se diligant sicut ille **dilexit** eos.

Apud sanctam mensam omnes sunt pueri qui eundem cibum suscipiunt, et sanctus Paulus ex hoc concludit eosdem familiam constituere, idem corpus, quia omnes de uno pane participantes, qui Iesus Christus est. Eucharistia denique communitáti christianae participat virtutem servandi legem honoris caritatisque erga proximum. Iesus Christus iubet suos fratres còlere ac diligere. Quam ob rem ipse eorundem personam induit: ***Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis;*** ipse unicuique per sanctam communionem se tradit.

Responsorium Cf. 1 Cor 10, 17; Io 6, 58a

%. Unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participámur. * Hic est panis, qui de caelo descendit.
y. Cibávit nos Dominus ex àdipe fruménti. * Hic est panis.

ORATIO

Deus, qui sanctum Petrum Iulianum, erga sacra mysteria Corporis et Sanguinis Filii tui, dilectione decorasti mirifica, concede propitius, ut, quam ille ex hoc divino convivio percepit pinguédinem, eandem et nos percipere mereámur. Per Dominum.

URBIS et ORBIS

DECRETUM

De celebratione Sancti Petri Claver, presbyteri, in Calendario Romano generali inscribenda

Decursu saeculorum semper in Ecclesia fuerunt homines virtute praeclari, qui divini Magistri mandatum novum secuti, in fratres minimos ac derelictos evangelizandos et sublevandos vitam suam impenderunt. Quos inter merito computatur Sanctus Petrus Claver, in oppido Verdunensi in Catalaunia natus die 26 iunii 1580, e familia religione ac morum integritate spectatissima.

Societatem Iesu iniit Barcinone anno 1602. Sancto Alfonso Rodríguez suadente, anno 1610, etsi nondum sacerdotio initiatus, ad Neogranatense regnum profectus est. Post longam navigationem Carthagenam novam ad oram maris Pacifici eodem anno appulit. Ad hanc civitatem Americae meridionalis in Columbia tempore illo mercatores occidentales confluebant suas vendituri merces ac praesertim Nigritas ex Africa adductos, qui ad durissima quaeque opera nulla humanitatis ratione habita addicebantur. Misérrimos istos homines servitute detentos Sanctus Petrus tanta caritate complexus est, ut illorum apostolus praedicetur. In civitate Santa Fé nuncupata, expleto theologiae curriculo, presbyter est ordinatus anno 1616. Carthagenae vero, postquam eo rediit, sex et quadraginta annos mansit usque ad obitum Nigritis convertendis atque pro ipsis Carthagenensibus pastoralem operam generose navavit. Peste correptus et quattuor per annos pluribus morbis obnoxius, in caelum migravit die 8 septembris 1654.

Die 7 iulii anni 1896 Sanctus Petrus Claver peculiaris apud Deum patronus sacrarum Missionum ad Nigritas a Summo Pontifice Leone XIII constitutus est.

Sanctus Petrus Claver evangelicae caritatis testis mirabilis ac fulgens exemplar elucet nostra quoque aetate, christianos admonens ut liberi a

quaque sui amoris immodici forma strenue allaborent ad societatem constituendam in iustitia, fraternitate ac pace fundatam.

Cum autem permulti e diversis mundi regionibus Excellentissimi Praesules petiissent ut celebratio Sancti Petri Claver, presbyteri, Calendario Romano generali inscriberetur, Summus Pontifex Ioannes Paulus II eandem celebrationem in Calendarium Romanum inseri decrevit, statuens ut memoria ad libitum Sancti Petri Claver, presbyteri, .quotannis die 9 septembris ab omnibus peragi possit.

Nova igitur memoria cunctis Ordinibus pro Missae et Liturgiae Horarum celebratione erit inscribenda atque eius indicatio ponetur in libris liturgicis cura Coetuum Episcoporum in posterum edendis.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, die 8 septembris 1995.

ANTONIUS M. card. JAVIERRE, *Praefectus*

& GERARDUS M. AGNELO, *archiep. a Secretis*

L. © S.

In Congr. de Cultu Divino tab., n. 2350/95/

Proprium Sanctorum Missalis Romani

Die 9 septembris

SANCTI PETRI CLAVER
presbyteri

De Communi pastorum, vel sanctorum virorum: pro iis qui opera misericordiae exercuerunt.

Collecta

Deus, qui beatum Petrum servorum servum effecisti
eumque mira in eis iuvandis caritate et patientia roborásti,
eius nobis intercessióne concede,
ut, quae Iesu Christi sunt, quaerentes,
próximos opere et veritate diligámus.
Per Dominum.

Liturgia verbi

De Communi pastorum, vel sanctorum virorum: pro iis qui opera misericordiae exercuerunt.

Lectio I: Is **58, 6-11** ***Frange esurienti panem tuum.***
Ps. Resp.: Ps **1, 1-2. 3. 4** et **6** ***In lege Domini voluntas eius.***
Alleluia: Io **13, 34** ***Mandatum novum do vobis, dicit Dominus, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.***
Evang.: Mt **25, 31-40** ***Quamdiu fecistis fratribus meis minimis, mihi fecistis.***

Proprium Sanctorum Liturgiae Horarum.

Die **9** septembris

SANCTI PETRI CLAVER
presbyteri

Petrus Claver Verduni in Hispania natus est anno **1580;** litteris et artibus studuit in Studiorum Universitate Barcinonensi et deinde Societatem Iesu ingressus est. Missionariam vocationem exaudivit speciatim ope S. Alfonsi Rodríguez, ianitoris in Collegio Maioricensi. Sacerdotio initiatus in missione Columbiana, ibidem usque ad mortem apostolatum exercuit inter servos Nigritas, factus ex voto « Aethiopum semper servus ». Viribus fractis, Carthagenae in Columbia obiit die **8** septembris **1654.**

De Communi pastorum, vel sanctorum virorum: pro iis qui opera misericordiae exercuerunt.

AD OFFICIUM LECTIONIS

Lectio altera

Ex Epistolis sancti Petri Claver, presbyteri
(Epist, diei **31** maii **1627:** A. Valtierra, S.I., San Pedro Claver, Cartagena, **1964,** pp. **140-141)**

Evangelizare pauperibus, mederi contritis corde, praedicare captivis indulgentiam

Heri, **30** maii huius anni **1627,** in festo Sanctissimae **Trinitatis,** exscendérunt e máxima navi plurimi Nigritae ex fluminibus Africae extrácti. Pro-

cúrrimus, ferentes in binis sportis áurea mala, cítrea, dulciária biscócta et nescio quid **aliud.** Casas eorum adímus. Videbámur Guineani alteram intrásse! per médias catervas perrumpéndum fuit, donec ad aegrotos pervenimus, quorum ingens erat numerus, húmido vel **potius** lutulènto solo decumbéntium — erat autem excogitatum, ne humor nimius esset, aggerem exstrúere, tégulas et latéritia frágmina intermiscéndo — hic ergo erat **eorum** lectus, non hac solum de causa perincómmodus, sed praecipue quia nudi erant, sine ulla vestium protectione.

Pósito igitur **pallio,** comportávimus ex mércium apothéca quidquid ad tabulátum compingéndum suberat: sic locum strávimus in quem, per **medios** manípulos perrumpéntes, aegrotos tandem deportávimus. Dein illos in binos coetus distribúimus: **alios** socius meus cum intérprete **adiit: alios** ipse adórtus sum. Duo erant Nigritae, morti quam vitae propiores, iam frigidi, et in quibus venárum pulsus haud repertus. Prunas ope tégulae contráximus atque in médium contúlimus, prope moribundos; dein in hunc ignem odores proiécimus, quorum duas bursas repletas habebamus, quas omnino hac occasione consúmpsimus. Deinde, ope nostrum palliórum, nam ipsi nihil huiusmodi habent et irrite **alia** ab ipsorum dominis petiissémus, suffiméntum praebúimus, quo aestum et vitalem spiritum recipere visi sunt. Erat videre qua oculórum hilaritáte in nos respicerent!

Hoc modo eos allocúti sumus, non verbis sed manibus et opere: et quidem, persuasum habentibus huc tractos esse ut comederéntur, quilibet **alius** sermo prorsus inutilis evasísset. Consédimus dein vel genufléximus apud ipsos, lavimúsque vino tum facies tum corpora, satagéntes blandítiis eos exhilaráre et pandéntes coram ipsis motiva naturalia quae aegrotos in laetitiam quoquomodo perducere valent.

Post haec aggressi sumus catechismum baptismi explicare, quales scilicet sint eius mirabiles effectus pro corpore et ánima: cum haec, quaestionibus nostris respondentes, visi sunt satis intellexisse, transivimus ad doctrinam fusiórem, de Deo scilicet uno, qui et praemia et poenas iuxta cuiusque mérita distribuit, et reliqua. Rogavimus eiicerent contritionis actum manifestaréntque commissorum detestatiónem. Tandem, cum sat parati visi sunt, declaravimus eis mysteria Trinitatis, Incarnationis et Passionis, et osteńdéntes Christum cruci affíxum, prout depíctus est supra baptismi fontem in quem défluunt ex Christi vulneribus sanguinis rivuli, praefvimus eis recitando, eorum lingua, actum contritionis.

Responsorium Mt 25, 35. 40; Io 15, 12

$L Esurfvi, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; hospes eram, et collegistis me: * Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.

y. Hoc est praeceptum meum, ut diligátis invicem, sicut diléxi vos. * Amen dico.

ORATIO

Deus, qui beatum Petrum servorum servum effecisti eumque mira in eis iuvandis caritate et patientia roborásti, eius nobis intercessióne concede, ut, quae Iesu Christi sunt, quaerentes, próximos opere et veritate diligámus. Per Dominum.

URBIS et ORBIS

DECRETUM

De celebratione Sancti Adalberti, episcopi et martyris, in Calendario Romano generali inscribenda

Gratiae et sanctitatis mirabilia, quae Deus in sanctis suis operatur, fulgide elucent in sancto martyre Adalberto (Wojciech), qui fuit episcopus secundus Pragensis. E nobili familia Slavnicoviensi ortus circa annum 956 in Lidice, sacrum diaconatum ac presbyteratum adeptus, in civitate Veronensi anno 983 episcopus est ordinatus. Romae apud monasterium Ordinis Sancti Benedicti in Aventino professionem religiosam peregit ac postea varia loca regionis Gallicae peragravit. Anno 996 proprio Metropolita annuente Poloniam adiit, benevole receptus a principe Boleslao Chrobry. Deinde missionariam peregrinationem in terra Borussiae iniit, usque dum ad Gedanum locum pervenit, paganos baptizans. Etsi minis increpatus, missionem suam continuavit, sed a gente Borussiae die 23 aprilis anno 997 necatus est. Eius exuviae usque ad hodiernum diem in civitate Gnesnensi religiose asservantur. Sanctus Adalbertus, qui e terra Bohémica oriundus missionalem activitatem exercuit in pluribus Europae nationibus, in Bohemia scilicet, Germania, Hungaria, Italia, Gallia, Polonia et Borussia, Evangelii praeco revera est habendus pro tot populis tantisque gentibus. Christianae fidei et civilizationis indefessus **Operator,** in pace et concordia homines diversae originis, linguae et culturae solidali vinculo obstrinxit, hodiernae evangelizationis exsequendae praeclarissimum exemplar.

Eius cultus multum se extendit in Europae centralis nationibus etiam temporibus nostris. Millenario autem anno ab eius martyrio appropinquante, Excellentissimus Dominus Miloslaus Vlk, Archiepiscopus Pragensis et Primas Cecoslovachiae, una cum Coetu Episcoporum Poloniae et aliis Coetibus Episcoporum Europae, enixe postulaverunt ut celebratio Sancti Adalberti Calendario Romano generali inscriberetur. Summus autem Pontifex Ioannes Paulus II eandem celebrationem in Calendarium Romanum inseri decrevit, statuens ut memoria Sancti Adalberti, episcopi et martyris, quotannis die 23 aprilis ad libitum ab omnibus peragi possit. Nova igitur memoria cunctis Ordinibus pro Missae et Liturgiae Horarum celebratione erit inscribenda atque eius indicatio ponetur in libris liturgicis cura Coetuum Episcoporum in posterum edendis.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, die 11 iulii 1995, in memoria Sancti Benedicti, abbatis, Europae Patroni.

ANTONIUS M. card. JAVIERRE, *Praefectus*

© **GERARDUS** M. **AGNELO**, *archiep. a Secretis*

L. © S.

In Congr. de Cultu Divino tab., n. 2849/95/L

Proprium Sanctorum Missalis Romani

Eodem die 23 aprilis

SANCTI ADALBERTI
episcopi et martyris

De Communi pastorum, vel unius martyris.

Collecta

Deus, qui sanctum Adalbértum episcopum
zelo animarum succénsum martyrio coronasti,
eius interveniente suffragio concede,
ut nec pastoribus oboedientia gregis
nec gregi desit cura pastorum.
Per Dominum.

Liturgia verbi

De Communi pastorum, vel unius martyris.

Lectio I: 2 Cor 6, 4-10 ***Quasi morientes, et ecce vivimus.***

Ps. Resp.: Ps 30, 3cd-4. 6 et 8ab. 16bc et 17 ***In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.***

Alleluia: Io 17, 19 ***Pro eis sanctifico me ipsum, dicit Dominus, ut sint et ipsi sanctificati in veritate.***

Evang.: Io 10, 11-16 ***Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus.***

Proprium Sanctorum Liturgiae Horarum

Eodem die 23 aprilis

SANCTI ADALBERTI
episcopi et martyris

Natus in Bohemia (Lidice) circa annum 956. Magdeburgi studiis incubuit ibique in confirmatione nomen Adalbertus accepit. In patriam reversus sacerdotio initiatus est et anno 983 secundus in sede Pragensi ad episcopatum provectus est atque ad mores paganos exstirpandos strenue adlaboravit. Cum parum se proficere animadverteret, Romam se contulit et monachus est effectus. Denique ad lucrandas Christo animas, in Prussiam proficiscitur. Sed male acceptus die 23 aprilis 997 martyrio coronatus est.

De Communi pastorum, vel unius martyris.

AD OFFICIUM LECTIONIS

Lectio altera

Ex vita auctore coaevo conscripta.
(Acta Sanctorum, Aprilis, III, pp. 186-187)

Crucem toto corpore complexus est

Congregat se undique iners vulgus, et quid de sancto Adalberto **dominus** villae foret acturus, furibunda voce et canino rictu exspectant. Tunc sanctus vir, quis et unde esset, vel ob quam causam illuc veniret interrogatus, **talia** e contra miti voce respondit: Sum nativitate Bohémus, nomine Adalbértus, professióne monachus, órdine quondam episcopus, officio nunc vester apostolus. Causa nostri itineris est vestra salus, ut relinquéntes simu-

lacra surda et muta, agnoscátis Creatorem vestrum, qui solus et extra quem alter Deus non est; ut credentes in nomine eius vitam habeatis, et atriis immarcescibilibus caelestium gaudiórum praemia percipere mereámini. Haec sanctus Adalbértus. Illi autem iamdudum indignantes, et cum clamóre blasphéma verba adversus eum proclamantes, mortem sibi minántur.

Ad ultimum áffuit pagánicus furor, et irruérunt super eum et socios impetu magno et iniecérunt omnes in vincula. Sanctus Adalbértus stans, contra Gaudentium et alium fratrem ligatum, Fratres — inquit — nolite contristan! Scitis nos, haec pati pro nomine Domini, cuius virtus ultra omnes virtutes, pulchritudo super omnes decores, potentia inenarrábilis, pietas singularis: quid enim fortius, quid pulchrius, quam dulcem pro dulcissimo Iesu fundere vitam?

Prosílit ex furibundo agmine igneus Siggo, et totis viribus ingens iáculum "movens, transfixit eius penetrália cordis. Profluit purpureus sanguis per forámina utriusque láteris. Ille oculis ac manibus stat orans in caelum. Exiit rubens amnis divite vena, et exstráctae hastae septem ingéntia vulnera pandunt.

Ille solutis vinculis extendit manus in modum crucis et suppliciter fusis precibus pro sua et persecutórum salute ad Dominum clamat. Sic illa sancta ánima carcere suo évolat, sic nobile corpus proténta Cruce terram occupat: sic quoque multo sanguine vitam fundens, beatis sedibus et semper carissimo tandem fruitur Christo.

Responsorium 1 Th 1, 8; Gal 4, 19

ÍL Cùpide volebámus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam ánimas nostras: * Quoniam carissimi nobis facti estis,

y. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. * Quoniam.

ORATIO

Deus, qui sanctum Adalbértum episcopum zelo animarum succénsum martyrio coronasti, eius interveniente suffragio concede, ut nec pastoribus oboedientia gregis nec gregi desit cura pastorum. Per Dominum.

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

MATRITEN.

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae a Monte Carmelo González-Valerio y Sáenz de Heredia, puellae (1930-1939)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Ne putaveritis aetatem minorem itineri ad consummatam perfectionem, ad sanctitatem, impedimento esse. "Sancti erunt inter puerulos", affirmavit sanctus decessor Noster Pius X, cum iis Tabernacula Eucharistica aperuit. Is sciebat, sicut et Nos novimus, hoc, iuxta quod "aetas corporalis non praeiudicat animae; unde etiam in puerili aetate homo potest consequi perfectionem spiritalis aetatis". Cum Iesus infantiam spiritalem tamquam condicionem ponat ingressus in Paradisum posteaque roget: "Sinite parvulos venire ad me", numquid negari potest ipsum puerulum posse perfectionem consequi evangelicam? » (Pius XII, *Allocutio: AAS* XL VI [1954], 49).

Vere per saecula plures pueri, a Sapientia divina docti et virtute sustenti Spiritus Sancti, perfectionem evangelicam sunt adepti ac vitae sanctitate Ecclesiam illustraverunt. Ad eorum classem pertinet Maria a Monte Carmelo González-Valerio y Sáenz de Heredia, quae brevem egit vitam in lumine fidei, spei et caritatis, Iesum crucifixum est imitata, victimam se devovit et cum amore propterque amorem doloris crucem usque ad sui sacrificium tulit.

Puellula haec, puro magnoque praedita corde, Matriti orta est pridie idus Martias anno 1930 a Iulio González-Valerio y Aliones et a Maria Carmelitide Sáenz de Heredia y Manzanos. Parentes ei familiam praebuerunt rebus materialibus copiosam et in primis concordem, humano calore locupletem fideque alta, congruenter in actibus cotidianis culta. Ii, cum avia materna et educatricibus eius spiritum imbuerunt et coluerunt in amore Dei et precationis, in pietate erga Sacrum Iesu Cor et Virginem Mariam, duxeruntque in sanctitatis viis, quas puera veloci gradu percucurrit mira cum alacritate intimoque gaudio. Namque gratia Baptismi atque Confirmationis, quam accepit duos annos nata, mature coepit fructus edere abundantes, qui eius pulchras mentis et cordis facultates extulerunt ac perfecerunt. Die 27 mensis Iunii anno 1936, diligenter praeparata, primam recepit Communionem attentissima cum cogitatione et exinde eius cura in sequendo imitandoque Christo impensior facta est et promptior. Ita etiam parvulae Mariae a Monte Carmelo id effectum est, quod Summus Pontifex Ioannes Paulus II scripsit in epistula ad pueros in anno Familiae (1994): «Quot pueris in Ecclesiae historia Eucharistia fons fuit roboris spiritalis, interdum

vel heroici! ». Pane confirmata eucharistico, non amplius sibi vixit, sed Domino, quem dilexit cuique omnibus viribus servivit, et proximo. Ut Iesu placeret prompte et accurate eius voluntatem fecit, divina mandata observavit, libenter mersa est in precatione privata, familiari et communi, crebro et fructuose ad sacramenta Paenitentiae et Eucharistiae accessit atque in Virginem Mariam fervidam filialemque nutrivit pietatem, quam praesertim Rosarii recitatione honoravit. Indoli suae vivaci ac forti est moderata et circa se bonitatem caritatemque circumfudit. Parentes amavit, fratres, propinquos, educatrices, pauperes et peccatores suumque esse animadvertit fidei disseminationi in mundo operam navare. Alienos sentiebat dolores et omni ope nitebatur maerentes consolari. Oboediens fuit, docilis, humilis, sincera, a rebus mundi aliena, in aegritudinibus patiens, prudens in verbis et in moribus, omnemque est nacta occasionem laetam aut acerbam ut in perfectione evangelica progrederetur. Forti voluntate praedita, in bono faciendo perseveravit nec umquam Iesum sequi et Deum laudare destitit totam per vitam suam. Anno 1936 durissimum discrimen domum eius et cor perculit. Saeviente in Hispania bello civili, pater eius, qui catholicorum ius defenderat filios in fide educandi, comprehensus, die 29 mensis Augusti est manuballista necatus. Post hunc calamitosum eventum, Serva Dei alios fecit in sanctitate progressus. Familiae, ut persecutionem fugeret, obeunda fuerunt non pauca nec levia incommoda, quoad Sanctum Sebastianum confugit in aviae maternae domum. Ibi puellula discipula fuit Ancillarum a Sacro Corde posteaque in ephebeum introivit Sororum Hiberniarum in loco Zalla. Munia scholastica est sedulo exsecuta, dum summa cum cura vitam suam spiritalem colebat, se precatione, castigatione et praesertim communione cotidiana aiens. Exemplum secuta Sanctae Teresiae a Iesu Infante, erga quam peculiarem nutriebat religionem, continuo se exercebat in parvis virtutum actibus et non solum patris occisoribus pepercit iisque, qui eius familiae difficultatum ac molestiarum causa fuerunt, sed pro eorum conversione et aeterna salute deprecabatur et omnia patiebatur. Die 6 mensis Aprilis, feria quinta in Cena Domini, anno 1936, orans in ecclesia Boni Pastoris Sancti Sebastiani, secreto se victimam Iesu devovit, probabiliter pro salute peccatorum proque adventu Regni Dei in Hispania odio subversa, violentia atque contra Ecclesiam persecutione. Postquam est in ephebeum reversa et eius valetudo, ad illud usque tempus florida ac robusta, coepit celeriter imminui. Non est compertum illam affectam esse scarlatina, quapropter non sunt tempestive adhibitae necessariae curae. Implicationes supervenerunt quae evaserunt in septichaemiam. Acerbus morbus tres duravit menses, per quos fidelis Christi discipula consciam et plenam ostendit consensionem cum Dei voluntate, continuum precationis spiritum, meditationis pariter et devotionis atque constantem crucis acceptionem. Quaelibet recusavit indoloria et, ne caris suis aegrimoniae causa esset, acerbos suos

dolores occultabat. Qui illi eo tempore affuerunt admiratione affecti sunt propter virtutum eius fulgorem ac soliditatem. In dies se ad vitam aeternam ingrediendam praeparavit magnaque cum pietate Sanctum Viaticum accepit atque, gravitatis morbi sui conscia, voluit sibi ministrari Unctionem Infirmorum. Die 17 mensis Iulii anno 1939, sciens se esse mox hunc mundum relicturam, a familiaribus veniam petivit suarum culparum omnesque est adhortata ut se fraterne diligerent; deinde placide in Domino obdormivit.

Serva Dei fama sanctitatis claruit in vita et praecipue inter morbum inque morte. Haec fama aucta est cum ex eius scriptis cognitum est eam se Deo victimam devovisse. Cum populi admiratio cresceret et eius veneratio, Episcopus Matritensis Causam iniit beatificationis et canonizationis per celebratum processum ordinarium informativum (annis 1961-1982), cuius auctoritas et vis probata est a Congregatione de Causis Sanctorum decreto die 19 mensis Aprilis anno 1985 promulgato. Positione confecta, quaesitum est an Serva Dei heroum in modum virtutes coluisset. Idibus Iuniis anno 1995, prospero cum exitu, actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris. Patres Cardinales deinceps atque Episcopi, in Sessione Ordinaria nonis Decembribus habita subsecutis, Causae Ponente Exc.mo Domino Petro Georgio Silvano Nesti, Archiepiscopo Camerinensi-Sancti Severini in Piceno, fassi sunt puerulam Mariam a Monte Carmelo González-Valerio y Sáenz de Heredia heroum more virtutes théologales, cardinales iisque adnexas exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae a Monte Carmelo Gonzalez- Valerio y Sáenz de Heredia, puellae, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 12 mensis Ianuarii A. D. 1996.

68 Albertus Bovone
archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. ©S.

& Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

MONASTERIEN.

Beatificationis seu Declarationis Martyrii Servi Dei Caroli Leisner, sacerdotis dioecesani (1915-1945)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

«Ex Apostoli Pauli sententia, praecipuum christianae perfectionis principium hoc praecepto declaratur: "Indmmini Dominum Iesum Christum" *(Rom* **13, 14).** Hoc autem praeceptum, si ad christifideles omnes pertinet, at potiore quodam modo sacerdotes obstringit. Atqui Iesum Christum indui non modo significat ad eius doctrinam mentem dirigere suam, sed novam etiam vitam ingredi, quae quidem ut Thaboris splendoribus fulgeat, Redemptoris nostri debet imprimis, in Calvaria patientis, doloribus angoribusque conformari. Hoc proiecto arduum adsiduumque laborem postulat, quo animus noster quasi victima efficiatur, ut cum Christi sacrificio intima ratione communicet» (Pius XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae,* I: *AAS* XLII [1950], 667).

Christo coniunctus, sacerdote ac victima, iuvenis Carolus Leisner in lumine fidei vixit, sedulo regni Dei interfuit aedificationi, labores obiit atque pericula pro Evangelio et demum crucis sacrificium communicavit, Calvariae viam percurrens acerbam et per martyrium « maximum amoris testimonium coram omnibus, praesertim persecutoribus » (CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 42) perhibens.

Intrepidus hic sacerdos ortus est die **28** mensis Februarii anno **1915** in oppido Rees, intra fines posito dioecesis Monasteriensis, et die **3** mensis Martii subsequentis baptismum accepit. A parentibus, Villelmo Leisner, tunc tribunalis cancellario, et Amalia Falkenstein solida est humana christianaque educatione imbutus, qua puer est ad amorem Dei et proximi adque officii conscientiam formatus. In loco Kleve, quo familia commigraverat anno **1921,** diligenter ludum catholicum frequentavit, primam Communionem accepit (anno 1925) atque Confirmationem (anno 1927). Laudabiliter studia continuavit in loci gymnasio-lyceo. Vivax et fortis cum ardore cotidiana explebat munia, naturam diligebat, iocòs sub divo, natationem, musicam et cantum; plectrocymbalum pulsabat, citharam et organum, atque bonorum librorum lectioni libenter se dedebat. Eucharistia et Evangelium ferventis et generosae animae eius alimentum fuerunt simulque studii, quod in motu catholico iuvenili praesertim explicavit, cuius inde a duodecim annorum aetate socius fuit citoque est dux factus certus et dilectus. Alacritatis plenus, sacrificii spiritus egregiisque exornatus facultatibus paedagogicis et ordinativis, multa per incepta iuvenum formationem christianam provexit eorumque in Christum et in Ecclesiam fovit fidelitatem. Nec derisum timuit nec simultates eorum, qui cum perniciosa doctrina consense-

rant nazismi, qui dicebatur, et periculis neglectis, quibus se committebat propter suum apostolatum, in publica fidei professione inque indefatigato animarum servitio perseveravit. Eodem tempore, sub confessoris moderatione, in cognitione, amore et imitatione Christi est progressus, qui vitae eius cardo factus est et eius cogitationum actuumque lux. Liturgia, Missa et Communio cotidiana, sacramentum Paenitentiae, impensa erga Virginem Mariam pietas, exercitationes spiritales, quibus intererat, fortem eum et perseverantem reddiderunt in Dei voluntate facienda necnon in baptismalibus muneribus. Lyceo peracto, statuit ad sacerdotium ascendere et Monasteriense Ephebeum Sancti Caroli Borromeo est ingressus ut in ea urbe philosophica et theologica studia iniret. Eodem anno eius Episcopus, Servus Dei Clemens Augustus von Galen, iurium Ecclesiae nazismo conculcatorum defensor, eum rectorem dioecesanum nominavit motus «Agminum iuvenilium» (Jungschar); duobus annis Carolus, ceteris non omissis officiis, hoc est functus munere summa cum diligentia atque est omnibus omnia factus ut quam plurimos iuvenes Christo lucrifaceret et a nazismi doctrina servaret. Rei publicae vigiles occulti, Ecclesiae infesti, illum inspexerunt et pluries comprehendere nisi sunt. Post operam obligatoriam, quam per sex menses anno 1937 navaverat locis in palustribus et insalubribus, eius valetudo gradatim imminui coepta est. Attamen suam instauravit praeparationem ad sacerdotium et die 29 mensis Martii anno 1939 Ordinem recepit Diaconatus. Paulo post apparuit eum pulmonum phthisi iam progressa esse correptum et est in valetudinarium Sancti Blasii deductus, in quo haud dubia specimina dedit obsequii erga Dei voluntatem, tranquillitatis interioris et fidelitatis in vocationem. Sanitas iam proxima videbatur, cum, ob ineptum verbum quod ex ore eius exierat, die 9 mensis Novembris anno 1939 Gestapo, quae dicebatur, id potuit efficere, quod antea statuerat, eumque in carcerem duxit Friburgensem; inde translatus est ad carcerem Manhemensem et deinceps ad publicae custodiae campos Sachsenhausensem et Dachaviensem (illuc anno 1940, huc annis 1940-1945), eo consilio, ut eius mors excieretur sicque in perpetuum eius apostolatui finis imponeretur inter iuvenes. Familiares eius vertentibus annis pluries auctoritates rogaverunt ut gratiam obtinerent, sed semper postulationibus restiterunt. Interim durissimae vitae condiciones, famem, frigus, salubritatis privatio et curationum medicarum egestas valetudini Servi Dei, iam incommodae, nocuerunt atque causa fuerunt phthisis intentions et denique eius mortis. Omnia aequo animo tulit, cum patientia ac Dei fiducia; suos dolores obtulit pro iuvenum bono illaque aegritudinis loca abiecta suarum eminentium virtutum fulgore illustravit. Namque splendidum perhibuit testimonium fidei vivae, firmae spei et in Deum inque proximum generosae caritatis. Odium et persecutio, quae in illum proruerunt, nihil aliud effecerunt, quam solidiorem reddiderunt et puriorem coniunctionem cum Christo atque id sunt consecu-

ta, ut docile esse et humile in manibus Dei instrumentum vellet. Cum amore et propter amorem est suam crucem amplexus seque ad Christum crucifixum conformavit. Liber dixerat: « Pro Christo nos vivimus semperque parati esse debemus ad monendum pro eo », et in commentariis suis scripserat: « Domine, quo vis eam, illuc ibo, etiam in tenebras, in miseriam, in dolorem », et etiam: «Vitam meam offero in holocaustum »; in carcere ostendit factis verborum suorum sinceritatem atque in dies congruenter ex sua vixit immolatione. Dominus, qui eum custodiebat, ardens eius votum exaudivit, ut esset sacerdos. Etenim, die 17 mensis Decembris anno 1944, consentientibus Episcopis Monasteriensi atque Monacensi et Frisingensi, clam in publicae custodiae campo ordinationem presbyteralem accepit per Episcopum Claromontanum Michaelem Piguet, et ipsum deportatum. Divinae victimae coniunctus, unicam Missam suam celebrare potuit die 26 mensis Decembris, in festo Sancti Stephani protomartyris. A copiis Americanis adepta victoria, Dei Servus liberatus est die 4 mensis Maii anno 1945 et in valetudinarium deductus loci Planegg apud Monacum Bavaricum. Anni in vinculis acti et privationes iam irreparabiliter eius destruxerant valetudinem; quapropter obviam ivit morti animo cum sereno veniaeque cum sensibus pro suis persecutoribus. In commentariis scripserat: «Benedic, Altissime, etiam inimicis meis». Meritis ornatus, intravit cum lucerna accensa in aeternitatem primis horis diei 12 mensis Augusti anno 1945 et statim est fidei martyr habitus. Eius corpus primum est in coemeterio loci Kleve sepultum et postea in crypta templi maximi Santenae. Fama martyrii perdurante, Episcopus Monasteriensis, permissu obtento a Sancta Sede ad normam M. P. « Sanctitas Clarior », initium fecit Causae beatificationis et canonizationis per celebratum processum cognitionalem (annis 1981-1982), cui additi sunt processus rogatoriales Spalatensis, Monacensis et Frisingensis. Annis 1990-1991 Monasterii celebrata est inquisitio dioecesana super martyrio et fama martyrii, cui adiunctae sunt inquisitiones rogatoriales Fuldensis, Linciensis, Spirensis et Friburgensis. Quorum processuum auctoritas et vis pariterque inquisitionum probata est a Congregatione de Causis Sanctorum decreto die 22 mensis Octobris anno 1993 promulgato. Praeparata Positione, disceptatum est super dubio: «An de martyrii eiusque causa constet ». Die 30 mensis Iunii anno 1995 actus est, exitu cum prospero, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Deinde Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria diei 21 secuti mensis Novembris, Causae Ponente Em.mo Cardinali D. Simone Lourdusamy, professi sunt sacerdotem Carolum Leisner verum fuisse martyrem fidei.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Pro-Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, praecepit ut decretum super martyrio Servi Dei rite conscriberetur.

Quod cum esset factum, accitis hodierna die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Cardinali Ponente meque Antistite a Secretis ceterisque de

more convocandis eisque adstantibus Beatissimus Pater declaravit: ***Constare de martyrio eiusque causa Servi Dei Caroli Leisner, Sacerdotis dioecesani, anno 1945 mortui, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 12 mensis Ianuarii A. D. 1996.

£8 Albertus Bovone
archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. ©S.

EB Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

NEAPOLITANA

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Ianuarii Mariae Sarnelli, sacerdotis professi e Congregatione SS.mi Redemptoris (1702-1744)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Ianuarius Maria Sarnelli, baronum de Ciorani primogenitus, natus est Neapoli pridie idus Septembres anno 1702. Doctoris gradum adeptus in iure canonico et civili, probe causas dixit in foro eodemque tempore praebendae aegrotis assiduitati se dedidit. Post ordinationem sacerdotalem, anno acceptam 1732, est Sanctum Alfonsum Mariam de' Liguori secutus, cuius amicus fuit fidelis, defensor et indefatigabilis adiutor, et est Congregationem Sanctissimi Redemptoris ingressus. Magnam Neapoli explicavit evangelizatricem industriam atque socialem, praesertim per praedicationem ad populum, contra vitium blasphemiae contentionem, meretricum redemptionem et cleri sanctificationem. Auctor fuit multorum operum naturae pastoralis et asceticae. Fama sanctitatis insignis, navum suum terrenum diem conclusit in urbe patria die 30 mensis Iunii anno 1744.

Beatificationis et canonizationis Causa inita est anno 1861 et, postridie calendas Décembres anno 1906, Summus Pontifex Pius X edixit Servum Dei heroum in modum virtutes théologales, cardinales iisque adnexas observavisse.

Aliquot ante annis in oppido Gargano, ad Neapolitanam provinciam pertinente, coniecta facta erat mira sanatio, intercessioni ascripta eiusdem Servi Dei. Casus, iudicio permissus nuper Congregationis de Causis Sanctorum beatificationis prospectu, ad Antonium Massa attinet, virum 39 annorum, qui postridie calendas Apriles anno 1896 ex improviso animadvertere coepit tremores frigoris et febris. Secutis diebus eius condiciones in peius versae sunt celeriter. Curans qui eum visitavit diagnosim fecit de infiamma-

tione meningis cerebri et Spinae gravi et mortali, cui addita est peripneumonia utriusque lateris. Idem affirmavit alius medicus, in consilium advocatus. Therapiae symptomaticae fuerunt et omnino inefficaces; quapropter aegrotus in deterius mutatus est adeo ut eius mors imminens exspectaretur; multo vespere diei 10 mensis Aprilis ei ministrata est Unctio Infirmorum. Sed iamdiu, casus gravitate visa et scientiae medicae inanitate, Antonii Massa familia auxilium divinum coeperat invocare per intercessionem Venerabilis Ianuarii Mariae Sarnelli, cuius imago in aegroti cubili erat exposita. Primis horis diei 11 mensis Aprilis subito facta est mira sanatio, quae mane eiusdem diei a duobus quoque medicis agnita est, qui eum curaverant.

Apud Curiam Nucerinam Paganorum, annis 1898-1899, instructus est processus apostolicus, cuius auctoritas et vis probata est ab id temporis Sacra Rituum Congregatione anno 1907. Consilium Medicorum Congregationis de Causis Sanctorum, in sessione diei 1 mensis Iunii anni 1995, declaravit sanationem Antonii Massa, ab inflammatione meningis cerebri et spinae cum adiuncta peripneumonia utriusque lateris, subitaneam fuisse, completam, stabilem et pro scientia inexplicabilem. Die 13 subsequentis mensis Octobris actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum et nonis Decembribus eiusdem anni Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium atque Episcoporum, Causae Ponente Exc.mo Domino Fiorino Tagliaferri, Episcopo Viterbiensi. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinahum et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Servo Dei Ianuario Maria Sarnelli, Sacerdote professo e Congregatione SS.mi Redemptoris, videlicet de subitanea, perfecta et mansura sanatione Antonii Massa a « meningite cerebrospinale con sopraggiunta polmonite bilaterale ».

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 12 mensis Ianuarii A. D. 1996.

& Albertus Bovone
archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. ©S.

Ifi Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

VALLISOLETANA

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Bernardi Francisci de Hoyos, sacerdotis professi e Societate Iesu (1711-1735)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Inde a principio Ecclesia in Cor Iesu, in cruce positi, oculos defixit, ex quo exivit sanguis et aqua, sacramentorum signa quae Ecclesiam constituunt; item, in Verbi Incarnati Corde Orientis simul atque Occidentis Patres christiani totius nostrae salutis operis initium viderunt, quod divini Redemptoris amoris est fructus, cuiusque hoc transfixum Cor symbolum est peculiariter efficax... Apud Christi enim Cor addiscit cor hominis verum et unicum vitae suae sensum sortisque suae iter; discit quoque vitae vere christianae momentum, quibus nempe industriis cavendum sit a cordis humani depravationibus, filialem Dei amorem indesinenter cum proximi amore coniungendo» (IOANNES PAULUS II, ***Epistula ad Praepositum Generalem Societatis Iesu,*** in ***Insegnamenti di Giovanni Paolo II,*** Libreria Editrice Vaticana, a. 1986, p. 843).

Apostolus autem, et quidem insignis, huius publici Cordis Christi cultus fuit in Hispania iuvenis Bernardus Franciscus de Hoyos qui, divino incensus amore et desursum speciali munere donatus, se ipsum extremosque brevis vitae suae annos instaurando Regno Cordis Iesu per Hispaniam devovit, efficaciter sic renovationem provehens fervoris religiosi in hominum cordibus.

Dignus hic Sancti Ignatii de Loyola discipulus nobili genere natus est in vico Torrelobatón, intra fines posito dioecesis Palentinae in Hispania, die **21** mensis Augusti anno **1711** atque ibidem post dies sedecim baptizatus; Confirmationis sacramentum octo natus annos accepit. Parentes, Emmanuel de Hoyos Bravo, tabellio, et Francisca Maria de Seña Fuica, diligenter eum educaverunt, qui docilem se praebuit et intellegentia praeditum. Studia, in pago patrio incepta, prosecutus est in ephebeis urbium Medina dei Campo (annis 1721-1722) et Villagarcía de Campos (annis 1722-1726), rectis a Patribus Societatis Iesu, qui eum propter intellectus dotes eximiasque virtutes magni fecerunt. Etenim, in utroque Instituto, ubi etiam eius parva statura commemoratur, praecipue duxisse fertur Bernardus ingenii vivacitate, studiorum cura, vitae probitate atque pietate, quam assidue alebat sacramentis, religione in Virginem Mariam, perseveranti eaque exactissima cotidianorum munium exsecutione. Illis annis statuit se Deo devovere et Societatem Iesu ingredi, sed ei firmiter obstiterunt parentes ipsique Patres Societatis Iesu, qui assentiri debuissent. Sed tandem eius perseverantia atque contentio vicit, et die **11** mensis Iulii anno **1726** in urbe Villagarcía de Campos potuit Bernardus novitiatum inire. Sine mora iter aggressus est ad perfec-

tionem evangelicam summaque cum fidelitate Regulas servavit et Constitutiones necnon superiorum praecepta, perfecte Sanctum Ioannem Berchmans in omnibus aemulatus; immo ostendens se praeditum esse maturitate spiritali aetate superiore. Iam tunc ei peculiaria dona mystica data sunt, quibus est ad altissimos precationis atque contemplationis gradus evectus; cumque haud prudentia destitueretur, miras suas interiores experientias moderatori spiritali et superioribus deferebat, qui eas veras agnoverunt. Die 12 mensis Iulii anno 1728 vota perpetua simplicia emisit, deinde philosophiae in Medina dei Campo studuit (annis 1723-1731), theologiae vero in ephebeo Vallisoletano Sancti Ambrosii (annis 1731-1735). Uti solebat, laudabiliter sua explevit munia opusque suae sanctificationis accurate continuavit, dum pergebat gratias et charismata accipere, quae mysticis cum Domino nuptiis cumulata sunt. Mense Maio anno 1733 revelationes coepit habere de Sacro Iesu Corde, cui se devovit subsequentis Iulii die 12, formula adhibita Sancti Claudii La Colombière. Munere accepto instaurandi in Hispania cultum publicum Sacri Cordis secundum formam Sanctae Margaritae Mariae Alacoque revelatam, magnum excitavit consilium de hac pietatis forma diffundenda, auxilio petito et obtento tum a sodalibus Societatis Iesu auctoritate insignioribus in Provincia Castellana, tum praesertim addito consensu Archiepiscopi Burgensis. Postridie calendas Ianuarias anno 1735 ordinatus est sacerdos et, studiis peractis translatus in ephebeum Sancti Ignatii in eadem urbe, Vallisoleti scilicet situm, ut tertiae probationis annum ibidem conficeret. Ex improviso est febri typhica correptus eiusque valetudinis condiciones in peius celeriter versae sunt. Omnino Dei voluntati obsequens dicebat: « Id tantum cupio, quod Cordi Iesu Sacratissimo placet ». Sacramentis confirmatus, sancte terrenam conclusit vitam die 29 mensis Novembris anno 1735. Cui applicari recte possunt Sapientiae verba: « Consummatus in brevi explevit tempora multa» (4, 13). Namque paucis annis culmen adeptus est perfectionis christianae, cum facilitate, perseverantia spiritalique gaudio virtutes christianas colendo alacriterque operam dando Ecclesiae atque animarum bono. Spiritus Dei plenus sanctique fervoris, fidei lumen ubicumque erat circumfudit, spei etiam et caritatis; atque, nullis rebus conspicuis factis, exemplar fidelitatis exstitit in Dei gratiam, in vocationem inque officia proprii status. Divinam revelationem firmiter credidit, precesque assidue coluit, necnon contemplationem, pietatem eucharisticam et Mariales devotiones; quibus omnibus, nec sine peritia et studio, talenta quae abunde a Domino acceperat, est libenter feneratus. Tenebrarum quoque temporibus ambulare perrexit coram Deo et in oboedientia eius verbis atque afflatibus perseveravit. Difficulter apud fratres sodales flammam celasset caritatis, quae ex verbis, ex actibus et ex scriptis eius apparebat. Affirmavit: « Deum meum amo ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus. In eius amore cor meum ardet, uritur, inceditur et suavissime consumitur». Divini amo-

ris incendium fortius factum est et vehementius post Sacri Cordis Iesu visionem, quod caput fuit eius spiritalitatis et apostolatus fonsque consolationum. Cum Corde Christi, in quo habitabat et vivebat, impetus amoris communicabat; peccata sua humanique generis fiebat et expiabat; pro fidei propagatione in mundo precabatur; maeroribus, morbis et paupertate proximorum movebatur; libenter pro Dei gloria proque animarum salute sanguinem fudisset. Sacerdos factus, fructuose ministerium exercuit praedicationis ac paenitentiae sacramentum ministravit. Bonitate fulsit, dulcedine et indolis aequabilitate, mansuetudine et affabilitate morum, prudentia in loquendo et in agendo, fortitudine in doloribus ferendis, tum spiritus tum etiam corporis, atque vitae communis asperitatibus, iustitia, temperantia, continentiae spiritu ac paenitentiae et sedula religiosorum votorum observantia. A mundi rebus plane alienus, diligenter thesauros cumulavit in caelo, totamque spem suam in Dei misericordia collocavit.

Tam fuit alacer et perfectus in Christo sequendo et imitando, ut fama sanctitatis claruerit in vita, in morte et post mortem ac, volventibus annis, eius virtutum memoria viva manserit in Societate Iesu et per totam Hispaniam pervagata sit; quapropter Archiepiscopus Vallisoletanus initium fecit Causae beatificationis et canonizationis per processus ordinarii informativi celebrationem (annis 1895-1899). Anno 1902 promulgatum est decretum super scriptis; anno autem 1914 decretum super Causae introductione, anno denique 1917 decretum de non cultu. Apud eandem Curiam instructus est processus apostolicus annis 1915-1919; quem secuta est die 31 mensis Maii anno 1961 Sessio Consultorum Historicorum. Disceptatum deinde est an Servus Dei virtutes heroum more exercuisset. Exitu cum prospero die 27 mensis Iunii anno 1995 Congressus Peculiaris est actus Consultorum Theologorum. Patres Cardinales postea et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 12 mensis Decembris subsequentis, Causae Ponente Exc.mo Domino Andrea Maria Erba, Episcopo Veliterno-Signino, professi sunt Patrem Bernardum Franciscum de Hoyos heroum in modum virtutes théologales, cardinales iisque adnexas observavisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Ber-***

nardi Francisci de Hoyos, Sacerdotis professi e Societate Iesu, in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 12 mensis Ianuarii A. D. 1996.

© Albertus Bovone
archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. © S.

© Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

BARRAGARTIENSIS, GUIRATINGENSIS et SANCTI FELICIS

de finium mutatione

DECRETUM

Quo aptius christifidelium pastorali curae consuli possit, Exc.mi PP. DD. Antonius Sarto, Episcopus Barragartiensis, Iosephus Foralosso, Episcopus Guiratingensis et Petrus Casaldáliga Pia, Episcopus Praelatus Sancti Felicis, unanimi consensu ab Apostolica Sede expostulaverunt ut circumscriptionum sibi concreditarum fines aliquantulum immutarentur. Congregatio pro Episcopis, praehabito favorabili voto Exc.mi P.D. Alfii Rapisarda, Archiepiscopi titulo Cannensis et in Brasilia Apostolici Nuntii, rata huiusmodi immutationem christifidelium bono profuturam, vigore specialium facultatum sibi a Summo Pontifice Ioanne Paulo, divina Providentia PP. II, tributarum, oblatis precibus annuendum censuit. Quapropter, hoc Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, a praelatura Sancti Felicis integrum territorium municipii « Canarana », prout in lege civili nunc exstat, distrahit idque dioecesi Barragartiensi adnectit, a dioecesi autem hac illam partem territorii municipii « Cocalinho » separat, quae ad septemtrionem fluminis « Manacuru dos Antigos » exstat eamdemque praelaturae Sancti Felicis assignat; seiungit insuper a dioecesi Guiratingensi municipii « Pontal do Araguaia » integrum territorium, quod dioecesi Barragartiensi addicit. Ad clerum quod attinet statuit ut simul ac praesens Decretum ad effectum deductum fuerit sacerdotes Ecclesiae illi censeantur adscripti in cuius territorio ecclesiasticum officium detinent; ce-

ter! autem sacerdotes, clerici seminariique tirones circumscriptioni illi incardinati maneant vel incardinentur in cuius territorio legitimum habent domicilium. Quamobrem documenta et acta praefatarum regionum clericos, fideles ac bona temporalia respicientia a Curiis ecclesiasticarum circumscriptionum de quibus seiuncta sunt ad Curias illarum quibus noviter sunt adnexa transmittantur. Ad haec perficienda Congregatio pro Episcopis deputat memoratum Exc.mum Apostolicum Nuntium vel, ipso a sede absente, negotiorum Sanctae Sedis in Brasilia gestorem, necessarias et opportunas eisdem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eamdem Congregationem, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 12 mensis Februarii anno 1996.

SB BERNARDINUS card. GANTIN, ***Praef.***

EB G. MEJÌA, ***a Secretis***

L. & S.

In Congr. pro Episcopis tab., n. 1077J96

PROVISIO ECCLESIARUM

die 30 Aprilis 1996. — Metropolitanae Ecclesiae Portlandensi in Oregon Exc.mum P.D. Franciscum Eugenium George, O.M.I., hactenus Episcopum Yakimensem.

die 2 Maii. — Titulari episcopali Ecclesiae Castellanae R.D. Ioannem Danzi, e clero dioecesis Luganensis, Pontificiae Commissionis pro Statu Civitatis Vaticanae a Secretis necnon Vaticanae Civitatis Praefecturae Secretarium Generalem.

die 4 Maii. — Metropolitanae Ecclesiae Kaunensi Exc.mum P.D. Sigitas Tamkevicius, hactenus Episcopum titularem Turudensem et Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 7 Maii. — Metropolitanae Ecclesiae Tolosanae Archiepiscopum Coadiutorem, Exc.mum P.D. Aemilium Marcus, hactenus Episcopum Nannetensem.

die 10 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Sanctae Annae Pocatierensi, Exc.mum P.D. Clementem Fecteau, hactenus Episcopum titularem Talaptulensem et Auxiliarem archidioecesis Quebecensis.

die 14 Maii 1996. — Titulari episcopali Ecclesiae Ursonensi R.D. Caesarem Augustum Franco Martínez, episcopalem in archidioecesi Matritensi Vicarium, quem constituit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Cediensi R.D. Iesum Fidelem Herráez Vegas, Vicarium generalem Matritensem, quem constituit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 15 Maii. — Titulari episcopali Ecclesiae Tepeltensi R.D. Carolum Verzeletti, e clero dioecesis Brixiensis, curionem paroeciae vulgo « Nossa Senhora de Nazaré » nuncupatae, in urbe Viseu, dioecesi Brigantiensi de **Para** spectanti, quem deputavit Auxiliarem Archiepiscopi Belemensis de **Para.**

die 17 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Montis Albani R.D. Bernardum Housset, hactenus Vicarium episcopalem Baionensem.

die 22 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Taubatensi R.P. Carminem Ioannem Rhoden, S.C.I., paroeciae Sancti Aloisii Gonzaga in archidioecesi Florianopolitana parochum.

die 24 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Reykiavikensi Exc.mum P.D. Ioannem Baptistam Matthiam Gij sen, hactenus Episcopum titularem Mosae Traiectensis et Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » eiusdem dioecesis.

— Cathedrali Ecclesiae Turiasonensi Exc.mum P.D. Ioachimum Carmelum Borobia Isasa, hactenus Episcopum titularem Elotonensem et Auxiliarem Caesaraugustanum.

die 25 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Chulucanensi Episcopum Coadiutorem R.P. Danielem Turley Murphy, Ordinis Fratrum Sancti Augustini sodalem, hactenus in eadem dioecesi paroeciae vulgo Pacaipampa nuncupatae curionem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Darensi Syrorum Exc.mum P.D. Iosephum Melki, Patriarchatus Antiochensis Syrorum Auxiliarem, hactenus Episcopum titularem Arethusium Syrorum.

— Titulari episcopali Ecclesiae Mardinensi Syrorum Exc.mum P.D. Eliam Tabé, Patriarchatus Antiocheni Syrorum Auxiliarem, hactenus Episcopum titularem Bathnensem Syrorum.

die 25 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Fortalexiensi Exc.mum P.D. Claudium Hümmes, hactenus Episcopum Sancti Andreae in Brasilia.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza:

Lunedì, 13 Maggio 1996, S. E. il Signor Luiz FELIPE LAMPREIA, **Ministro degli Affari Esteri del Brasile.**

Venerdì, 17 Maggio 1996, S. E. il Signor RAFIC HARIRI, **Primo Ministro del Libano.**

Mercoledì, 22 Maggio 1996, S. E. il Signor GENNADI Y. UDOVENKO, **Ministro degli Affari Esteri dell'Ucraina.**

Da Venerdì 17 a Domenica 19 maggio 1996 il Santo Padre si è recato in Apostolico pellegrinaggio in Slovenia.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

1	aprile	1996.	P. Luigi Favero, S. M., ***« Magister » della Pontificia Accademia « Cultorum Martyrum ».***
9	maggio	»	Mons. Francesco Di Felice, ***Sotto-Segretario del Pontificio Consiglio per la Famiglia.***
13	» «	»	Il dott. Stefano Righetti, ***Dirigente per l'ordine e la sicurezza nella Patriarcale Basilica di San Pietro in Vaticano.***
17	»	»	S. E. mons. Agostino Superbo, Vescovo em. di Altamura-Gra vina-Acqua viva delle Fonti, ***Assistente Ecclesiastico Generale dell'Azione Cattolica Italiana « ad triennium ».***
21	»	»	Il sig. Hans-Peter Röthlin, ***Sotto-Segretario del Pontificio Consiglio delle Comunicazioni Sociali « in aliud quinquennium ».***
23	»	»	L'Em.mo Signor Cardinale Carlo Fumo, ***Delegato Pontificio per la Patriarcale Basilica di San Francesco in Assisi.***
24	»	»	Don Anacleto Pavanetto, S.D.B., ***Capo Ufficio nella Sezione per gli Affari Generali della Segreteria di Stato.***

NECROLOGIO

6	maggio	1996.	Card. Leo Jozef Suenens, del titolo di San Pietro in Vincoli.
9	»	»	Mons. Luciano Angeloni, Arcivescovo tit. di Vibo Valentia.
16	»	»	Mons. Francesco Tarcisio Bertozzi, Vescovo di Faenza-Modigliana *(Italia)*
30	»	»	Card. Léon-Etienne Duval, del titolo di Santa Balbina.

An. et vol. LXXXVm 11 Iulii 1996 N. 7

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano - *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

CAECI ABULENSIS

A dioecesi Camagueyensi quodam distracto territorio, nova conditur Caeci Abulensis appellanda.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Universale Ecclesiae ministerium ab ipso Domino Nobis commissum summa diligentia explicare innitimur, ut eiusdem salutaria beneficia et praecepta omnia loca contingant cunctasque efficaciter gentes. Idcirco Nos res disponere properamus quo facilius commodiusque hoc eveniat. Quocirca cum Venerabilis Frater Adolphus Rodríguez Herrera, Episcopus Camagueyensis, audita Conferentia Episcoporum Cubae, postulaverit ut, ecclesiasticae circumscriptionis sibi commissae territorio quodam seiuncto, nova conderetur dioecesis, favente quoque Venerabili Fratre Beniamino Stella, Archiepiscopo titulo Midilensi et in Republica Cubana Apostolico Nuntio, de Congregationis pro Episcopis consilio, haec Apostolica Nostra potestate usi statuimus et decernimus: a dioecesi Camagueyensi integrum territorium civilis provinciae « Ciego de Avila » seiungimus, cui illa pars addatur civilis provinciae «Sancti Spiritus» populari sermone Jatibonico vocitata. Inde novam dioecesim constituimus, Caeci Abulensis appellandam, quae iisdem ter-

minatur finibus quibus supra memoratum territorium. Novae dioecesis sedem in urbe Ciego de Avila locamus, templumque ibidem situm idemque Deo in honorem Sancti Eugenii «de la Palma» dicatum ad gradum evehimus Ecclesiae Cathedralis, cunctis consentaneis concessis iuribus et privilegiis. Caeci Abulensis Episcopus iisdem fruetur iuribus ceterisque rebus, quibus reliqui Praesules. Novam constitutam Ecclesiam Metropolitanae Sedi Sancti Iacobi in Cuba suffraganeam facimus eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi Sancti Iacobi in Cuba pro tempore subicimus. Consultores dioecesani deligantur ad iuris normam, qui ipsi Episcopo opem ferant. Congruam Praesulis sustentationem novae dioecesis Curiae emolumenta, fidelium oblationes et portio procurabunt, quae ei obveniet ex divisione, ad normam can. 122 C.I.C., bonorum quae antehac ad mensam episcopalem Camagueyensem pertinuerunt. Quod ad seminarii erectionem atque sacrorum candidatorum formationem praescripta Congregationis de Institutione Catholica serventur. Seminarii quidam tirones itemque sacerdotes ad studia complenda Romam mittantur, si fieri potest. Quod autem ad novae dioecesis regimen pertinet, bonorum ecclesiasticorum administrationem, Administratoris dioecesani, sede vacante, electionem, fidelium iura aliaque horum similia, quae sacri canones praecipiunt serventur. Simul atque novae dioecesis constitutio ad effectum deducta erit, eo ipso sacerdotes Ecclesiae illi censeantur assignati in cuius territorio officium ecclesiasticum habent, ceteri vero sacerdotes, semininariique tirones illi Ecclesiae in cuius territorio legitimum detinent domicilium. Acta et documenta, quae in universum novam dioecesim respiciunt, a Curia Camagueyensi ad Curiam Caeci Abulensis transferantur. Ad haec tandem explenda quae per has Litteras iussimus, ante memoratum Venerabilem Fratrem Beniaminum Stella legamus, facta etiam potestate subdelegandi quemlibet in ecclesiastica potestate constitutum. Re denique ad exitum perducta, documenta apparentur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Episcopis diligenter mittantur, contrariis rebus minime obsistentibus quibuslibet.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die altero mensis Februarii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo sexto, Pontificatus Nostri duodevicesimo.

ffi ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

SB BERNARDINUS card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, ***Protonot. Apost.***
Franciscus Chiaurri, ***Protonot. Apost.***

Loco 83 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 386.890

II

ALTENSIS QUETZALTENANGUENSIS-TOTONICAPENSIS

In Guatimala nova Provincia ecclesiastica constituitur Altensis, Quetzaltenanguensis-Totonicapensis, cuius metropolitana Ecclesia erit Sedes eiusdem nominis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

De spirituali Christifidelium suorum bono solliciti, nuper sacrorum Antistites Conferentiae Episcoporum Guatimalae ab hac Apostolica Sede unanimo consensu postulaverunt ut, detractis quibusdam territoriis a Provincia Ecclesiastica Guatimalensi, quae multitudine civium ac numero suffraganearum dioecesium eminet, nova Provincia Ecclesiastica constitueretur, cui ecclesia Cathedralis ad hoc usque tempus Altensis nuncupata uti metropolitana Sedes daretur nova sumpta denominatione Altensis, Quetzaltenanguensis-Totonicapensis. Nos quidem, favente quoque eidem rei Venerabili Fratre Ioanne Baptista Morandini, Archiepiscopo titulo Numidensi et in eadem Natione Apostolico Nuntio, de consilio Congregationis pro Episcopis, admotae postulationi libenter concedendum esse putavimus. De plenitudine igitur Apostolicae Nostrae potestatis, sequentia decernimus. Altensem episcopalem Sedem a metropolitico iure Ecclesiae Guatimalensis seiungimus et ad gradum archiepiscopalis metropolitanae Ecclesiae evehimus nomine ***Altensis, Quetzaltenanguensis-Totonicapensis,*** cui proinde iura ac privilegia cuncta conferimus, quibus ceterae metropolitanae Sedes ad normam communis iuris fruuntur. Nova exinde Provincia Ecclesiastica constabit sane ex metropolitana Ecclesia eiusdem nominis et ex dioecesibus Sancti Marci in Guatimala, Sololensi, Quicensi et Gerontopolitana, hactenus ad Provinciam Ecclesiasticam Guatimalensem spectantibus. Insuper Altensem, Quetzaltenanguensem-Totonicapensem pro tempore sacrorum Antistitem archiepiscopali dignitate augemus et gradu Metropolitae insignimus iuribus ac privilegiis cumulatum, quae in catholica Ecclesia sunt secundum canones Codicis Iuris Canonici ceteris Metropolitis, dum aequalibus etiam officiis eundem cumulamus oneribusque obstringimus quibus illi etiam gravantur. Praeterea Venerabilem Fratrem Victorem Hugonem Martínez Contreras, hactenus

Episcopum Altensem, ad archiepiscopalem dignitatem et gradum Metropolitae promovemus, quem iuribus quoque exornamus et privilegiis quibus potiuntur alii per orbem Metropolitae, at oneribus similiter nectimus et officiis quibus illi itidem subiacent. Quae vero praescripsimus, committimus perficienda Venerabili Fratri, quem diximus, eidem tribuentes necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito mittendi, cum primum fas erit, sincerum exemplar actus peractae exsecutionis ad Congregationem pro Episcopis. Iubemus denique omnia et singula hac Apostolica Constitutione decreta vim sortiri suam sive nunc sive in posterum, quibusvis rebus haud quaquam obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die tertio decimo mensis Februarii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo sexto, Pontificatus Nostri duodevicesimo.

SB ANGELUS card. SODANO *Secretarius Status* ffi BERNARDINUS card. GANTIN *Congr. pro Episcopis Praef*

Angelus Lanzoni, ***Protonot. Apost.***
Franciscus Chiaurri, ***Protonot. Apost.***

Loco ffi Plumbi
In Secret. Status tab., n. 388.131

III

NEBBENSIS

Nova in Uganda constituitur dioecesis, Nebbensis appellanda.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum ad aeternam dominici gregis salutem provehendam aptiusque dioecesium regimini et administrationi consulendum in supremi Pastoris munere simus constituti, novas Ecclesias, ubi sive nimio territorio sunt amplae sive christifidelium numero frequentes, condere properamus. Cum igitur preces admotae sint ut in Uganda nova constitueretur dioecesis, Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules Congregationi pro Gentium

Evangelizatione praepositi, re mature perpensa, praehabito favorabili voto Venerabilis Fratris Aloisii Robles Díaz, Archiepiscopi titulo Stephaniacensis et in Uganda Apostolici Pro-Nuntii, auditisque eorum quorum interest votis, admotis precibus libenter concedendum esse censuerunt. Nos igitur eiusdem Congregationis sententiam excipientes ratamque habentes, Apostolica Nostra potestate haec statuimus et decernimus. Territorium regionis civilis vulgo dictae Nebbi et pars districtus Aruaënsis vulgo Madi-Okollo usque ad flumen vulgo Anyau, a dioecesi Aruaënsi distrahimus; ex iisque novam constituimus dioecesim ***Nebbensem*** appellandam, quam metropolitanae Ecclesiae Kampalaënsi suffraganeam facimus, atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Iubemus insuper ut Episcopi sedes in urbe vulgo Nebbi ponatur, in templo Immaculato Cordi Mariae dicato, quod simul ad gradum et dignitatem Ecclesiae Cathedralis evehimus cuique propria insignia, privilegia et honores tribuimus. Cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Aloisium Robles Díaz, quem supra diximus, legamus. Re tandem ad exitum perducta, documenta apparentur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione diligenter mittantur. Hanc denique Constitutionem Apostolicam ratam esse volumus sive nunc sive in posterum, contrariis rebus quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die tertio et vicesimo mensis Februarii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo sexto, Pontificatus Nostri duodevicesimo.

ffi ANGELUS card. SODANO
Secretarius Statui

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Angelus Lanzoni, ***Protonot. Apost.***
Franciscus Chiaurri, ***Protonot. Apost.***

Loco ® Plumbi
In Secret. Status tab., n. 390.199

IV

REIPUBLICAE CECHAE SEU PRAGEN. PRO FIDELIBUS BYZANTINI RITUS

Exarchia Apostolica pro Christifidelibus Byzantini ritus in Republica Cecha commorantibus constituitur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quo aptius consuleretur spirituali saluti atque regimini Christifidelium Byzantini ritus in Republica Cecha commorantium, Nos, uti Successores beati Petri de totius Dominici gregis bono solliciti, audito Venerabili Fratre Nostro Angelo S.R.E. Cardinale Sodano, Secretario Status, in Audientia die duodevicesimo mensis Ianuarii hoc anno illi concessa, Exarchiam Apostolicam pro iisdem censuimus esse condendam. Summa igitur Apostolica potestate, quadam detracta parte territorii ab Eparchia Presoviensi, novam constituimus ***Exarchiam Apostolicam pro Christifidelibus Byzantini ritus in Republica Cecha,*** cuius Sedem in urbe Praga poni iubemus suam habentem Cathedralem ecclesiam in templo Sancto Clementi Papae dicato, cunctis factis propriis iuribus atque obligationibus. Haec omnia reliquaque secundum normas Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium temperentur. Insuper de eodem absoluto negotio sueta documenta exarentur et ad Congregationem pro Ecclesiis Orientalibus mittantur. Hanc denique Apostolicam Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus nihil obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die quinto decimo mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo sexto, Pontificatus Nostri duodevicesimo.

© ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

ACHILLES card. SILVESTRINI
Congr. pro Eccl. Oriental. Praef.

Eugenius Sevi, ***Protonot. Apost.***
Franciscus Chiaurri, ***Protonot. Apost.***

Loco ffl Plumbi
In Secret. Status tab., n. 390.109

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Servae Dei Mariae Poussepin Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Vidit fecitque quod erat bonum coram Domino; rogavit, vigilavit utique et inimicus non superseminavit zizania in medio domus suae » (cf. ***2 Reg*** 18, 3; ***Mt*** 13, 25). Quae verba, in sepulcro Venerabilis Servae Dei Mariae Poussepin inscripta, manifestant sane ipsam animum moresque suos evangelicis normis plane confirmavisse. Caritate quidem fervens et prudentia vigilans, longae vam traduxit aetatem suam « plena operibus bonis et eleemosynis » ***(Act*** 9, 36).

Venerabilis Serva Dei Maria Poussepin, septem fratrum primogenita, nata est et baptizata die XIV mensis Octobris, anno MDCLIII, in oppido vulgo appellato Dourdan, intra fines dioecesis Carnutensis. Parentes opibus et christiana caritate abundabant: Claudius Poussepin, pater eius, gubernator erat fabricae, ubi serica tibialia conficiebantur; mater autem, Iuliana Fourrier, dispensatricem agebat Sodalitatis cuiusdam beneficae in pauperes aegrotantes, ad sancti Vincentii de Paul imitationem.

Naturalibus intellectus et cordis dotibus insignita atque a parentibus disciplinis optime instituta, Venerabilis Serva Dei, caritate Christi urgente (cf. ***2 Cor*** 5, 14), eidem beneficae Sodalitati nomen dedit et assidue aegrotos curavit. Anno MDCLXXXIII, post patris mortem, fabricae regimen suscepit atque impigro se gessit ingenio, sive in egenis sublevandis, sive in fabrica aptioribus munienda instrumentis. Provida mulier, humanam opificum dignitatem alte persensit et ultro promovit.

Cum ingressa esset in Ordinem de Paenitentia Sancti Dominici, dilatare maluit caritatis spatia. Quapropter, anno MDCXCVI laribus commodisque suis relictis, vicum petiit cui nomen Sainville, sat infrequentem, sociandasque sibi curavit comites « ad utilitatem paroeciae, ad erudiendam iuventutem, ad egenis aegrotisque serviendum », ut ipsamet scripto et facto fassa est. Quod sodalicium, a Caritate dictum, in alia undeviginti loca provexit et regulis communivit omnimoda prudentia refertis: haec ab episcopo Carnutensi anno MDCCXXXVIII rite sunt agnita. Tanta « filia, quam Dei providentia inspiravit », industriosa ratione contulit ad exsequendas in Gallia leges quae

ruricolis in scholis educandis atque aegrotis pauperibus ex morbo recreandis consulebant. Auctoritate Ludovici XV regis Mariae incepta rata fuerunt. Non ei defuerunt rerum adversitas et hominum acerbitas: patientia et oboedientia suffulta, animose illa difficultates omnes est supergressa.

Paupercula ex divite facta, divitis Dei misericordia fisa, plurimis caritatis operibus ac virtutibus adornata, die xxiv mensis Ianuarii, anno MDCCXLIV in vico Sainville placide in Christo requievit.

Famulae Dei veneratio in sancta crevit recordatione, propter non intermissam sanctitatis famam obque ipsius in dies crebrescentem consociationem, quae nunc nomine appellatur Sororum Caritatis Dominicanarum a Praesentatione B.V.M.

Inita est ergo canonizationis Causa, constructi de more fuerunt, ab anno MCMXI ad annum MCMXXVII, apud Curiam Turonensem consueti processus, super fama prius, deinde super virtutibus, quos secuta est cribrata documentorum inquisitio. Peractis omnibus ad normam iuris statutis, Nosmet Ipsi de heroicis Servae Dei Mariae Poussepin virtutibus constare ediximus, lato per Congregationem de Causis Sanctorum decreto die xxi mensis Decembris, anno MCMXCI. Exinde, die xxin mensis Decembris, anno MCMXCIII, promulgatum est decretum super miro, intercessioni Venerabilis Servae Dei assignato, quod et Nos pariter ratum habuimus. Statuimus igitur ut Beatificationis ritus die xx mensis Novembris, anno MCMXCIV, celebraretur. Hodie igitur, in aula Vaticanae Basilicae, inter Missarum sollemnia, hanc pronuntiavimus formulam:

«Nos, vota Fratrum Nostrorum Camilli Cardinalis Ruini, Vicarii Nostri pro Romana dioecesi, Ioannis Honoré, Archiepiscopi Turonensis, Henrici Brincard, Episcopi Aniciensis, Alberti Houssiau, Episcopi Leodiensis et Eugenii Ravignani, Episcopi Victoriensis Venetorum, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Hyacinthus Maria Cormier, ***Maria Poussepin,*** Agnes a Iesu Galand de Langeac, Eugenia Joubert et Claudius Granzotto, Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum: Hyacinthi Mariae Cormier die vicesimo primo mensis Maii; ***Mariae Poussepin*** die decimo quarto mensis Octobris; Agnetis a Iesu Galand de Langeac die decimo nono mensis Octobris; Eugeniae Joubert die altero mensis Iulii; et Claudii Granzotto die altero mensis Septembris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

Quae autem statuta hic sunt, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibusvis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xx mensis Novembris, anno MCMXCIV, Pontificatus Nostri septimo decimo.

EB ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco © Sigilli
In Secret. Status tab., n. 386.655

II

Venerabilibus Dei servis Dionysio Pamplona et XII sociis martyribus Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Beati estis cum maledixerint vobis et persecuti vos fuerint et dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me. Gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis ***(Mt*** 5, 11-12). Verba Domini haec tot hominum historiam notaverunt, antiquae et recentis aetatis, qui, ut fidem Eidem servarent, omne genus persecutiones usque ad ipsam necem passi sunt. Historia est quoque XIII Martyrum Ordinis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, qui una cum tot aliis testibus cruentatis fidei, vitam suam in religionis persecutione, civili bello saeviente Hispanico annis MCMXXXVI-MCMXXXIX, tradiderunt. « Vos conveniemus iterum in paradiso »: novissima haec fuerunt verba Venerabilis Dei Servi Dionysii Pamplona et fere omnium XII Sodalium Ordinis supra memorati, qui martyrio sunt affecti a mense Iulio ad Decembrem anni MCMXXXVI, dum quoque verba persecutoribus veniae dandae sunt addita.

Eorum martyrium Spiritus Sancti peculiare pro cuncta Ecclesia fuit donum; non fuerunt ipsi héroes humani cuiusdam belli, sed iuvenum institutores ipso quoque et potissimum mortis tempore, quo mortem oppetiverunt ad vitam aeternam consequendam.

Quandoquidem ad Scholas Pias pertinebant, quae Calasanctianum charisma peculiare subministraverunt quod ipsi fidelitate omnique studio explicaverunt, illud facile fuit omnibus identitatis elementum, eo ut, salvis

omnibus aetatum, locorum, personarum facultatum diversitatibus, iis non modo suprema esset communis martyrii testificatio, sed praecipua humanae experientiae et sanctitatis lineamenta: quae fuerunt religiosa consecratio maxima cum fidelitate exacta, sacerdotale ministerium, quod plerique eorum in iuvenes instituendos contulerunt, ministerium educationis, quod omnes pro singulorum peculiari officio sustinuerunt, ut iuvenes christiana humanaque institutione fruerentur.

Hae fuerunt spiritales condiciones, quae ad magnum « martyrii donum » eos expediverunt, quod subsecutum est propemodum post aliquot carceris dies postque saepe moralem materialemque vexationem, etsi adiuncta, loca, tempora discrepabant.

Hi sunt fidei heroici testes: P. Dionysius Pamplona Polo, qui natus in oppido Calamocha archidioecesis Terulensis, die xi mensis Octobris anno MDCCCLXVIII, in oppido Monzón interemptus est die xxv mensis Iulii anno MCMXXXVI;

P. Emmanuel Segura López, natus in oppido Almonacid de la Sierra archidioecesis Terulensis, die xxn mensis Ianuarii anno MDCCCLXXXI, in urbe Gabasa necatus est, die xxvni mensis Iulii anno MCMXXXVI;

Fr. David Carlos Marañón, frater opifex, natus in oppido Asarta archidioecesis Pampilonensis die xxix mensis Decembris anno MCMVII, occisus est in urbe Gabasa die xxvin mensis Iulii anno MCMXXXVI;

P. Faustinus Oteiza Segura, natus in oppido Ayegui archidioecesis Pampilonensis die xi v mensis Februarii anno MDCCCXC, die ix mensis Augusti anno MCMXXXVI in oppido Azanuy oppressus est.

Fr. Florentinus Felipe Naya, in oppido Alquézar natus, dioecesis Oscensis, die x mensis Octobris anno MDCCCLVI, die ix mensis Augusti anno MCMXXXVI in oppido Azanuy interfectus est;

P. Henricus Canadell Quintana, in oppido Olot natus dioecesis Gerundensis die xxix mensis Iunii anno MDCCCXC, in oppido Castellfollit die xvn mensis Augusti anno MCMXXXVI oppressus est.

P. Matthias Cardona Meseguer, in urbe Vallibona natus dioecesis Dertosensis die xxm mensis Decembris anno MCMII, die xx mensis Augusti anno MCMXXXVI exstinctus est.

P. Franciscus Carceller Galindo, in oppido natus Forcall, Dertosensis dioecesis die III mensis Octobris MCMI, in oppido Castellón die II mensis Octobris anno MCMXXXVI exanimatus est;

P. Ignatius Casanovas Perramon, in oppido Igualada dioecesis Vicensis natus die xv mensis Iulii anno MDCCCXCIII, in urbe Odena die xvi mensis Septembris anno MCMXXXVI absumptus est;

De sanatione, statim mira habita, apud curiam episcopalem Tarnoviensem anno 1991 canonica est instructa inquisitio, cuius auctoritas probata est a Congregatione de Causis Sanctorum decreto die 12 mensis Martii promulgato anno 1993. Consilium Medicorum eiusdem Dicasterii pridie calendas Décembres anno 1995 uno ore hoc est effectum: Diagnosis: « paralysis cerebri anoxyco-ischaemica ex malo ante ortum et in ortu accepto »; Prognosis: « quam maxime suspecta quoad valetudinem »; Therapia: « nulla »; Sanationis ratio: « mutatio in melius repentina, inexplicabilis quoad modum; auctus psychophysicus rectus post novem annos ». Calendis Martiis anno 1996 actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris et ñoñis Maiis subsequentibus Patrum Cardinalium et Episcoporum Sessio Ordinaria, Causae Ponente Eminentissimo Cardinale Andrea Maria Deskur. Et utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, die 10 mensis Iunii hoc eodem anno, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Cardinale Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: ***Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Serva Dei Marcellina Darowska, Confundatrice Congregationis Sororum Immaculatae Conceptionis B.M.V., videlicet de subitanea et perfecta sanatione pueri***

Bernardi Jirnov a «paralisi cerebrale anossico ischemica da sofferenza prenatale e perinatale ».

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 25 mensis Iunii A. D. 1996.

© Albertus Bovone
archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. © S.

© Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, ***a Secretis***

MATRITEN.

Beatificationis et Canonizationis ven. Servae Dei Mariae Annae Mogas Fontcuberta, fundatricis Congregationis sororum Tertiariarum Franciscalium a Matre Divini Pastoris (1827-1886).

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Maria Anna Mogas Fontcuberta in pago orta est Corrò del Val, intra fines posito archidioecesis Barcinonensi in Hispania, idibus Ianuariis anno 1827. Pro puellularum educatione proque assiduitate pauperibus aegrotisque praebenda Congregationem Sororum Tertiariarum Franciscalium a Matre Divini Pastoris condidit, cuius indefatigata ac prudens Antistita Generalis fuit usque ad mortem. Sodalium Sororum formationem diligenter coluit easdem adhortando ad ardorem apostolicum necnon ad amorem Christi, Virginis Mariae, Ecclesiae et vitae contemplativae. Caritate erga proximum effulsit atque patientia fortitudineque qua difficultates superavit et aerumnas pertulit. A se aliena et ab inanibus mundi rebus spem suam in divina misericordia inque Providentia collocavit. Vitam terrenam conclusit sancte in oppido Fuencarral, ad provinciam Matritensem pertinenti, die 3 mensis Iulii anno 1886, fama sanctitatis clara.

Beatificationis et canonizationis Causa inita est anno 1949 apud Curiam episcopalem Matritensem. Rebus peractis iure statutis, Summus Pontifex Ioannes Paulus II die 15 mensis Decembris anno 1994 edixit Servam Dei heroum in modum virtutes théologales, cardinales iisque adnexas observavisse.

Deinde Causae Postulatio Congregationis de Causis Sanctorum iudicio permisit coniectam miram sanationem, eiusdem Venerabilis Servae Dei in-

tercessioni ascriptam ac Badalonae in Hispania patratam anno 1953. Casus pertinet ad Isabellam Cortijos Martínez quae, viginti septem annos nata, iam phthisi urinali correpta, est nephrotomia dextera secta. Post tres annos in pleuritidem incidit et inter illum morbum gravidata est. Ultimo praegnationis mense, cum simul essent alta azothaemia et baculum Koch in urina, sectio Caesarea effecta est et die 24 mensis Decembris anno 1953 infantem peperit vivum et sanum. Biduo post ex improviso apparuit abdomen acutum cum febri cumque azothaemia, utraque alta, anuriae signa et sensorii obnubilatio. Die 30 mensis Decembris eius condiciones tam graves sunt factae, ut curantes prognosim infaustam fecerint quoad vitam brevi tempore. Familiares idcirco statuerunt aegrotam domum reducere iam in cornate versantem, extenuatione cordis sanguinisque vasculorum, anuria et interclusione intestinorum completo. Interea quaedam Tertiariae Franciscanae a Matre Divini Pastoris, valetudinario praepositae in quo Isabella iacebat, invocare coeperant Dei auxilium per deprecationem Matris Annae Mariae Mogas Fontcuberta, cuius imago posita est in subucula qua aegrota erat induta. Domum reversa, non solum non est mortua, uti omnes exspectabant, sed sine ulla therapia tam celeriter convaluit, ut postridie, nempe die 31 mensis Decembris, nulla morbi sui ostenderet indicia. Calendis Ianuariis medici factam sanationem reppererunt. De miro eventu annis 1989-1990 apud Curiam Barcinonensem facta est canonica inquisitio, a Congregatione de Causis Sanctorum probata decreto pridie idus Februarias anno 1993 promulgato. Consilium Medicorum eiusdem Dicasterii in sessione diei 14 Iunii anni 1995 uno ore ita est elocutum: Diagnosis: « Péritonites acuta sectionem subsecuta in aegrota phthisi praesenti correpta. Condicio mortis agonem praecedens »; Prognosis: « Infausta quoad vitam »; Therapia: « Apta sed inefficax »; Sanationis ratio: « Celérrima, completa et stabilis. Pro scientia inexplicabilis ». Die 10 mensis Novembris anno 1995 Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum est actus et die 5 mensis Martii anno 1996 Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Eduardo Martínez Somalo. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus, die 3 mensis Maii hoc eodem anno, Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Cardinali Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: ***Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Serva Dei Maria Anna Mogas Fontcuberta, Fundatrice Congregationis Sororum Tertiariarum Franciscalium a Matre Divini Pastoris, videlicet de celérrima, completa et stabili sanatione Isabellae Cortijos Martínez a « peritonite acuta post-operatoria in paziente affètta da tubercolosi in atto. Stato preagonico ».***

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 25 mensis Iunii A. D. 1996.

SB Albertus Bovone
archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. 83 S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, ***a Secretis***

SIEDLCEN. seu PODLACHIEN.

Beatificationis seu Declarationis Martyrii Servorum Dei Vincentii Lewoniuk et XII **Sociorum Christifidelium laicorum in odium fidei, uti fertur, interfectorum** (t **1874).**

DECRETUM SUPER MARTYRIO

« Et ipsi tamquam lapides vivi aedificamini domus spiritalis in sacerdotium sanctum offerre spiritales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum », ***(1 Pt*** 2, 5).

Ecclesiae lapides vivi, quae est aedificatio Dei (cf. ***1 Cor*** 3, 9), fuerunt laici Vincentius Lewoniuk et XII Socii, qui nec minas timuerunt nec eorum cesserunt illecebris, qui illos ab Ecclesia Catholica separare volebant ac denique se ipsos offerre Deo in odorem suavitatis non dubitaverunt.

Ii ad paroeciam vici Pratulin pertinebant, in dioecesi Chelmensi positi, quae anno 1596, una cum aliis dioecesibus, ab Ecclesia Orthodoxa discesserat ut se cum Ecclesia Catholica coniungeret, sua hierarchia retenta suoque ritu Byzantino Slavo. Saeculo XIX harum communitatum ecclesialium vita peculiariter difficilis facta est, quandoquidem auctoritates Russicae, quae in

illam dominabantur Poloniae partem, omni ope nisae sunt eas ad Orthodoxam Ecclesiam reducere. Multi coercitionibus succubuerunt atque violentiis. In iis vero qui sua effulserunt in Ecclesiam Catholicam fidelitate annumerandi sunt haud dubie paroeciae pagi Pratulin fideles. Quamvis humiles essent personae et ea iniqua tempestate parocho carentes, recta via non deerraverunt et, luce Spiritus interiore ducti, animose iniustis restiterunt civilium auctoritatum postulationibus. Cum mense Ianuario anno 1874 exercitus intervenit eos cogens ecclesiae suae paroecialis claves tradere, ii qui potuerunt, quamquam gravium periculorum quae adibant conscii erant, libere suis relictis domibus se concordes circa sacrum aedificium congregaverunt, suae fidei symbolum suaeque cum Ecclesia Catholica coniunctionis ad defendendum parati. Firmiter enim pro certo habebant ecclesiae traditionem pastori non catholico idem esse ac propriam deponere fidem. Vi petiti, lapidibus se defenderunt atque baculis. Ut tumultum coërceret renisumque Uniatum flecteret exercitus igneis glandibus multitudinem coepit ferire, quae, potius quam fugeret, uti potuerat, lapides abiecit et bacula, immobilis mansit in loco, genibus nixa est et hymni religiosi iniit cantum. Inermium catholicorum cantu atque deprecatione in caelum ascendentibus, multi eorum vulnerati sunt ac tredecim viri iuvenesque occisi. Alii ex his statim mortui sunt, alii, propter gravia vulnera, martyrii coronam sunt paulo post consecuti. Omnes agricolae erant vel parvorum praediorum possessores, qui secundum Ecclesiae leges vivebant beneque audiebant in populo. Hi fuerunt:

1. Vincentius Lewoniuk, viginti quinque annorum, matrimonio coniunctus;
2. Daniel Karmasz, quadraginta septem annorum, matrimonio coniunctus;
3. Lucas Bojko, unum et viginti annos natus, caelebs;
4. Bartholomaeus Osypiuk, triginta annos natus, matrimonio coniunctus;
5. Onuphrius Wasiluk, unum et viginti annos natus, matrimonio coniunctus;
6. Philippus Geryluk (vel Kiryluk), quadraginta tres annos natus, matrimonio coniunctus;
7. Constantinus Bojko, quadraginta septem annorum, matrimonio coniunctus;
8. Michael Nicephorus Hryciuk (vel Gryciuk), undeviginti annos natus, caelebs;
9. Ignatius Franczur, quinquaginta annos natus, matrimonio coniunctus;
10. Ioannes Andrzejuk, viginti quinque annorum, matrimonio coniunctus;

11. Constantinus Lukaszuk, quadraginta quinque annos natus, matrimonio coniunctus;

12. Maximus Hawryluk, triginta trium annorum, matrimonio coniunctus;

13. Michael Wawrzyszuk, unum et viginti annos natus, caelebs.

Inde a die mortis suae fortissimi hi Christi testes veri habiti sunt fidei martyres. Idem senserunt cum populus, tum auctoritates ecclesiasticae, in quibus commemorandi sunt Summi Pontifices Pius IX, Leo XIII, Pius XII et Ioannes Paulus II. Canonizationis Causa inchoata est anno 1919, cum Episcopus dioecesis Podlachiensis, hodie Siedlcensis, parochos iussit omnes nuntios de persecutionibus quas Uniates subierunt colligere. Processus canonicus instructus est annis 1938-1939 et 1964; cuius auctoritas et vis est a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum die 18 mensis Novembris anno 1994 promulgatum probata. Positione super martyrio apparata, actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris die 26 mensis Ianuarii anno 1996. Patres Cardinales deinde atque Episcopi, in Sessione Ordinaria die 16 insequentis mensis Aprilis habita, Causae Ponente Eminentissimo Cardinale Achille Silvestrini, professi sunt Vincentii Lewoniuk atque duodecim Sociorum mortem verum fuisse martyrium.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Pro-Praefecto, certior factus, die 10 mensis Iunii hoc eodem anno, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, praecepit ut decretum super martyrio Servorum Dei rite conscriberetur.

Quod cum esset factum, accitis hodierna die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Cardinale Ponente meque Antistite a Secretis ceterisque de more convocandis eisque adstantibus Beatissimus Pater declaravit: ***Constare de martyrio eiusque causa Servorum Dei Vincentii Lewoniuk et XII Sociorum, Christifidelium laicorum, anno 1874 interfectorum, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 25 mensis Iunii A. D. 1996.

£8 Albertus Bovone
archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. ©S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, ***a Secretis***

ONITSHAËN.

Beatificationis et Canonizationis Venerabilis Servi Dei Cypriani Michaelis Iwene Tansi, Sacerdotis professi, Ordinis Cisterciensium Strictioris Observantiae (1903-1964)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Cyprianus Michael Iwene Tansi ortus est a parentibus non christianis anno 1903 in pago *Igboezunu* apud *Aguleri,* in archidioecesi Onitshaènsi. Anno 1912 baptismum accepit et anno 1937 sacerdos ordinatus est. Magno cum fervore, caritate atque sacrificii spiritu negotiis pastoralibus se dedidit, prius tamquam cooperator et postea tamquam parochus diversis in locis. Vita illectus contemplativa, rebus omnibus relictis monasterium Trappistarum ingressus est Montis Sancti Bernardi, in comitatu Licestriensi in Anglia. Erga suam consecrationem fidelis se ipsum abnega vit, diligenter Regulam observavit et officia monastica, continuo est in via perfectionis progressus et cum amore est Christum Dominum secutus. In aeternitatem introivit die 20 mensis Ianuarii anno 1964.

Fama sanctitatis, qua insignis fuit ex quo parochus erat in Africa, etiam post mortem duravit; quapropter Archiepiscopus Onitshaënsis anno 1986 Causam iniit beatificationis et canonizationis.

Quae iure statuuntur peractis, Summus Pontifex Ioannes Paulus II die 4 mensis Iulii anno 1995 edixit Servum Dei heroum in modum virtutes théologales, cardinales et his adnexas coluisse.

Aliquot ante annos Onitshae facta est coniecta mira sanatio, intercessioni tributa eiusdem Servi Dei. Casus, nuper iudicio permissus Congregationis de Causis Sanctorum, beatificationis respectu Patris Cypriani Michaelis Iwene Tansi, ad Philomenam Udebuluzo Emeka pertinet, quae anno 1983, sedecim annos nata, coepit doloribus abdominis laborare; deinde apparuerunt vomitio, anorexia, progrediens ponderis imminutio et in deambulatione difficultates. Mense Iulio anno 1986 laparotomia est facta, quae ostendit massam retroperitonaealem, duram, fibratam, solide parieti abdominis adhaerentem. Biopsis sivit diagnosim fieri de « fibrosi retroperitonaeali ». Massa auferri nequivit et aegrotae, quandoquidem nulla sanationis spes erat, non est therapia specifica praescripta, sed tantum cura symptomatica. Postquam est e valetudinario dimissa, crevit symptomatologia dolorifera, quae impossibilem fere reddebat deambulationem. Mense Octobri eiusdem anni

aegrota novendiale inchoavit sacrum ad Patrem Cyprianum Michaelem Iwene Tansi et eius deprecationi aliae se iunxerunt personae. Die 17 eiusdem mensis, quamvis multum doleret, Onitsham ducta est, ubi reditus in patriam celebrabatur corporis Servi Dei. Aegra feretrum tangere potuit et osculari ac statim sensit se esse sanatam, liberatam a doloribus et gradi posse solam. Inspectiones clinicae patefecerunt effectam sanationem. De miro eventu apud Curiam Onitshaënsem, annis 1989-1990, instructa est inquisitio dioecesana, a Congregatione de Causis Sanctorum probata per decretum die 22 mensis Novembris anno 1991 promulgatum. Consilium Medicorum, in sessione diei 14 mensis Iunii anni 1995, una voce declaravit: ***Sanationis ratio:*** « Regressio clinica repentina cum imminutione subtotali novae formationis. Sanatio stabilis, inexplicabilis quoad modum ». Die 27 mensis Octobris subsequentis actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris et die 23 mensis Ianuarii anno 1996 Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Francisco Arinze. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus, die 3 mensis Maii hoc eodem anno, Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die infrascripto Pro-Praefecto necnon Cardinali Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: ***Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Servo Dei Cypriano Michaele Iwene Tansi, Sacerdote professo Ordinis Cisterciensium Strictions Observantiae, videlicet de repentina et stabili sanatione Philumenae Udebuluzo Emeka ab « estesa neoformazione retroperitoneale sinistra, con sintomatologia dolorosa, vomito, disturbi della deambulazione e decadimento delle condizioni generali ».***

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 25 mensis Iunii a.D. 1996.

SB Albertus Bovone
archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. EB S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

PATAVINA

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Liduinae Meneguzzi Religiosae professae ex Instituto Sancti Francisci Salesii (1901-1941)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert » ***(Io*** 12, 24).

Imperiosi huius Divini Magistri praecepti insuperabili vi pervasa Soror Liduina Meneguzzi, Instituti Patavini Sororum Sancti Francisci Salesii religiosa professa, iuvenem ac vehementem vitam suam amoris donum reddidit pro fratribus, ita Ecclesiae et mundo huius aetatis, tot lacerato divisionibus et discordiis, testimonium perhibens clarum atque magnum Evangelii caritatis.

Soror Liduina Meneguzzi, in baptismo appellata Elisabetha Angela, in oppido Aponi Fonte orta est, intra fines provinciae Patavinae, pridie idus Septembres anno 1901 in familia magna quidem et habitu pecuniarum tenui, sed admodum bona et christiana. Ut ad modestam familiae condicionem conferret operam suam adiutricis domesticae praestitit apud quasdam locupletes familias eiusdem loci et postea etiam in variis Aponi Fontis deversoriis.

Anno 1926 accepta est in Instituto Sororum Salesiarum Patavinarum. Postulans ut illius familiae religiosae sodalis esset, Elisabetha Angela, quae deinde novo nomine Liduina est vocata, sperabat fore ut in terram longinquam missionaria mitteretur. At vero in domo principe Patavina mansit usque ad annum 1937, humilibus fungens muneribus vestiplicae, ministrae infirmorum et aedituae.

Mense Iulio anno 1937 est, magno cum cordis gaudio, ad missionem Dire-Dauensem missa in Aethiopia sitam. Quattuor ibi mansit annos, beneficam et exemplarem operam ministrae infirmorum primum navans in valetudinario « Parini », ac deinceps aegrotis valetudinarii militaris Domus quondam Lictoriae.

Laboribus confecta, torrido Africano caelo et praesertim diversis morbis (palustri morbo, abdominis typho, ulceribus tropicis, uteri tumore), brevem terrenam conclusit vitam sancte postridie calendas Décembres anno 1941, sincere desiderata ab eis, qui eius sunt beneficiis affecti quique primi fuerunt graves testes sanctitatis vitae humilis sancti Francisci de Sales discipulae, ab omnibus « caritatis martyris » habitae.

In eins vita non mirabilia invenimus facta vel res. Eius exsistentia in maxima est acta simplicitate, etsi inopinanter singularis nobis videtur munus caritatis quod sustinuit, in primis aegrotis serviendo.

A primis vitae annis Serva Dei constanter ad Dominum intenta fuit, tam simplici ac certa agens ratione, ut omnibus videretur nihil aliud facere, nisi officium suum. Suum fecit propositum sancti Francisci de Sales: « ***Ex toto corde faciam, quod ex toto corde facere nolim*** ».

Modestia, industria, benignitas in commercio habendo cum omnibus, iucunditas, deprecationis et sacrificii studium vitae eius propria inde ab ingressu inter Sorores Salesias fuerunt. Religiosa facta, omnia fecit cum vere admiranda alacritate et perseverantia, maxima cum serenitate etiam reprehensiones a superioribus excipiens atque Sororum sodalium neglectionem. Semper, laborans vel precans, mente et corde cum Deo erat coniuncta.

Amor in Deum vero in amorem erga proximum mutabatur inque continuam cupiditatem ad eius salutem proiiciendi. Iterare solebat: « ***Omnibus laetitia, mihi dolor et labor*** ».

Sororis Liduinae caritas immensa fuit. Pluries periculum obiit pyrobolorum coniectionum, ut apud monentes et sauciatos maneret, eorum levaret dolores iisdemque assideret in supremo discrimine. Numquam aegrotis, morbis contagiosis vel fastidiosis renuit adesse. Omnes fratres habebat et tractabat: Italos aut Aethiopes, albos aut nigros, christianos aut Macometanos. Omnes erant ei animae salvandae, personae in carne sua signa ferentes Passionis Domini.

Omnino missionaria, suum esse animadvertebat potissimum fratres ad Deum reducere, qui ab eo recesserant. Tum eius caritas, una cum agendi ratione humili atque indulgenti, quasi magnes fiebat omnes alliciens et fascinans.

Qui eam viderunt sine exceptionibus se dedere, strenuissimo cum ardore noctu diuque, morborum suorum immemorem, cum constantia, amabilitate, patientia, mansuetudine, fortitudine, plane Dei voluntati permissam, adeo aedificabantur et commovebantur, ut aliqui secum quaererent: « Sororne est an angelus? ».

Nuntius, quem Soror Liduina Ecclesiae affert et mundo per omnium christianarum virtutum fortissimum exercitium, est idcirco spei et amoris nuntius: spei quidem, quae hominem vindicat ab immoderato amore sui atque ab aberrantibus violentiae generibus; amoris, qui fit ad mutuam necessitudinem hortatio, ad communicationem et ad servitium pro Christi exem-

pio, qui venit non ministrari sed ministrare et dare animam suam redemptionem pro omnibus (cf. ***Mt*** 20, 28).

Cum extremo vitae suae morbo iuvenis ad mortem ducebatur Soror Liduina, per actum supremi in fratres amoris, Martyris divini exemplum secuta qui nos docuit « maiorem hac dilectione » neminem habere, « ut animam suam ponat quis pro amicis suis» ***(Io*** 15, 13), victimam se devovit pro mundi pace mortemque excepit seraphica cum laetitia, ultima verba pronuntians animum moventia: ***«Domine, parata sum, tu scis... Domine, laeta sum... Omnia, omnia pro te ».***

Fama sanctitatis est fruita in vita, in morte et post mortem; quam ob rem Episcopus Patavinus Causae beatificationis et canonizationis initium fecit per celebratum processum informativum (annis 1963-1965), cui additus est processus rogatorialis apud Vicariatum Apostolicum Hararensem. Anno 1968 est super scriptis decretum promulgatum et decem post annis decretum super Causae introductione. Dein, annis 1979-1981, processus apostolicus est instructus apud eandem Curiam Patavinam. Die 3 mensis Decembris anno 1982 Congregatio de Causis Sanctorum decretum promulgavit de horum processuum auctoritate et vi. Positione praeparata, disceptatum est an Serva Dei virtutes coluisset heroum in modum. Postridie idus Novembres anno 1995 actus est exitu cum prospero Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres postea Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria habita die 20 mensis Februarii anno 1996, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Eduardo Gagnon, professi sunt Servam Dei Sororem Liduinam Meneguzzi heroum more virtutes théologales, cardinales iisque adnexas observavisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus, die 3 mensis Maii eodem anno, Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Cardinali Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: ***Constare de virtutibus, theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Liduinae Meneguzzi, Religiosae professae ex Instituto Sancti Francisci Salesii, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 25 mensis Iunii A. D. 1996.

£8 Albertus Bovone
archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. ©S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis Ioannes Paulus Pp. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet:

die 10 Octobris 1996. — Cathedrali Ecclesiae Nannetensi Exc.mum P.D. Georgium Soubrier, P.S.S., hactenus Episcopum titularem Achollitanum et Auxiliarem archidioecesis Parisiensis.

die 15 Octobris. — Metropolitanae Ecclesiae Manizalensi Exc.mum P.D. Fabium Betancur Tirado, hactenus Episcopum Aureatensem-Guaduensem.

die 16 *Octobris.* — Metropolitanae Ecclesiae de Pouso Alegre Exc.mum P.D. Richardum Patrum Chaves Pinto Filho, O. Praem., hactenus Episcopum Leopoldinensem.

die 26 Octobris. — Cathedrali Ecclesiae Lomzensi Exc.mum P.D. Stanislaum Stefanek, hactenus Episcopum titularem Foropopuliensem et Auxiliarem Sedinensem-Caminensem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Scilitanae R.D. Eduardum Janiak, in Facultate Theologica Vratislaviensi Professorem Theologiae Moralis, quem deputavit Auxiliarem Vratislaviensis archidioecesis.

CONGREGATIO DE INSTITUTIONE CATHOLICA (DE SEMINARIIS ATQUE STUDIORUM INSTITUTIS)

DECRETUM

quo in Austria Institutum Theologicum Internationale pro Studiis de matrimonio et familia erigitur.

« Habita semper familia est prima ac principalis socialis naturae hominis declaratio. Nec suo in nucleo essentiali hic rerum prospectus immutatus est hodie » (Litterae Ioannis Pauli II « ***Gratissimam sane*** » die II m. Februarii a.D. MCMXCIV datae, n. 7). ***Oecumenicum Concilium Vaticanum II iam apertis expressit verbis salutem personae et societatis humanae ac christianae arcte cum fausta condicione communitatis coniugalis et familiaris connecti*** (cfr ***GS*** 47). Idem, conscium non ubique vero huius institutionis dignitatem eadem claritate illucescere, « christianos hominesque universos illuminare et confortare intendit, qui nativam status matrimonialis dignitatem eiusque eximium valorem sacrum tueri et promovere conantur » ***(ibid.).***

Exc.mi quidam Episcopi veneratae Austriae nationis, pastorali commoti cura, cum ipsorum sit munus tuendi ac promovendi matrimonium familiamque Summi Pontificis quoque optatis libenter obsequentes, litteras huic Congregationi de Institutione Catholica exhibuerunt quibus petiverunt ut in loco vulgo Gaming in Austria inferiore et in territorio dioecesis Sancti Hippolyti sito, Institutum Theologicum Internationale pro studiis de matrimonio et familia sub protectione S. Zdislavae Bohemiae, familiarum patronae earumque auxiliatricis, erigeretur.

Haec Congregatio de Institutione Catholica (de Seminariis atque Studiorum Institutis), attentis his litteris postulatoriis, sententia quoque universae Conferentiae Episcopalis Austriacae atque Ordinarii loci habita, comperiens peculiarium Studiorum curriculum academicis rationibus aptatum esse; re undique perpensa, ad normam art. **61** Constitutionis Apostolicae « Sapientia Christiana », petitionem laudatorum Praesulum libenter excipiens,

INSTITUTUM THEOLOGICUM INTERNATIONALE
pro Studiis de Matrimonio et Familia

hoc Decreto erigit erectumque declarat, ad quinquennium experimenti gratia, facta eidem potestate academicos gradus, scilicet Baccalaureatus, hoc in casu « Master » nuncupati, et Licentiae et Doctoratus cum adnotatione « Studiorum Theologicorum de matrimonio et familia » conferendi iuxta vigentem academicam Ecclesiae legem; servatis Statutis eiusdem Instituti ab hac Congregatione approbatis necnon iis quae in memorata Constitutione Apostolica « Sapientia Christiana » eiusque adnexis Ordinationibus atque in ceteris documentis Sedis Apostolicae de Universitatibus et Facultatibus Ecclesiasticis praescribuntur.

Insuper haec Congregatio ad normam art. 6.1 Statutorum peculiarium Exc.mum D.num Christophorum Schönborn, O.P., Archiepiscopum Viennensem,

MAGNUM CANCELLARIUM

Instituti « ad quinquennium » nominat atque renuntiat, omnibus eidem agnitis tributisque iuribus et officiis huiusmodi muneri iuxta vigentem in Ecclesiae legem inhaerentibus; eidemque mandans ut Institutum promoveat ac tutetur; ceteris servatis de iure servandis; contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Congregationis, die i mensis Octobris, in memoria S. Teresiae a Iesu Infante, a.D. MCMXCVI.

PIUS card. LAGHI, ***Praef.***

© **IOSEPHUS SARAIVA MARTINS,** ***a Secretis.***

L. © S.

In Congr. de Institutione Catholica tab. n. 070/95

DECRETUM

quo Matriti Facultas Sacrae Theologiae sub titulo Sancti Damasi erigitur.

Congregatio de Institutione Catholica (de Seminariis atque Studiorum Institutis), de studiis academicis ecclesiasticis valde sollicita; attentis litteris postulatoriis Exc.mi ac Rev.mi Archiepiscopi Matritensis ad hanc Congregationem instanter missis, quo aptius hodiernis necessitatibus pastoralibus eiusdem Archidioeceseos provideretur; perspecta favorabili sententia Commissionis Permanentis Conferentiae Episcopalis Hispanicae die xui mensis Iunii, a.D. MCMXCVI manata; re undique perpensa; petitioni sibi allatae pro munere annuens, ad normam art. **61** Constitutionis Apostolicae « Sapientia Christiana » Institutum Superius Theologiae Centri Studiorum Theologicorum Matritensis sub titulo Sancti Damasi, Facultati Theologicae Pontificiae Universitatis Salmanticensis a die x mensis Augusti, a.D. MCMXC aggregatum, in

FACULTATEM SACRAE THEOLOGIAE
sub titulo Sancti Damasi

hoc Decreto erigit erectumque declarat, facta eidem potestate academicos gradus conferendi iuxta vigentem academicam Ecclesiae legem; servatis Statutis eiusdem Facultatis ab hac Congregatione approbatis; ceteris servatis de iure servandis, praesertim quae in Constitutione Apostolica « Sapientia Christiana » atque annexis Ordinationibus ceterisque Apostolicae Sedis documentis de Studiorum Universitatibus et Facultatibus Ecclesiasticis adimplenda praescribuntur.

Insuper haec Congregatio Exc.mum ac Rev.mum Archiepiscopum Matritensem « pro tempore »

MAGNUM CANCELLARIUM

ipsius Facultatis nominat atque renuntiat, omnibus eidem agnitis tributisque iuribus et officiis huiusmodi muneri inhaerentibus; eidemque mandans ut Facultatem promoveat ac tutetur; servatis de iure servandis; contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Congregationis, die xix mensis Septembris, a.D. MCMXCVI.

PIUS card. LAGHI, ***Praef.***

83 IOSEPHUS SARAIVA MARTINS, *a Secretis.*

L. « S .

In Congr. de Institutione Catholica tab. n. 135/96

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Venerdì, 4 Ottobre 1996, S.E. il Signor HISAKAZU TAKASE, Ambasciatore del Giappone presso la Santa Sede; S.E. il Signor MOHAMED HUSEIN SAID ELSADR, Ambasciatore della Repubblica Araba d'Egitto presso la Santa Sede; S.E. il Signor RAYMOND R.M. TAI, Ambasciatore della Repubblica di Cina presso la Santa Sede; S.E. il Signor GIJSBERT NICOLAAS WESTEROUEN VAN MEETEREN, Ambasciatore dei Paesi Bassi presso la Santa Sede.

Ha, altresì, ricevuto in Udienza:

Mercoledì, 30 Ottobre 1996, S.E. il Signor WOLFGANG SCHUSSEL, Ministro degli Affari Esteri e Vice-Cancelliere dell'Austria.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Breve Apostolico il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

15 ottobre 1996. S.E. mons. Patrick Coveney, Arcivescovo tit. di Satriano, Nunzio Apostolico in Nuova Zelanda, Isole Marshall, Tonga e Samoa Occidentale, ***Nunzio Apostolico nelle Isole Fiji, in Kiribati, nelle Isole della Micronesia ed in Vanuatu.***

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

24 agosto 1996. L'Em.mo Signor Cardinale Carlo Fumo, ***Membro della Pontificia Commissione per lo Stato della Città del Vaticano.***

28 settembre 1996. Gli Em.mi Signori Cardinali Nicolas De Jesús López Rodríguez e Roger Michael Mahony, ***Membri del Pontificio Consiglio delle Comunicazioni Sociali « in aliud quinquennium ».***

30 » » Il sac. Charles Scicluna, ***Promotore di Giustizia sostituto presso il Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica.***

7 ottobre » S.E. mons. Pasquale Macchi, Arcivescovo Prelato em. di Loreto, ***Membro, del Comitato Centrale del Grande Giubileo delVAnno 2000.***

21 » » S.E. mons. Jorge Arturo Medina Esté vez, Pro-Prefetto della Congregazione per il Culto Divino e la Disciplina dei Sacramenti, ***Membro della Congregazione per i Vescovi.***

» » » Gli Em.mi Signori Cardinali Camillo Ruini e Pio Laghi ***Membri della Congregazione per i Vescovi « in aliud quinquennium ».***

24 » » Mons. Antonio Silvestrelli, ***Sotto-Segretario della Congregazione per il Clero.***

31 » » S.E. mons. Javier Lozano Barragán, Vescovo di Zacatecas, ***Presidente del Pontificio Consiglio per la Pastorale degli Operatori Sanitari « ad quinquennium a calendis Ianuariis proximi anni ».***

NECROLOGIO

7 ottobre 1996. Mons. Michael Murphy, Vescovo di Cork and Ross ***(Irlanda).***

19 » » Mons. Mark Gerbermann, Vescovo tit. di Pinhel.

20 » » Mons. Manuel Nunes Gabriel, Arcivescovo em. di Luanda ***(Angola).***

23 » » Mons. Hanna Markho, Eparca di Arbil, Erbil dei Caldei ***(Iraq).***

29 » » Mons. Maximino Romero de Lema, Arcivescovo tit. di Cittanova.

30 » » Mons. Christophe Munzihirwa Mwene Ngabo, Arcivescovo di Bukavu ***(Zaire).***

3 novembre » Mons. Jean-Marie Cissé, Vescovo di Sikasso ***(Mali).***

» » » Mons. Joseph Carroll McCormick, Vescovo em. di Scranton ***(Stati Uniti d America).***

An. et vol. LXXXVIII 5 Decembris 1996 N. 12

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano - *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

LITTERAE DECRETALES

Quibus beato Ioanni Sarkander Sanctorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Mementote sermonis, quem ego dixi vobis: Non est servus maior domino suo. Si me persecuti sunt, et vos persequentur; si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt» *(Io* 15, 20).

Haec Divini Magistri verba sacerdotali muneri Ioannis Sarkander apte congruunt, eiusque in conscientia singulari vehementia resonarunt cum martyrium oppetivit et Christi vestigia secutus pro grege suo sanguinem effudit. Hic igitur sacerdos, qui pastoralem explicavit actuositatem cum discidium inter christianos ineunte saeculo XVII in Europa magis in dies concitabatur illique in insidiis, abdicationibus et persecutionibus religiosis et politicis versabantur, constanter arcessebatur ad summam exhibendam erga ministerium, praesertim erga sigillum sacramentale fidelitatem. Beatus Ioannes Sarkander in loco Skoczów in Silesia die xx mensis Decembris anno MDLXXVI ortus est e parentibus Gregorio Matthia et Helena Gurecka, quae nuptias secundo inierat. Pater anno MDLXXXIX vita functus est: tunc mater quinque cum liberis in urbem vulgo Pribor in Moravia se transtulit apud filium Matthaeum, ex prioribus nuptiis natum. Ibi enim Ioannes scholam paroecialem Cecam frequentavit. Tribus post annis ad Latinas sodalium Societatis Iesu scholas est missus, primum Olomucii, deinde Pragae, ubi anno MDCII titulo Magistri in Philosophia est honestatus. Anno MDCIV in facultatem theologicam Gradeciensem ascribi se voluit, at paulo post studia intermittere debuit ut civile munus adiret. Deinde theologica cum resumpsisset

studia, die xxu mensis Martii anno MDCIX sacro presbyteratus ordine est insignitus. Pastorale ministerium exsecutus est diversis in dioecesis Olomucensis locis usque ad annum MDCXVI quo parochus constitutus est urbis Holesov, quae sedes erat legati Moraviae, catholici nempe viri Ladislai Popel de Lobkovic. Hac in regione, post expletam seditionem adversus Imperium Asburgicum nobilium Bohemiae quorum plerique erant protestantes, Ioannes, gravibus versans in angustiis, suum ministerium laboriose est persecutus. Deinde quando idem vir Lobkovic in carcerem ductus est, parochus Ioannes in Poloniam, ad Sacrarium Beatae Mariae Virgini de Częstochowa dicatum, peregrinationem suscepit; hic eventus improbus ei factus est, quoniam de quadam coniuratione cum exercitu Polonico inita est accusatus, ac si adversus turbulentos optimates protestantes Bohemiae missus esset. Suspicio confirmari videbatur eo quod milites, cum Moraviam praedati essent, urbi Holesov pepercerant. Novus iudex supremus, protestans vir Vaclav Bitovsky, hoc eventu nisus, parochum Ioannem prehendi et Olomucii in carcerem condi iussit, ubi innumeras interrogationes durissimaque tormenta subire est coactus. Die xvni mensis Februarii anno MDCXX, iudex quidam eum cogere conatus est ut omnia declararet quae a viro Lobkovic in reconciliationis sacramento audivisset; suspicabatur enim ille iudex praedictum virum sermonem cum presbytero instituisse de proposito quodam militaris incursionis in Moraviam faciendae. Ioannes affirmavit nihil id genus sibi declaratum esse in confessione et, etiamsi quaedam huiusmodi cognosceret, nullo prorsus tempore se revelationem facturum esse. Iterum in carceris celiami coniectus est, ubi ob susceptos cruciatus supervivere non potuit; ita, postquam per integrum mensem pertulit cruciatus et dolores, cum Deo tamen semper coniunctus, fideliter dum legeret Breviarium, die xvn mensis Martii anno MDCXX piissimo obitu ad aeternum praemium transiit. Excessus eius notitia celeriter est diffusa, quae in medio posuit famam martyrii, atque ad venerationem in dies vividiorem ad nostra usque tempora contulit, praesertim in Moravia, in Silesia omnibusque in ex-Imperii Austriaci regionibus. Christifideles contuebantur eum verum fidei martyrem atque intrepidum sigilli sacramentalis defensorem. Processus beatificationis et canonizationis anno MDCCXV est initus. Incommodae tamen rerum vicissitudines illius temporis iter produxerunt Causae usque ad diem xi mensis Septembris anno MDCCCLIX, quo Decessor Noster Pius IX per Apostolicas Litteras eum in beatorum album rettulit. Sollemnis ritus Romae celebratus est die vi mensis Maii anno MDCCCLX. Recenti vero tempore, quia sacri Praesules dioecesium Olomuciensis et Katovicensis petiverunt ut Causa canonizationis restauraretur, apud Curiam dioecesanam Katovicensem recognitio facta est

cuiusdam mirae sanationis, anno MCMLXXIX patratae et Beati Sarkander precibus adscriptae. Haec mira sanatio suetis inquisitionibus medicis et theologicis apud Congregationem de Causis Sanctorum est subiecta et felici quidem cum exitu. Ita Nobis coram die II mensis Aprilis anno MCMXCIII decretum super miro est evulgatum. Subinde, nempe die V mensis Aprilis eodem anno, celebratum est Consistorium, in quo decrevimus ut Canonizationis ritus Olomucii in Republica Ceca, occasione Nostrae pastoralis visitationis, die XXI mensis Maii anno MCMXCV celebraretur.

In Nostra igitur ad Rempublicam Cecam visitatione, inter Missarum sollemnia quae Olomucii celebravimus, multis adstantibus fratribus Nostris Episcopis, sacerdotibus, nec non plurimis christifidelibus, auxilio Spiritus Sancti invocato, haec verba pronuntiavimus:

Ke cti Nejsvětější Trojice, pro povznesení katolické víry a vzrůst křesťanského života, autoritou našeho Pána Ježíše Krista, svatých apoštolů Petra a Pavla a Naší, po dlouhém uvažování a častém vzývání Boží pomoci, po vyslechnutí mínění mnoha našich bratří z biskupského sboru, prohlašujeme s konečnou platností svatými blahoslaveného Jana Sarkandra a blahoslavenou Zdislavu a zapisujeme je do seznamu svatých. Ustanovujeme, aby spolu s ostatními svatými byli v celé církvi zbožně uctíváni. Ve jménu Otce i Syna i Ducha Svatého.

Consueta etiam habita de vita virtutibusque Sancti, quem diximus, oratione, eundem sumus venerati ac summa cum religione primi invocavimus.

Datum Olomucii, die XXI mensis Maii anno MCMXCV Pontificatus Nostri septimo decimo.

EGO IOANNES PAULUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus



Eugenius Sevi, ***Protonot. Apost.***

Loco & Plumbi
In Secret. Status tab., n. 388.288

CONSTITUTIO APOSTOLICA

COLORATENSIS

In Aequatoriana Natione praelatura territorialis Coloratensis ad gradum ac dignitatem dioecesis evehitur servatis iisdem finibus et nomine.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum hisce recentioribus annis Praelatura territorialis Coloratensis catholicorum fidelium numero operibusque religiosis et civilibus auctis haud modicum incrementum cepisset, Venerabilis Frater Iosephus Marius Ruiz Navas, Archiepiscopus Metropolita Portus Veteris atque Conferentiae Episcopalis Aequatorianae Praeses, eadem Conferentia audita, ab hac Apostolica Sede petivit ut haec praelatura territorialis ad gradum et dignitatem dioecesis eveheretur. Nos vero existimantes id in animarum bonum esse cessurum, favente quoque eidem rei Venerabili Fratre Francisco Canalini, Archiepiscopo titulo Valariensi et in memorata Natione Apostolico Nuntio, de consilio Congregationis pro Episcopis admotae postulationi libenter concedendum esse putavimus. Summa igitur Nostra potestate, Praelaturam territorialem Coloratensem ad gradum et dignitatem dioecesis attollimus, servatis iisdem finibus, quibus nunc ipsa terminatur, et eodem Curiae nomine ***Coloratensi.*** Sic conditae dioecesis sedem in urbe « Santo Domingo de los Colorados » ponimus, ibique exstans praelaticium hucusque templum, Domino Nostro Iesu Christo in caelum ascendenti dicatum, ad gradum et dignitatem ecclesiae cathedralis evehimus. Praeterea dioecesim Coloratensem suffraganeam confirmamus metropolitanae Sedi Portus Veteris dum Venerabilem Fratrem Aemilium Laurentium Stehle, hactenus Episcopum Praelatum Coloratensem, Episcopum dioecesanum Coloratensem nominamus, iisdem iuribus, privilegiis, insignibus honoribusque ornatum atque oneribus officiisque adstrictum, quae Episcoporum residentium, ad normam iuris, propria sunt. Congruae sustentationi Praesulis novae dioecesis provideatur Curiae emolumentis, fidelium oblationibus atque bonis temporalibus cunctis, quae ad dictam praelaturam pertinuerunt. Simul ac dioecesis erectio ad effectum deducta fuerit, eo ipso clerus, eidem praelaturae adscriptus, novae dioecesi

incardinatus censeatur. Quod vero attinet ad conditae dioecesis regimen, administrationem bonorum, dioecesani Administratoris « sede vacante » electionem, fidelium iura et onera aliaque id genus, quae sacri canones praescribunt ad amussim serventur. Haec omnia perficienda committimus Venerabili Fratri Francisco Canalini, quem diximus, vel, absente eo, illi, qui curat negotia Apostolicae Nuntiaturae in Aequatoria; eisdem tribuentes necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis, cum primum fas erit, remittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die octavo mensis Augusti, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo sexto, Pontificatus Nostri duodevicesimo.

ffi ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

68 BERNARDINUS card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, ***Protonot. Apost.***
Franciscus Chiaurri, ***Protonot. Apost.***

Loco 83 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 395.978

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Ecclesiae paroeciali Nativitati Beatae Virginis Mariae et sancto Nicolao episcopo dicatae in dioecesi Drohiczinensi Basilicae Minoris dignitas tribuitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Populus christianus continuo invocat Immaculatae Dei Genetricis tutelam sanctorumque potens auxilium qui in Christo « non desinunt apud Patrem pro nobis intercedere » ***(Lumen gentium,*** 49). Libentes igitur accepimus postulationem Venerabilis Fratris Antonii Pacifici Dydycz, Episcopi Drohiczinensis, qui petiit titulo Basilicae Minoris honestaretur ecclesia paroecialis in oppido v.d. Bielsk Podlaski Na-

tivitati Beatae Mariae Virginis et sancto Nicolao episcopo dicata, in qua omnia instituta ad cultum sollemniorem necessaria accommodata sunt nec non divinae consolationes copiose a populo affluente recipiuntur. Confisi sane fore ut, intercedente Sanctissima Deipara et sancto Nicolao, hoc privilegium ad spiritale bonum fideique emolumentum populi Dei illius regionis plurimum proficiat, petitioni libenter concedimus.

De consilio ideo Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, potestate Nostra Apostolica per has Litteras statuimus, ut ecclesia paroecialis Deo dicata in honorem Nativitatis Beatae Mariae Virginis et sancti Nicolai, episcopi, in oppido v.d. Bielsk Podlaski in dioecesi Drohiczinensi, titulo et dignitate Basilicae Minoris fruatur, iuribus additis et privilegiis huiusmodi templorum propriis, servatis iis quae iuxta Decretum « De titulo Basilicae Minoris» die ix mensis Novembris, anno MCMLXXXIX datum, servanda sunt. Haec nunc et in posterum firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxix mensis Augusti, anno MCMXCVI, Pontificatus Nostri duodevicesimo.

& **ANGELUS** card. **SODANO**
Secretarius Status

Loco **68** Sigilli
In Secret. Status tab., n. 395.790

II

Imago Beatae Mariae Virginis, quae sub titulo « Consolatrix Afflictorum » in ecclesia paroeciali loci v. d. Miedzna in dioecesi Drohiczinensi pie colitur, pretioso diademate redimitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Lucis Matrem fecundam et Virginem purissimam omnis populus christianus firmiter confitetur Reginam caelestem, ad quam sane constanter in omnibus necessitatibus confugit, « quia nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariae manus non transiret » (S. Bernardus, *Sermo III in Vig. Nativ. Domini,* 10; *PL* 183, 100).

Instante igitur Venerabili Fratre Antonio Pacifico Dydycz, Episcopo Drohiczinensi, vota cleri et christifidelium expromente, concessimus die

[2] ***2 Tim* 1:7.**
[3] ***Acts* 1:8.**
[4] ***Eph* 4:3.**
[5] **Cf. *Acts* 4:32.**
[6] **Cf. *1 Cor* 12:4-6**
[7] ***Lk* 12:32.**

by the Lord's words that he has chosen us as his "friends".[8] Even more, he has promised to use our weakness, "lest the Cross of Christ be emptied of its power".[9] In all our human designs and programmes we must not lose sight of the fact that Christ Jesus draws us to himself when he is lifted up from the earth.[10] It is the "folly" and "scandal" of the Cross which reveal the power and wisdom of God.[11]

The fears which people harbour and which impede their Coming to full human and spiritual stature[12] have their antidote in the grâce that flows from the pierced side of the Saviour.[13] No matter how heavy the burdens of our ministry, we must trust in God's providencial care for his création, "which will be set free from its bondage to decay and obtain the glorious liberty of the children of God".[14] Let us not be afraid, for it is the Risen Lord himself who is with us![15]

In this first meeting with the members of your Conference I wish to speak to you about your pastoral charge to be "stewards of the grâce of the supreme priesthood"[16] and to ensure that the word of God is faithfully taught to God's people.[17]

3. Since you are above ali the spiritual guides of your flocks I especially urge you to develop a truly "contemplative outlook".[18] Such an outlook.is nourished by prayer and the sacramentai life and it strives to penetrate life's deepest meaning. This spirit is in harmony with the cultural and religious expérience of the peoples of Asia. Your Continent's ancient spiritual traditions challenge the whole Church to focus on what is absolutely primary for the faith: to share in the very life of the Eternai One as his beloved children.[19] May the Church in Indonesia become ever more a communion of contemplation and prayer in which the Blessed Trinity dwells.[20]

[8] Cf. *Jn* 15:15.
[9] *1 Cor* 1:17.
[10] Cf. *Jn* 12:32.
[11] Cf. *1 Cor* 1:21-24.
[12] Cf. *Eph* 4:13.
[13] Cf. *Jn* 19:34.
[14] *Rom* 8:21.
[16] Cf. *Mt* 28:20.
[16] Cf. *Lumen gentium,* 26.
[17] Cf. *Veritatis splendor,* 116.
[18] Cf. *Evangelium vitae,* 83.
[19] Cf. *1 Jn* 3:1.
[20] Cf. *Jn* 14:23.

The safeguarding and promotion of the integrity, beauty and ordered célébration of the Sacraments is the way to refresh the faithfuT with the "Irving water" flowing from the Heart of Christ.[21] It is for you to encourage active and devout participation in the Eucharist, fréquent reception of the Sacrament of Reconciliation — especially by preaching its necessity and assuring its ready availability — a comprehensive catechesis for the reception of the Sacraments of Initiation, and a thorough programme of marriage préparation, which must be especially intense for those planning an interfaith wedding.

4. The inculturation of the Liturgy is a matter which also deserves close pastoral attention. Duly regulated liturgical adaptations — which respect the substantial unity of the Roman Rite — are a significant dimension of the full immersion of the Gospel in the life of each people and its culture. This process is the fruit of a progressive maturing in faith. Thus it is a complex undertaking, "a slow journey",[22] one calling for careful discernment. I encourage your efforts to bring the liberating power of the Good News to the heart of the rich cultural mosaic of the Archipelago. Inculturation involves more than a simple adaptation of traditional customs or current trends. It is a process rooted in a genuine exchange between people of proven faith and their culture. Dear Brothers, it is for you to inspire, guide and judge the delicate process of inculturation which enhances the catholicity of Christ's Body.

5. Moreover, as Bishops, you are called to "bear witness to the truth",[23] ensuring that your people come to know the truth which sets them free.[24] The safeguarding of the doctrinal integrity of catechesis and the promotion of genuine Catholic éducation are responsibilities of those entrusted with the faithful préservation of the deposit of faith. The working out of the implications of the Gospel for Christian life in the world, as well as its applications to new situations, are also essential components of caring for the apostolic preaching. One effective way for Bishops to share with their flocks "the unsearchable riches of Christ" is through the individuai and

[21] Cf. *Jn* 7:38.
[22] *Redemptoris missio,* 52.
[23] *Jn* 18:37.
[24] Cf. *1 Tim* 2:4; *Jn* 8:32.

joint publication of Pastoral Letters. Courageous, forthright and persuasive teaching fosters in the People of God knowledge of Christ Jesus their Lord.[25]

From your pastoral expérience you know that formation in the faith takes place in various ways: in parishes, associations and communities with specific needs. Above all I encourage your efforts to assist parents in handing on the faith to their children.[26] Do ali you can to foster the theological and spiritual formation of the laity, directing the efforts of ali involved to the true purpose of ali catechesis: the "fullness of life" in Christ,[27] an interiorization of the gifts of the Spirit.

6. The Church in Indonesia is rightly proud of the contribution made by Catholic schools to the spiritual and temporal well-being of individuáis and of society itself. It is my fervent hope that, in a society that is undergoing rapid transformation, you will continue to support this educational mission by ensuring that it is rooted in the values of the Gospel. Whenever éducation is restricted to learning scientific and technological skills it fails to meet the noble objective which the Church sets for it: the integral development of the human person and the création of a just and peaceful social order.[28] I urge you to continue along the path you have so wisely chosen: strengthen the Catholic identity of your schools, clarifying their specific mission and fostering the pastoral care of students and teachers in the educational institutions under your care. Also deserving of your encouragement are the programmes of solidarity which are becoming more common, whereby schools with more resources share them with those which have less.

7. Indonesia as a nation has been blessed by a history of tolérance and religious freedom, a situation dependent upon respect for ***Pancasila*** as the noble expression of its traditional wisdom. The deepest motivation for interreligious harmony cornes from the interior message of religion: the search for God and respect for others. The Church teaches that any form of religious intolérance and proselytism compromises the fundamental right to freedom of religion. In your Diocèses, therefore, interreligiousdialogue should be "part of the Church's evangelizing mission".[29] Interreligious coopération begins with the dialogue of life, which fosters reciprocai knowl-

[25] Cf. *Phil* 3:8.
[26] Cf. *Familiaris consortio,* 52.
[27] Cf. *Jn* 10:10.
[28] Cf. *Gravissimum educationis,* 8.
[29] *Redemptoris missio,* 55.

edge and respect. This in turn leads to the dialogue of action, which promotes solidarity in the cultural, economie and social fíelds. Practical co-operation créâtes mutual esteem among all believers in God and stimulâtes the desire to learn from others and to work with them.

As "authentic teachers of the faith",[30] Bishops have a special role in overseeing the theological dimension of interreligious dialogue. In particular, they must not lose sight of the universality and uniqueness of Rédemption in Christ: the only beloved Son of the Father is "the Saviour of ali, the only one able to reveal God and lead to God".[31] Fruitful interreligious dialogue dépends on a spirit of fraternal charity, of respect for the demands of conscience on both sides, and a profound love for the truth. The situation of Indonesia calis you to special efforts to ensure that the dialogue between Christianity and Islam will lead to closer ties among believers in the One and Merciful God.

8. Dear Brothers, you are now in the midst of préparations for the Asian Synod, that great assembly which will guide the pilgrimage of your Churches into the Third Christian Millennium. The Synod promises to be a significant milestone for the whole Church in Asia. Your visit ***ad Limina*** is likewise part of your préparation for the Jubilee of the Year 2000. May the Holy Spirit enable the People of God in your country to celebrate the Great Jubilee "by renewing their hope in the definitive coming of the Kingdom of God, preparing for it daily in their hearts, [and] in the Christian community to which they belong".[32] I invite you to instil in those whom you serve an earnest desire for conversion and a longing for communion with the Father, Son and Holy Spirit.[33] Entrusting you and ali the priests, religious and lay faithful of your particular Churches to the intercession of Mary, whose materna médiation guides your path to the Heart of her Son, I cordially impart my Apostolic Blessing.

[30] ***Christus Dominus,*** **2.**

[31] ***Redemptoris missio,*** **5.**

[32] ***Tertio millennio adveniente,*** **46.**

[33] **Cf.** ***1 Jn*** **1:3.**

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI

NOTIFICATIO

De scriptis et operibus dominae Vassulae Ryden.

Molti Vescovi, sacerdoti, religiosi, religiose e laici, si rivolgono a questa Congregazione per avere un giudizio autorevole sull'attività della signora Vassula Ryden, greco-ortodossa, residente in Svizzera, che va diffondendo negli ambienti cattolici di tutto il mondo con la sua parola e con i suoi scritti, messaggi attribuiti a presunte rivelazioni celesti.

Un esame attento e sereno dell'intera questione compiuto da questa Congregazione e proteso a « mettere alla prova le ispirazioni per saggiare se provengono veramente da Dio» (Cfr ***1 Gv*** 4, 1), ha rilevato — accanto ad aspetti positivi — un insieme di elementi fondamentali che devono essere considerati negativi alla luce della dottrina cattolica.

Oltre ad evidenziare il carattere sospetto delle modalità con cui avvengono tali presunte rivelazioni, è doveroso sottolineare alcuni errori dottrinali in esse contenute.

Si parla fra l'altro con un linguaggio ambiguo delle Persone della Santissima Trinità, fino a confondere gli specifici nomi e funzioni delle Persone Divine. Si preannuncia in tali presunte rivelazioni un imminente periodo di predominio dell'Anticristo in seno alla Chiesa. Si profetizza in chiave millenaristica un intervento risolutivo e glorioso di Dio, che starebbe per instaurare sulla terra, prima ancora della definitiva venuta di Cristo, un'era di pace e di benessere universale. Si prospetta inoltre l'avvenire prossimo di una Chiesa che sarebbe una specie di comunità pan-cristiana, in contrasto con la dottrina cattolica.

Il fatto che negli scritti posteriori della Ryden i sopraddetti errori non appaiano più, è segno che i presunti « messaggi celesti » sono solo frutto di meditazioni private.

Inoltre, la signora Ryden, partecipando abitualmente ai sacramenti della Chiesa cattolica, pur essendo greco-ortodossa, suscita in diversi ambienti

delia Chiesa cattolica non poca meraviglia, sembra porsi al disopra di ogni giurisdizione ecclesiastica e di ogni regola canonica e crea di fatto un disordine ecumenico che irrita non poche autorità, ministri e fedeli della sua propria Chiesa, mettendosi fuori della disciplina ecclesiastica della medesima.

Atteso che, nonostante alcuni aspetti positivi, l'effetto delle attività svolte da Vassula Ryden è negativo, questa Congregazione sollecita l'intervento dei Vescovi affinché informino adeguatamente i loro fedeli, e non venga concesso alcuno spazio nell'ambito delle proprie diocesi alla diffusione delle sue idee. Invita infine tutti i fedeli a non considerare come soprannaturali gli scritti e gli interventi della signora Vassula Ryden e a conservare la purezza della fede che il Signore ha affidato alla Chiesa.

Dalla Città del Vaticano, 6 ottobre 1995.

© **IOSEPH** card. **RATZINGER**, ***Prefetto***

© Tarcisio Bertone, S.D.B.
arciv. em. di Vercelli, ***Segretario***

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

CALARITANA

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Nicolai a Gesturi (in saec.: Ioannis Medda) laici professi ordinis fratrum minorum capuccinorum (1882-1958)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Fidelis fuit assecla Christi,
divitias sprevit et honores,
in castitate vixit, in humilitate et oboedientia ».

Haec verba, ex Liturgia Horarum excerpta, vitam contrahunt atque perfectionem Nicolai a Gesturi, in saeculo Ioannis Medda.

In parvo rustico pago ***Gesturi,*** ad provinciam Calaritanam pertinente adque Arborensem dioecesim, Servus Dei secundo loco ortus est nonis Augustis anno 1882 estque postridie in ecclesia paroeciali baptizatus.

Quattuor annorum est patre orbatus, sed mater primos eius ad vitam gressus custodiebat cum amore et christiana pietate. Puer primas ludi clas-

ses frequentavit, postea operibus agrestibus se dedidit in possessione paterna, etiam rem pecuariam faciens. Tredecim annos nato ei mater quoque est mortua, administratione bonorum patrimonialium fratribus maioribus natu relicta. Quattuordecim annorum aetatem agens, die 18 mensis Decembris anno 1896 primam recepit Communionem impensa cum meditatione et deprecatione, vehementissimam sentiens sanctificationis cupidinem. Ex eo die singulis matutinis ecclesiam frequentavit ut sanctam Communionem acciperet sacrisque interesset; octavo quoque die peccata sua confitebatur; temporibus dierum profestorum vacuis in piorum librorum lectionem incumbebat.

Matre mortua, operarium se obtulit familiae sororis suae, maioris natu, matrimonio coniunctae. Cum sedecim esset annorum in eius corde vocatio provenit ad vitam religiosam atque sacerdotalem, sicut sorori patefecit, quam is non est derelinquere ausus praesertim postquam, mortuo marito, versata est cum decem filiis educandis et ad vitam instituendis. Hanc peculiarem vocationem, in familia religiosa exortam, iuvenis agricola defendit contra quamlibet iuvenilem levitatem.

Duodetriginta annorum, cum parocho consentiens, qui illum utilem suae paroeciae fidelem habebat, Ioannes Medda statuit se Domino tamquam religiosum consecrare, quamvis iuvenis esse sacerdos cupiisset. Mensis Martii die 31 anno 1911 ***Gesturi*** reliquit et ostium pulsavit conventus Fratrum Minorum Capuccinorum Calaritanorum, ubi receptus est ut postulans et oblatus.

Die 30 mensis Octobris anno 1913 vestem induit Franciscanam nomenque cepit Fratrem Nicolaum a Gesturi. Anno peracto novitiatus, calendis Novembribus anno 1914 priorem fecit professionem et die 16 mensis Februarii anno 1919 sollemnem. Primos decem vitae religiosae annos in diversis egit Sardiniae conventibus, ubi plerumque muneribus functus est coqui et adiutoris coqui. Anno 1924 Calarim est translatus, ubi 34 mansit annos, cum munere proprio mendici urbis.

Mendicare occasio fuit Fratri Nicolao obviam se dandi vulgo. Plus dabat quam accipiebat. Eius vita, eius gradiendi et ambulandi modus, invitatio omnibus erant ad conversionem, ad deprecationem, ad Dominum amandum eique serviendum ac fratribus. ***« Plus quaerebatur, quam quaerebat ».***

Ab anno 1924 ad annum 1958 igitur omnibus anni temporibus cotidie tacitus, modestus vias transiit Calaritanas, stipem non petens pro Fratribus; populus enim statim intellexit illum virum esse singularem sponteque ei vel pecuniam largiebatur vel res. Plurimi se ipsos Fratri Nicolao aperiebant, precationem postulantes pro gratiis spiritalibus vel temporalibus; usu

venit ut ad lectos vocaretur aegrotorum, tum in eorum domus, tum in valetudinaria et in sedes clinices; illuc Servus Dei se conferebat permissu et interdum etiam iussu Superiorum. Mirae factae sunt sanationes; intellectum est in paupere Fratre « digitum Dei » agere. Fama sanctitatis et potestatis thaumaturgicae, a Deo Fratri Nicolao concessae, universa fuit inter doctos et indoctos, adultos et pueros, laicos et ecclesiasticos.

Per suum continuum silentium Servus Dei docebat; etenim in viis inque publicis vehiculis continenter precabatur vel paginas legebat spiritales; factis docebat « porro unum necessarium » esse. Interdum paucis verbis docebat; per singulares congruentias verborum suorum supputatorum, saepe Divinarum Litterarum dictorum vel Sacrae Liturgiae, cum condicionibus interioribus collocutorum, ostendebat se charismate frui perspicientiae cordium; novissima commemorabat; morum conversionem inculcabat.

Frater Nicolaus professus est et coluit fidem impensissimam: quod quidem patet ex eius vita in universum considerata; ex Fidei declarationibus aperte ab eo perhibitis; patet ex continua deprecatione, praesertim ex pietate eucharistica; cotidie enim uni vel pluribus intererat Sanctis Missis, Sanctam accipiebat Communionem; multas ante Tabernaculum terebat horas precans. Fides nitet ex continenti adhortatione ad precandum, quacum eum adeuntes affabatur. Fides lucet etiam ex cura lectionum asceticarum-mysticarum: quamquam enim exiguarum erat litterarum, cognovit tamen, existimavit, assiduo adhibuit magnos spiritalitatis auctores, in primis Sanctam Teresiam Lexoviensem. Peculiarem Fidem testantur etiam mentiones biblicae et liturgicae admodum accommodatae quae, a Servo Dei recta cum usurpatione prolatae, assiduitatem significabant in meditatione, pervestigationem spiritalem, animi perceptionem supernaturalem de proximorum spiritalibus necessitatibus. Solidissimae et evidentes Servi Dei religiones: in Virginem Mariam, continua Rosarii recitatione indicata; in Sanctos, potissimum in sanctum Franciscum Asisinatem; in defunctorum animas. Per suam, cum saecularis tum religiosi vitam, semper Paradisum aspexit et ex Iesu fiducia vim traxit ferendi omnia quae doloris pertulit utque fidelis esset baptismalibus officiis atque religiosae professioni. Eius Spei demonstratio posita est in electione vitae religiosae, quinquaginta fere annos actae plena cum sedulitate et singulari sacrificio atque constanti auxilii Domini pertugio omnibus in circumstantiis; in serenitate imperturbata ad omnes difficultates; in neglectione cuiusvis, quamvis liciti, usus terrestrium bonorum, nempe in castigatione extrema quoad victum, vestes, somnum, inque clara ac declarata Vitae aeternae, tamquam unici praemii, exspectatione.

Tota Servi Dei vita, praecipue tempore quo sodalis fuit Fratrum Capuccinorum, dedita est servitio Dei propter amorem, atque mira assiduitas meditationis interioris, moribus externis manifestata, ostendit hanc curam fuisse amoris plenam. Frater Nicolaus semper habuit Deum cogitationum suarum cardinem suorumque affectuum. Hinc precatio semper erat in ore eius tum in ecclesia, tum in conventus vestibulis, tum in Calaritanis viis per mendicationem. Eius quietis fons fuit alacritas in voluntate Dei facienda. Et in loquendo et in agendo divinam continuo voluntatem spectabat, cui suam dicabat deprecationem, dolorem suum, suum laborem. In caritate fundamentum iecit sanctificationis suae, indigentes adiuvando, iisdem spiritaliter ac materialiter subveniendo. Eius cum aliis commercium semper plena notabatur facilitate; numquam in qualibet, ubi vixit, communitate querimoniae auditae sunt de eo; numquam de ore eius improbationis verba exierunt, numquam de proximo iudicium severum vel contumeliosum dictum. Paratus ad iniurias obliviscendas verbis caritatis excusabat eos, qui errabant vel male se gerebant.

In exercitio quoque virtutum cardinalium Servus Dei omnibus diversus videbatur et singularis. Semper egit ut qui optima eligit instrumenta ad finem ultimum, aeternam nimirum salutem, consequendum. Quapropter magna cum prudentia se gessit a iuventute. In sua agendi ratione semper se praebuit moderatum, aequabilem, gravem in verbis; similiter pericula semper vitavit.

Constanter in Deum iustus et in proximum, de Dei gloria et honore sollicitus fuit. In servandis Dei et Ecclesiae praeceptis atque status sui officiis attentissimus fuit; semper proximi observans, tum Fratrum sodalium, tum populi. Omnem fugiens propriarum rerum sufficientiam aut superbae fidelitatis, semper agebat coram Deo, Deo semper cum simplicitate dans quae Dei sunt. Fortitudinis virtus potissimum apparet ex eius habitu continuo solumque intento ad Dei faciendam voluntatem, ex Regula sequenda quam se observaturum promiserat exque rigidae vitae Capuccinorum exsecutione, ex fidelitate erga munus mendici urbis, quamvis imbecillus esset valetudine, ex tolerandis aequo animo rebus adversis cum corporis, tum spiritus.

Quod ad virtutem spectat temperantiae, sobrius fuit semper in cibo, in potu, in somno, in sua indole moderanda. Omni tempore aequus fuit nec umquam signa apparuerunt in eo amoris proprii, vanitatis aut inordinati motus. Eius austeritates numquam ex naturae nimietate profectae sunt, quandoquidem omnem fugiebat ostentationem. Vir erat serenus et laetus in Deo cogitando; numquam tristis visus est aut molestia affectus.

Frater Nicolaus fidelis fuit Sancti Francisci discipulus in perfecte se donando, per vitam vere castam, pauperem et oboedientem, Christo. A puero oculis modestissimus fuit inque tractandis personis, in loquendo et in agendo diligentissimus. Ex quo tempore erat in saeculo despectionem acerrimam ostendit bonorum terrestrium; quae paupertas magis notabatur cum is in conventu erat; rerum omnium, quas mendicando accipiebat, rationem reddebat superioribus religiose. Prompto cum obsequio semper oboedivit, docili atque laetanti, in fidei spiritu, quia in superiorum iussu Dei videbat voluntatem manifestam.

Si verum est humilitatem omnis vitae spiritalis esse radicem, tota Servi Dei vita continuus fuit progressus in hac virtute. Numquam est de aliqua re gloriatus; ius numquam vindicavit; laudis significationes quaslibet vitabat; in omnes fuit officiosus et idcirco magna suscipiebat onera erga omnes.

Frater Nicolaus mortem obiit die 8 mensis Iunii anno 1958, post paucos morbi dies postque enterocelis implicitae sectionem. Magna cum pietate sacramenta petivit et recepit et, cum suae mentis erat, nihil aliud fecit, nisi precatus est suamque cum Dei voluntate consensionem significavit.

In morte sanctitatis fama, quae per decennia humilem fratrem erat Comitata, miro est significata modo. Plura milia personarum, a maximis auctoritatibus ad populum sine nomine, ad corpus honorandum se contulerunt. Exsequiae et comitatus ad sepulcrum magna fuerunt laudatio.

Ob diffusam ac solidatam sanctitatis famam Archiepiscopus Calaritanus initium Causae beatificationis et canonizationis fecit Processu ordinario informativo annis 1966-1971 celebrato. Die 15 mensis Iunii anno 1977 promulgatum est decretum de Causae introductione. Annis 1978-1982 est Processus cognitionalis instructus. Processuum auctoritas est a Congregatione de Causis Sanctorum probata decreto, die 23 mensis Ianuarii anno 1986 promulgato. Apparata Positione, disceptatum est an Servus Dei heroum in modum virtutes coluisset. Die 24 mensis Octobris anno 1995 exitu cum prospero Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris est actus. Patres Cardinales postea et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 5 mensis Martii anni 1996, Causae Ponente Exc.mo D. Fiorino Tagliaferri, Episcopo Viterbiensi, professi sunt Nicolaum a Gesturi heroum more virtutes théologales, cardinales iisque adnexas exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus, die 3 mensis Maii hoc eodem anno, Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum

excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Nicolai a Gesturi (in saeculo: Ioannis Medda), Laici professi Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die **25** mensis Iunii A. D. 1996.

83 Albertus Bovone
archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. ©S.

& Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

CAESENATEN. seu MUTILEN.

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae Teresiae Lega, Fundatricis Instituti Sororum a S. Familia, HI Ordinis S. Francisci (1812-1890)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Secundum Iesu imaginem, dilecti Filii "quem Pater sanctificavit et misit in mundum" ***(Io*** 10, 36), illi quoque quos ad sui sequelam Deus advocat consecrantur atque inter homines demandantur ut eius exemplum imitentur eiusque opus propagent» (**IOANNES PAULUS** II, Adhortatio Apost. Post-**synodalis** ***Vita consecrata,*** n. **72),** praesertim in pauperum servitio atque dolentium.

Continuo generosarum animarum gregi quae, Dei amore incensae, omni tempore se, cum gaudio atque plena cum alacritate, ministerio fratrum dediderunt in deteriore condicione positorum, Ecclesia adnoverare laetatur Mariam Teresiam Lega, Sororum a S. Familia Tertii Ordini S. Francisci Asisinatis conditricem.

Haec Serva Dei, in religione Maria Teresia ab Exaltatione S. Crucis, in oppido ***Brisighella,*** ad Ravennatem agrum pertinente, orta est idibus Ianuariis anno 1812, ex tredecim coniugum Michaelis Lega et Gentilis Tondini filiis tertio loco nata. Tertio post ortum die est Baptismatis aqua regenerata, quod accepit in paroecia S. Michaelis in oppido ***Brisighella.*** Septem annorum primum admissa est ad Reconciliationis sacramentum. Die 30 mensis Maii anno 1824 Spiritus Sancti donum in Confirmatione recepit et insequenti die Domini natali cum fervore ad eucharisticam mensam accessit.

Die 20 mensis Octobris anno 1824 excepta est tamquam educanda in Ephebeo Emiliani loci ***Fognano,*** in Ravennate provincia siti, a Sororibus Dominicanis recto. Honesto matrimonio recusato, quod parentes ei moliti erant, pridie calendas Novembres anno 1833 monasticam loci ***Fognano*** Communitatem ingressa est, hilare a Sororibus Dominicanis accepta et existimata. Ei deinceps quaedam concredita sunt alicuius momenti munera communitatis, qualia moderatricis operum picturae, graphicae et plumariae artis, alumnarum magistrae et postea, cum triginta trium erat annorum, novitiarum magistrae.

Multos post annos vitae quietae, actuosae et probae in monasterio actos loci ***Fognano,*** postque occursum cum Papa Pio IX mense Iunio anno 1857, confessario monente superatisque non paucis difficultatibus et repugnantiis Serva Dei licentiam obtinuit in oppido ***Brisighella*** pium caritatis opus pro puellis pauperibus condendi. Suo Monasterio relicto, in quo duodequadraginta gesserat annos, postridie nonas Iunias anno 1871 Serva Dei Mutuum se contulit atque operis diu appetiti initium fecit, statim tribus acceptis puellis orbis ac duabus probandis. Cognita deinde Regula Tertii Ordinis Franciscani, Sancti Augustini Regulam deseruit, quam ad illud usque tempus erat secuta, et Seraphici Pauperis Regulam adhibuit, cuius post fidelis fuit imitatrix et filia.

Die 19 mensis Iulii anno 1874 Maria Teresia primaeque eius sociae vestem religiosam receperunt consiliorumque evangelicorum professionem fecerunt die 8 mensis Septembris anno 1877. Ita natum est Institutum a Sacra Familia Tertii Ordinis S. Francisci, quod, ab ecclesiasticis civilibusque potestatibus magni habitum, est approbationem pontificiam consecutum pridie idus Iunias anno 1888.

Per undeviginti annos recto Instituto, apertis etiam domibus Sancti Arcangeli Flaminiae, Arcis Sancti Casciani et Caesenae, sed in primis sine intermissione curata sororum sodalium atque alumnarum formatione, labori-

bus confecta, doloribus atque incommodis, paralysi correpta, Serva Dei est ad praemium aeternum vocata die 27 mensis Ianuarii anno 1890, a filiabus et a Caesenate populo desiderata, qui concursum fecit officium et cultum «matri pauperum» tributurus munerique forti animaeque eminenter ecclesiali.

Cotidiana cum Eucharistia necessitudo sane « schola » fuit in qua Maria Teresia didicit se ipsam pro fratribus praeter modum dedere suamque exsistentiam reddere vitam amoris oblativi, servitii veri generosique ultimis praebiti. In suis commentariis Serva Dei scribit: « Cum coepissem post Communionem quodam modo Dominum eiusque amorem cognoscere erga me, cupidine incensa sum eum toto corde redamandi ».

Postquam, undesexaginta annos nata, Mutuum pervenit, cum alacritate et se devovendi studio munus inchoavit suum, in imitatione Christi pauperis atque crucifixi vivere nitens, exemplum secuta Francisci Asisinatis, pro certo habens Deum solas esse hominis divitias. Ita per impensam vitam spiritalem et apostolicam culmen est adepta heroicitatis christianae in omnibus virtutibus colendis inque fideli consiliorum evangelicorum observantia.

Eius in Amorem Crucifixum fidelitas se ostendit seque confirmavit in vitae absconditae humilitate et praecipue in acceptione variarum difficultatum, in quas incidit iter faciens atque multiplicium aerumnarum, quas semper adscivit sanctae Dei voluntati se permittens, in tacito sacrificio, in serena fidelitate etiam decrescentibus viribus, in diligenti discriminum Ecclesiae communicatione.

Servae Dei vita potest cum arbore frondosa comparari, e cuius radicibus, propter absolutam incepto Dei assensionem, truncus crevit eius familiae spiritalis atque vim recipit praecipuus eius amoris nuntius in pauperes inque dolentes, qui Ecclesiae quoque nostrae aetatis provocatio fit simulque humani civilisque cultus amoris prophetia.

Spiritalis Servae Dei experientia est insuper iis fortis incitatio, quos Deus vocat ad suum sequendum Filium, ne sinant se nostrae societatis bonis fluxis temperari, sed res aspiciant numquam occasuras, prompte et animose consilio Dei se astringentes.

Consecratos quoque Serva Dei Maria Teresia Lega vehementer hortatur ad vitam vivendam soli Patri deditam, a Christo captam et a Spiritu Sancto animatam, ut efficaciter muneri intersint Domini Iesu (cf. ***Io*** 20, 21) et ad mundi renovationem conferant.

Serva Dei, ob eminentes suas virtutes christianas, fama claruit sanctitatis tum in vita tum post mortem; quapropter Episcopus Mutilensis Causam

iniit beatificationis et canonizationis per celebratum processum ordinarium informativum (annis 1939-1949), cui additus est rogatorialis Mediolanensis (anno 1942 celebratus), quorum auctoritas probata est a Congregatione de Causis Sanctorum decreto die 20 mensis Aprilis anno 1990 promulgato. Praeparata ***Positione,*** disceptatum est an Serva Dei heroum in modum virtutes coluisset. Die 19 mensis Decembris anno 1995, secundo cum exitu, actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris. Patres Cardinales deinde atque Episcopi, in Sessione Ordinaria die 26 mensis Martii habita anno 1996, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Achille Silvestrini, professi sunt Servam Dei Mariam Teresiam Lega heroum more virtutes théologales, cardinales iisque adnexas servavisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, die 10 mensis Iunii hoc eodem anno, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Cardinali Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Teresiae Lega, Fundatricis Instituti Sororum a S. Familia, III Ordinis S. Francisci, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 25 mensis Iunii A. D. 1996.

83 Albertus Bovone
archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. 83 S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

CREMONEN.

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Henrici Rebuschini Sacerdotis Ordinis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis (1860-1938)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Henricus Rebuschini natus est in oppido ***Gravedona,*** ad Comensem dioecesim pertinente, die 28 mensis Aprilis anno 1860. Ordinem Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis ingressus, presbyteratum accepit et religiosam fecit professionem anno 1889. Alacrem et efficacem explicavit apostolatum in Veronensibus civili ac militari valetudinariis. Cremonam translatus, ubi ad mortem usque mansit, cappellanus Filiarum Sancti Camilli fuit, domus suae religiosae et valetudinarii oeconomus; aliquamdiu antistes etiam fuit communitatis suae. In Christi imitatione inque via perfectionis est continuo progressus. Ecclesiae, Ordini suo, animis atque aegrotis cum simplicitate atque humilitate servivit et ob eminentes virtutes effulsit. Meritis ornatus et fama sanctitatis clarus, terrestre iter pie conclusit die 10 mensis Maii anno 1938.

Episcopus Cremonensis Causam iniit beatificationis et canonizationis anno 1947. Summus Pontifex Ioannes Paulus II die 11 mensis Iulii anno 1995 declaravit Servum Dei heroum in modum virtutes coluisse théologales, cardinales iisque adnexas.

Eius beatificationis respectu, a Congregatione de Causis Sanctorum Causae Postulatio petivit ut assertam perpenderet miram sanationem intercessioni ascriptam eiusdem Venerabilis Servi Dei. Casus pertinet ad Iosephum Losi in quo, die 10 mensis Novembris anno 1949, inventi sunt exitus endocarditis rheumaticae et tonsillarum inflammatio diuturna. Post plures recognitiones diagnosis facta est de pancardite rheumatica. Die 25 mensis Novembris eodem anno ex improviso est dyspnoea correptus ingravescente atque cordis conturbatione; forti dyspnoeae sunt pulmonum singultus additi, venarum pulsus citatus atque filiformis, cyanosis, hypotonia, sensorii obnubilatio. Impensae curae, quibus est medicatus, inanes fuerunt. Condicionis gravitate animadversa, frater eius, Ordinis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis religiosus, cum fiducia intercessionem postulavit Patris Henrici Rebuschini, cuius reliquiae positae sunt in aegroti vestibus; qui quidem, post pauca vestigia temporis repentina et subita salubri mutatione

est affectus. Conturbationis acutae momento superato gradatim ea mutatio in melius etiam est versa, donec completa facta est et decretoria.

Peractae sanationis documenta collecta sunt tum in processu ordinario, Cremonae celebrato de sanctitatis fama (annis 1954-1955), tum in inquisitione dioecesana ad hoc ipsum instituta, apud eandem curiam episcopalem instructa annis 1989-1990. Instrumentorum auctoritas et vis probata est a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum die 4 mensis Martii anno 1994 promulgatum. Consilium Medicorum, in sessione habita pridie nonas Iulias anno 1995, agnovit Iosephum Losi, pancardite ex recidiva morbi rheumatici affectum cum cordis conturbatione acuta et oedemate pulmonum, gradatim consanuisse a pancardite, repente vero ab oedemate et a conturbatione. Idem Consilium affirmavit insuper sanationem pro scientia inexplicabilem fuisse. Die 19 mensis Ianuarii anno 1996 Consultorum Theologorum actus est Congressus Peculiaris et postridie insequentes calendas Apriles Sessio Ordinaria Cardinalium atque Episcoporum, Causae Ponente Excellentissimo Domino Andrea Maria Erba, Episcopo Veliterno-Signino. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, die 10 mensis Iunii hoc eodem anno, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: ***Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Servo Dei Henrico Rebuschini, Sacerdote Ordinis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, videlicet de perfecta et duratura sanatione Iosephi Losi a «pancardite da recidiva di malattia reumatica con scompenso acuto ed edema polmonare».***

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 25 mensis Iunii A. D. 1996.

83 Albertus Bovone
archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. 83 S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

PARISIEN, seu MASSILIEN.

Beatificationis et Canonizationis Venerabilis Servi Dei Friderici Ozanam, Viri Laici (1813-1853)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Fridericus Ozanam Mediolani ortus est, in Italia, die 23 mensis Aprilis anno 1813, sed totam fere vitam egit in Gallia. Interfuit institutioni Societatis Sancti Vincentii de Paul, cuius vicarius praesidis fuit, pro assiduitate pauperibus praebenda. Doctor magni habitus fuit apud Studiorum Sorbonensem Universitatem Lutetiae Parisiorum et per culturam fidei veritates defendit ac propagavit. Matrimonio coniunctus, exemplaris fuit maritus et pater familiamque suam parvam fecit domesticam ecclesiam. Semper cum Deo ambulavit emintentibusque christianis virtutibus effulsit.

Longum post morbum mortem obiit die 8 mensis Septembris anno 1853 Massiliae.

Fama sanctitatis, qua claruit in vita, post mortem duravit; quapropter Archiepiscopus Parisiensis anno 1925 Causae beatificationis et canonizationis initium fecit. Coram Summo Pontifice Ioanne Paulo II, pridie nonas Iulias anno 1993, decretum promulgatum est super virtutibus heroum more servatis.

Deinceps Congregatio de Causis Sanctorum, Causae Postulationis rogatu, coniectam miram sanationem inspexit, intercessioni tributam eiusdem Venerabilis Servi Dei, de qua apud Curiam Sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii instructa est inquisitio dioecesana anno 1994, cuius auctoritas est ab eodem Dicasterio probata per decretum die 11 mensis Novembris promulgatum eodem anno. Mirus eventus pertinet ad infantem Ferdinandum Aloisium Benedictum Ottoni, duodeviginti menses natum, Novi Friburgi habitantem apud Flumen Ianuarii in Brasilia, qui, nocte diei 31 mensis Ianuarii anni 1926 agitationem ostendit, insomniam et tussim irritabilem. Subsequenti mane a medico est visitatus, qui magnas repperit maculas guttur afficientes, ob quas difficilis efficiebatur respiratio et tussis stridula. Medicus, diphtherithem suspicans, iniectiones praescripsit. Postridie alius medicus diagnosim confirmavit et tertiam praescripsit iniectionem. Interim infantis condiciones in deterius versae sunt, quapropter prognosis infausta facta est

quoad vitam. Avus, télégraphiée certior factus, qui Niteroiam incolebat, vespere diei 2 mensis Februarii, statim magna cum fiducia intercessionem imploravit Servi Dei Friderici Ozanam. Eodem tempore aegrotus convalescere coepit, obdormivit et postridie sanatus erat.

Instrumentis inspectis inquisitionis dioecesanae, Consilium Medicorum Congregationis de Causis Sanctorum in sessione die 22 mensis Iunii habita annuo 1995 edixit Ferdinandum Ottoni ex improviso, perfecte, stabiliter et modo pro scientia inexplicabili ad sanitatem revertisse ex gravi diphtherithis genere cum status generalis discrimine. Die 24 mensis Novembris eodem anno Congressus Peculiaris est actus Consultorum Theologorum et die 21 mensis Maii anno 1996 habita est Patrum Cardinalium atque Episcoporum Sessio Ordinaria, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Eduardo Francisco Pironio. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, die 10 mensis Iunii hoc eodem anno, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Cardinali Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandos, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: ***Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Servo Dei Friderico Ozanam, viro laico, videlicet de subitanea, perfecta et mansura sanatione infantis Ferdinandi Aloisii Benedicti Ottoni a « grave forma di difterite con compromissione dello stato generale ».***

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 25 mensis Iunii A.D. 1996.

& Albertus Bovone
archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. ***m*** s.

£B Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

RHEGINEN. - BOVEN.

Beatificationis et Canonizationis Venerabilis Servi Dei Caietani Catanoso, sacerdotis dioecesani et parochi, Fundatoris Congregationis v. d. « Suore Veroniche del Volto Santo » (1879-1963)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Dei Servus Caietanus Catanoso ortum duxit Chorii Sancti Laurentii, in archidioecesi Rheginensi, in Italia, postridie idus Februarias anno 1879. Sacerdotio initiatus anno 1902, disciplinae praefectus in Seminario factus est, deinde parochus parvi vici Pentidactyli et postea ecclesiae Sanctae Mariae a Purificatione Rhegii Iulii, ubi zelo praestitit adeo, ut fiducia praepositorum ei alia munera commiserit, inter quae canonici paenitentiarii et moderatoris spiritualis Seminarii. Maximam pietatem in Vultum Iesu patientis fovit et per totam vitam sese impendit multimodis in cultum hunc diffundendum et inter sacerdotes atque laicos in expiationis peccatorum apostolatum provehendum. Anno 1934 Congregationem Sororum Veronicarum a Vultu Sancto nuncupatam instituit in servitium paroeciarum praesertim pauperum et derelictarum. Verus Dei vir constanter vitam interiorem coluit et sine intermissione in perfectionis via ambulavit, se dedens magna cum caritate pastorali, humilitate et comitate saluti animarum et confessionum ministerio ita ut appellaretur confessor Ecclesiae Rheginensis. Auxilio venit seminarii alumnis egenis, sacerdotibus, pauperibus, in carcere clausis et nemini cordis sui ostia praeclusit. Meritis ornatus et magna fama sanctitatis insignis, aeternitatem die 4 mensis Aprilis anno 1963 ingressus est.

Incepta anno 1981 Causa beatificationis et canonizationis apud Curiam Archiepiscopalem Rheginensem, die 3 mensis Martii anni 1991 Summus Pontifex Ioannes Paulus II declaravit sacerdotem Caietanum Catanoso virtutes théologales, cardinales iisque adnexas in gradu heroico exercuisse.

Prae oculis beatificationem habens, Postulatio Causae recenter Congregationis de Causis Sanctorum iudicio submisit praesumptam miram sanationem eiusdem Dei Servi deprecationi tributam. Casus pertinet ad Mariam Paulinam Ligato, Sodalem Instituti Sororum Veronicarum a Vultu Sancto, quae usque ab aetate alterius et viginti annorum incepit laborare ex asthmate arteriarum, tussis impetu frequenti significato, excreatibus, contractionis thoracis sensu, dyspnoea gravi, respiratione sibilanti et febri. Plu-

ries necesse fuit ut in valetudinarium reciperetur, sed curae variae effectae tantum beneficia manca et temporanea attulerunt. Volventibus annis status aegrotae peior factus est nec defuit qui timeret ne Soror morte improvisa propter gravem respirandi insufficientiam corriperetur. Die 3 mensis Aprilis anno 1963, post noctem maxime incommodis asthmaticis vexatam, voluit se conferre in domum principalem suae Congregationis ut Patrem Catanoso iam morientem reviseret. Ilico pii Fundatoris post mortem, quae evenit hora prima noctis sequentis diei, Soror Maria Paulina genibus procubuit iuxta corpus et magna cum fide iterum atque iterum hanc precem adhibuit: « Pater, qui nunc in gloria Dei es, precare Dominum pro mea sanatione, ut pro bono animarum laborare possim ». Sorores quoque, quae aderant, invocationibus se consociaverunt. Post aliquot horas sensit se omnino esse sanatam et exinde nullo iam incommodo asthmatico laboravit et in suas actiones potuit ex solito incumbere.

Haec sanatio, statim Dei Servi intercessioni tributa, annis 1993-1994 est canonice inquisita apud Curiam Rheginensem-Bovensem, in qua Soror sanata est testificata. Decretum super validitate processus die 10 mensis Februarii anno 1995 promulgatum est a Congregatione de Causis Sanctorum. Die 5 mensis Octobris eiusdem anni habita est sessio Consilii Medicorum eiusdem Dicasterii, quod unanimiter declaravit sanationem Mariae Paulinae Ligato ab asthmate arteriarum cryptogenetico cum gravibus crisibus dyspnoicis per 21 annos producto fuisse repentinam, completam, duraturam et pro scientia inexplicabilem.

